NOUA LIBERTATIS EXPLICATIO, AD LUCEM OBSCURISSIMIS QUIBUSQUE...

Theophile Raynaud




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
16 E
23

NOVA LIBERTATIS EXPLICATIO,

AD LVCEM OBSCVRISSIMIS quibuſque Theologicis difficultatibus affundendam, nuper adinuenta, & duobus libris propoſita,

Hac antiſtropha tractatione diſcuſſa

A THEOPHILO RAYNAVDO
Societatis Ieſu Theologo.


Acceßit examen nouæ Theologiæ, negantis concurſum Dei nobiſcum ad actus liberos.





PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CHAPPELLET, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Roſarij.

M. DC. XXXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. MAVRITIO S.R.E. CARDINALI A SABAVDIA, &c.

Theophilus Raynaudus è Societate Iesu, felicitatem.



VOD singulare de tua virtute, fide, autoritate, praiudicium Christianißimi Regis extitit, SERENISSIME PRINCEPS CARDINALIS, *cùm te Gallicanæ protectorem Ecclesiæ nuncupauit; idem te vt huius causæ meæ operisque patronum adsciscerem, non excitauit me modò, sed etiam propemodùm coegit. Non*

enim hîc priuata controuersia solùm agitur, cuius alterutram in partem disceptatio, nihil ad Christianæ rei summam admodùm intersit; sed quam ausim dicere, & esse maximam, & cum præcipuis Catholicæ pietatis partibus implicatam atque connexam. Emersere nimirum duobus abhinc annis, non illi quidem Hæretici, sed minùs cauti, minúsque longè prospicientes homines, qui inauditis opinionis nouæ commentis (ne quid grauius dicam) rem vnam oppugnare instituerunt & subuertere, sine qua ne homines quidem sumus, nedum Christiani et Catholici esse possumus. Hos inquã homines, SERENISSIME PRINCEPS, *in ea quę te protectore gratulatur, Ecclesia nunc primùm exoriri cœpisse dico; qui libertatem hominis eriperent homini, eiusque vim ac naturam nescio quò deriuantes, prorsus absona, ac Theologis omnibus perinde ac Sanctis ignota Patribus, imò cum illis pugnantia, proferrent. Ea cuiusmodi sit opinio, quia paucis explicari nõ debet, malo te ex opere nostro, quàm ex breui hac præfatione discere; sed eam profectò cùm audies, non dubito quin abiudicandam penitus, ac seueriùs etiam, quàm à me factum videbis, excipiendam, atque ex omni doctorum piorumque mentione ac memoria proscribendam*

censeas. Scio quid dicam, apud quem verba faciam intelligo, & eò fidentius hoc quod dixi repeto iterum et insisto, tale hoc esse negotium quo de agitur, vt non dicam a dignitate tua grauitatéq; nō abhorreat; sed vt alius nemo cognitor eius ac disceptator in re tua fuerit adhibendus. Quocirca cùm habeam inscribendæ tibi, SERENISSIME PRINCEPS CARDINALIS, *lucubrationis huius tam necessariā, in illa quā sustines, Ecclesiæ propugnatione, causam; nihil est quòd eidem probando instituto priuata commemorem, quæ sunt alioqui maxima, siue ex tuis in me, siue Maiorum tuorum, præter tua, in Societatem nostram beneficijs petita; quibus pene nascentem illam & ex incunabulis modò deprompta m peramanter ac benignè fouerunt hactenus: quæ si percensere singillatim cuperem, alterum iis opus, et haud paulò quàm id est, cui nunc præfamur, grandius explicandum foret. Sed nihil est necesse. Neque hoc à nobis exigis, qui grati mei ac Societatis nostræ erga vos animi fructum redundare mauis publicos in vsus Ecclesiæ, & vtilitatem fidei, quàm vllis gloriæ vestræ monumentis atque ornamentis esse testatum. Quanquam non ista deerunt, vbi erit opportunum. Et hoc quod tibi exhibetur impræsentia, memoris tot vestrorum in*

nos meritorum animi mandatum huic operi testimonium, prius illud obtinet, vt quod initio præfatus sum, ad Catholicæ pietatis ac fidei rationes & commoda referatur; qua non magis tuendis ijs, quæ rectè posita sunt, quàm quæ secus habent euertendis ac diluendis, consistere, mecum ipse iudicabis.



OCCASIO SCRIPTIONIS.

NVPER in peregrinatione Francica, qua Sereniſſimo Principi MAVRITIO CARDINALI A SABAVDIA, Confeſſarij nomine comitari iuſſus ſum, quæſiuit de me vir grauis, veniſſétne in manus meas opus Doctoris cuiuſdam, *de Libertate Dei & Creaturæ*, quódve mihi de noua illa quam præfert, grauiſſimas quaſque difficultates Theologicas expediendi facillima ratione, iudicium ſederet. Reſpondi, viſum mihi librum antè circiter annum cùm primùm prodiit, nec ab eo tempore reſumptum in manus; quòd præferret ille quidem, vſus non vulgaris ad enodandos impeditiſſimos quoſque Theologicos nexus ſpeciem aliquam, ſed eos reuera inexpeditos dimitteret; nouis autem, & quidem inextricabilibus, implexitatibus inuolueret. Rationes attexui, quibus proferri hæc à me ad veritatem, non æſtu aliquo abripiente, vel affectu faſcinan-

te, testatum facerem. Hoc ille iudicium meum, rationibus subnixum suis, vt scripto consignarem, enixè petiit. Quòd per illam à studiis abstractionem præstare tunc non licebat, recepi, me cùm primùm optata otia repetere fas foret, non prætermissurum. Nunc igitur, bono Deo auspice, exoratæ quietis partem aliquam in hanc rem decerpere, & fidem datam liberare, consentaneum duxi.

QVÒD autem iudicium duntaxat meum, de re per Doctorem illum ex instituto agitata receperim, non etiam accuratam omnium quæ ab eo tractantur, discussionem: (Tractantur enim præter libertatis naturam quam ex instituto versat, aliæ insuper, & quidem præcipuæ quæque, vniuersæ Theologiæ difficultates; *de Libertate Dei ac Christi, de gratia efficaci, de diuinis præfinitionibus et prædeterminationibus, de scientia media, de malitia peccati commissionis, omnibusque malitiæ caussis; & aliæ*, quibus plenè & cum dignitate discutiendis, plus operæ ac otij desideraretur:) Idcirco in naturam libertatis nouo modo expressam, qui est autoris scopus primarius, non indiligẽter incubui; non *rem nouam aggressus ex vetere*, vt Tertullianus ad Marcionem

præfatur

præfatur, ſed nouo ſtudio, tanquam in argumentum planè nouum, conferens operam. Quæ enim de Libertate, omnibúſque cum ea nexis, iampridem fusè ac plenè in Morali diſciplina vulgaui, quia ad libertatem ex antiquo vſu acceptam ſpectant, in iſtam à Doctore prædicto recens cuſam libertatem neutiquam cadunt. De cæteris quæ per occaſionem, (tametſi non parcè, & ita vt πάρεργον ſuperet ἔργον,) tractata ab autore dixi, ſparſim egi, iis reciſis quæ per maiores, nouis libris verſare non licet; qua rubrica cur dirigi autor noluerit, ſcrutari non eſt meum: In iis verò quorum tractatio per Eccleſiam libera eſt, hæſi duntaxat, quantùm iuſta defenſio receptę hactenus doctrinæ ferebat; vt liquidò omnes deprehendant, nihil eſſe ad eas difficultates extricandas in noua hac doctrina præſidij; meritóque eam nulli ad hanc diem præterquam autori veniſſe in mentem, nulli qui numerum faceret, ex quo prodiit, fuiſſe probatam.

ITAQVE nouo inſtruendæ librariæ aciei vſu, dux idem ac miles, ſeiunctim ab antiquis copiis omnibus, bellat. Quamuis enim in quibuſdam difficultatibus, de quibus ante annos aliquot inter duas Doctorum acies, diſſidia

efferbuere, videatur autor alteri iungi, quæ efficacis gratiæ ineluctabilitatem admittit; reuera tamen neutri adhæret, sed ab vtraque æquè dissidet. Sanè qui hactenus gratiam efficacem professi sunt irrepudiabilem, libertatis humanæ incolumitati prospexere, exposita principij à quo prodit sapientia simul ac potentia, quæ creaturam suam sic tractare norit, vt iura ei concessa non temeret. Qui in aduerso sunt agmine, gratiam statuentes repudiabilem, nulla circa fœderandam cum libertate gratiam sollicitudine vrgentur. Tertio se loco ab vtrisque æquè abiuncto, collocat Doctor, ita ineluctabilem statuens gratiam, vt velit abiici ab homine posse: (*Doctrina prodigio similis*, vt eius verba adhibeam aptiore loco, quàm quo ipse vsurpauit:) Quatenus autem reijci nequit, voluntatis versatilem naturam, de qua cum diuinis motionibus componenda vtrunque agmen sollicitum erat, negligendam statuit. Perstare enim absque ea libertatem veram, quæ non flexili quaquauersùm mobilitate, sed adhæsione cum Deo sit metienda; ita vt quæcunque demum necessitatio vel adactio interponatur, superstes tamen sit libertas, ea ad Deum obuersione quam infert gratia. Quæ cum neutri agmini

proposito probentur, planè constat, sententiam huiusmodi, meritò nouam audire, nec posse de alterutrius antiquæ societate gloriari. Atque adeò, non est quòd quis existimet, his tractandis renouari à nobis antiquas lites: cùm de longè aliis duo anteriora agmina certarint; aliud tertia hæc acies, (si tamen acies ex vno & ductore & milite,) propositum habeat. Lectorem, quòd non plura sint quæ scire eum hoc loco oporteat, iubeo valere.



OPERIS INDICVLVS.

PARS II.

De consectariis, quibus illustrandis, stabiliendísve, noua de libertate sententia excogitata est.



APPROBATIO DOCTORVM.

DIscussio hęc nouæ Libertatis, à R. P. THEOPHILO RAYNAVDO Societatis IESV S. Theologię Professore eximio quàm accuratè conscripta, cùm nihil veræ fidei repugnans aut contrarium, imò præclara documenta & argumenta quæ in melius libertatem excitent & prouocent, contineat; vt in lucem prodiret, cùm viderimus & legerimus, dignissimam probauimus & censuimus, Nos almæ Facultatis Parisiensis Theologi Doctores. Lugduni in Conuentu S. Bonauenturæ FF. Minorum, hac die Ianuarij 15. Christianæ salutis anno 1632.

F. DESIDERIVS RICHARD, Guardianns Conuentus S. Bonauenturæ.

F. BERNARDINVS MOLLIASSON, Præfati Conuentus Lector.

CVm præfatis Doctoribus eximiis idem sentiens, prædicti Autoris subtilissimi opus approbo, & laude luceque dignissimum censeo. Lugduni 10. Februarij 1632.

F. PETRVS RIVES, Prior magni Conuentus S. Augustini. S. T. D.

APPROBATIO.

OPus cui titulus est, *Noua Libertatis explicatio, discussa à* R. P. THEOPHILO RAYNAVDO *Societatis* IESV *Theologo*, solidum est ac eruditum, & ad firmandam receptissimæ ab omni æuo de Libertate sententiæ veritatem, ne quis omni vento doctrinæ circumferatur, accommodatum: ideóque luce dignum. Ita sentimus, adscripti ex eadem Societate sacræ Theologiæ Professores. Lugduni idibus Decembris 1631.

LEONARDVS PATORNÆVS.

HENRICVS ALBI. IOSEPH. GIBALINVS.




Priuilegium Regis.

EGO BARTHOLOMAEVS IACQVINOTVS Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. x. Maij 1583. Henrico IV. xx. Decembris 1605. & Ludouico XIII. nunc regnante xiv. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus Societatis nostræ compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant: permitto SEBASTIANO CHAPPELET Parisiensi Bibliopolæ vt librum, qui inscribitur, *Nouæ Libertatis explicatio*, auctore P. THEOPHILO RAYNAVDO, è Societate IESV, sacræ Theologiæ Professore, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Parisiis 5. Nouembris 1632.

B. IACQVINOTIVS

PROLOQVIVM



PROLOQVIVM I.

CALIGO CREATÆ ET *increatæ libertatis, hactenus quanta.*

I.  Αἶρε νυμφίε, Χαῖρε νέον φῶς. Sic acclamatum, sic applausum olim fuisse ab Ethnicis Soli nouo, prodit Iulius Firmicus, grauis cum primis scriptor, pereleganti commentario de errore profanarum religionum, Constantini Magni filiis inscripto c. 20. Quem illi Solem nouum dicerent, in tam parca apud ipsos quidem Ethnicos huius ritus luce, ne dicam obscuritate, arduum sit aperire. A sanctissimis tamen Patribus, Leone Magno serm. 2. de Natiu. Ambrosio, seu veriùs Maximo serm. 16. Augustino serm. 61. de diuers. lux affulget. Castigatam enim ab eis memini Ethnicorum insulsitatem, qua Solis noui nomen indiderant festo diei, quo, vt acutè de more dixit Augustinus serm. 62. de diuer. *magnus & æternus dies, ex magno & æterno, die venit in hunc nostrum, tam breuem, temporalem diem.*

Quid si verò Solem sponsum roseo auroræ cubili

prodeuntem, non recurrente modò post emensum anni spatium Solis noui festa die, fausta illa quam Firmicus retulit salutatione exceptum ab Ethnicis dixerim, sed cuiusque diei exortu; cum lux quod Aferille l. de resurr. c. 12. scitè æquè ac robustè dixit, mortua in noctem die, & tenebris vsquequaque sepulta, rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole, eadem, & integra, & tota vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam, noctem; rescindens sepulturam suam, tenebras; hæres sibimet existens? Sanè Leo Magnus serm. 7. de Natiu. in eam quotidianam nascentis Solis consalutationem, voce robusta, fremitu Apostolico irrugiit. Congruentiùs profectò quotidianum beneficentissimi syderis regressum, consalutatum, nemo inficias ierit; quàm è contra diris proscissum & omnibus conuitiis laceratum per Aphrantes, illud inopportunè causatos, vt est apud Nicolaum ea lucubratione de moribus gentium, cuius plagulas identidem exhibet Stobæus; Solem aduenientem, reducto noctis Sipario, immensam malorum molem obiicere, quam delitescere pressam caligine, & hominum subduci visibus, præstitisset: quasi malorum ob oculos obuersatio, supra ipsam malorum perpessionem, aspera sit ac refugienda.

II. Vt vt sit, & quocunque tandem vsu aut consilio, aduenientem Solem nouum, fausta quam retuli apprecatione consalutaret Ethnicismi fæx, Constantino Magno, gregis nostri (vt Theodoretus nominat) Zorobabeli superstes; mihi exorientem in Theologico cœlo Solem nouum, non semel, sed ad expro-

mendum gestientis animi sensum, iterum ac sæpius, ex ea formula consalutare volupe est. Χαῖρε νυμφίε, Χαῖρε νέον φῶς. Nempe nemo est in diuinis studiis adeò hospes, vt eum fugiat quantæ sint tenebræ in gratiæ efficacis & creatæ libertatis concordia; quantæ circa diuinam nobiscum cooperationem voluntati nostræ ita aptandam vt liberum eius motum non temeret; quantæ in humana Christi libertate socianda cum eius impeccabilitate, denique in concilianda diuinæ libertatis & immutabilitatis fœderatione, quanta, quámque densa nox omnium retro seculorum sapientibus sit offusa.

III. Reliqua omittamus in præsentia. Diuinæ libertatis caliginem subeamus tantisper. Est illa sanè densissima. Tanto enim profundiores circa Deum tenebras visibus nostris offundi, quàm alibi vspiam, dubitare non licet, quanto est Deus aliis quibusuis rebus altior, & supra captus nostros elatus: sed in libertatis prærogatiua quàm maximè. Hinc namque diuina immutabilitas vicissitudinis obumbrationem prorsus excludens, non cœlestis tantùm reuelationis iubare, sed spiculo etiam naturæ lumine tam perspicuè deprehenditur, vt Parmenides referente Simplicio 1. Phys. t. 6. Deum tanquam proprio nomine appellaret *immobilẽ*. Alij referente Augustino 7. Ciuit. c. 11. *centumpedam* dixere, vt stabilitatem labare aut succuti nesciam designarent. Passim verò quod prolatis exemplis eruditè de more illustrat Clemens Strom. 1. c. 13. lucida columna firmitatis æquè ac diuinitatis simulachrum prostabat, priusquam vesanus error, multiplex numen, humana specie non adumbratum, sed effigiatum ob-

truderet. Itaque de diuina immutabilitate liquet. Nec parciùs inde micat diuina libertas, vt proinde qui eam tollunt, quod ex S. Maximo tradit Ioannes Cypatissiota deca. 4. c. 1. inter fatuos sint censendi. Mitto scripturarum oracula, Pontificum edicta, scita Conciliorum, quòd non diuina libertas ambigua, & nutans firmanda, sed eius cum immutabilitate fœderatio quæratur. Et Seneca quidem Tertulliano iudice sæpè noster, dubitare de vtriusque illius diuini attributi pacifica societate non sinit: *Quis tam demens est*, inquit l. 6. de benef. c. 21. *vt eam neget esse voluntatem*, liberam de qua agit, *cui non est periculum desinendi, vertendique se in contrarium? Cum ex diuerso nemo æquè videri debeat velle, quàm cuius voluntas vsque eò certa est, vt æterna sit: An si is quoque vult, qui potest statim nolle, is non videbitur velle, in cuius naturam non cadit nolle?* Est tamen ea caligo propè tractabilis, quámque nulla, vt videtur, admouendæ facis collustratio sufficienter dispellat. Cum enim libertas vertigine illa voluntatis in alterutram partem contineatur quam ipsa vocis notio præfert, omnésque hactenus cum Philosophi, tum Theologi exploratam censuerunt; eam verò vertibilitatem & flexibilitatem excludat immutabilitas, quæ nexibus plusquàm adamantinis diuinam voluntatem ei tantùm parti affigit, quæ vel potior & fini intento accommodatior, vel diuino iudicio semel probata atque delecta supponitur; quænam tandem iniri ratio queat, nectendi res adeò abiunctas, eáque consociandi quorum tantopere natura dissideat?

IIII. Desperanda videri possit tantæ tenebricosi-

tatis discussio. Deus vbiuis πάγκρυφος, & hoc ei nomen iuxta Acmonem, vetustissimum Ethnicorum Theologorum, Iustino laudatum: hic ὑπερπάγκρυφος. Scitè verò Ægyptij, Eneph Deorum maximum referente Porphyrio apud Eusebium 3. præp. c. 3. hominis forma exhibebant, colore cœruleo, zonam tenentem ac sceptrum, capite pennigero, illud eo symbolo expressum volentes, efferri ac euolare Deum supra sensa & cogitationes quasuis nostras. Quod ipsum iudice S. Gregorio 17. mor. c. 13. Psaltes eo psalmi 17. versu expressit. *Caligo sub pedibus eius. Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum.* Densissima omnino caligo qua abditur Deus, quandoquidem aciem quoque beatarum illarum mentium quæ à scientiæ vbertate nomen Cherubinorum sunt sortitæ; multo magis animarum, queis cum ventis, vt nominis, ita tenuitatis, & quantum corporea cum immateriatis componere licet, naturæ quædam affinitas est, supergressione vtrarunque inter volandum animo & perspiciendum, transcendit, quod de summo Deo commentos Ægyptios Porphyrius prodebat. At in re præsenti, immensum quantum superuolet; nec nostros modò, sed & beatarum mentium nisus supergrediatur, abdens sese ac infodiens infinitæ caliginis abysso, quam nulla peruadat creati ingenij acies, nulla per nos lucis affusio collustret.

Nihil ad eas tenebras nostræ quæuis cicindelæ. Quo enim alio nomine recentiorum tam multas, tam pugnantes inter sese, tam parum intellectui satisfacien-

tes sententias appellem? Caietanus, homo ingenij fœlicitate & perspicacia, plerisque in schola superior, paucis secundus, 1. p. q. 19 art. 2. adactus est vt fateretur diuinam volitionem liberam ita Deo inesse, vt non inesse potuerit. Apage doctrinam, qua si solus verborum extimus cortex consulitur, diuina simplicitas, & incompactio, cum purissima actualitate, & summa essendi necessitate, conuellitur. Hoc quis adeò cæcutiat vt non videat? Si enim deesse potuit Deo ea entitas & forma qua liberè vult bonum creatum, non est igitur ea forma idipsum quod Deus, quem deficere posse, nemo eo vsque insaniat vt admittat. Quare Deo appictam & appositam non sine simplicitatis excidio eam formam, vnáque vastitatem diuinæ purissimę actualitati & summę essendi necessitati inferri, pronunciare necesse est.

V. Nihilo commodiùs Ioannes de Salas 1. 2. tract. 3. d. 1. n. 104. & Petrus Fonseca 7. Met. c. 8. q. 5. s. 4. diuinæ libertatis vertibilitatem petunt ex huius veluti formæ informatione, & appressione ad suum quasi subiectum, quam ex suppositione quod sit, fatentur esse immutabiliter Deo adiunctam, nec nisi per intellectus præcisionem à diuina essentia seiungi: Aiunt tamen potuisse reipsa non esse, & eatenus liberam censeri, cùm formam, tum effectum eius formalem. Hæc nullo propè nisu adhibito, euertere licet, tanta est eorum caducitas. Primùm entitas absolutè non necessaria, quámque non esse nihil vetuit, eadem esse dicitur cum essentia Dei absolutissimè necessaria, & quam potuisse non esse, ne comminisci quidem possumus.

At si hæc forma potuit non esse, diuina verò essentia eiusmodi est vt non potuerit non esse, diuulsionem inter vtramque ac separationem intercedere nihil prohibebat. Separationem porrò absque præuia separabilitate; rursusque separabilitatem sine reali distinctione & compositione inuehi non posse, est planè perspicuum. Hæc in quæ circa Deum abrupta deducant, non est quod exponam. Deinde posset aliquid non esse idem sibi ipsi; & idem posset esse aliud. Nunc enim velle liberum, est reipsa idem quod diuina essentia, cum qua tamen dicitur potuisse non esse idem. Postremò entitas quæ cum diuina essentia est prorsus eadem, admittitur non fuisse absolutè necessaria, & potuisse luce existentiæ nunquam potiri. Recipio nullius intellectum, adeo lusciosum, & suppressa acie fore, vt hæc nulla ratione admitti posse, liquidò non deprehendat.

Francisci Suarij disp. 30. Metaph. sect. 9. n. 37. sententiam, ijdem arietes non concutiunt modò, sed & quatiunt ac funditus diruunt. Quam enim vertibilitatem anteriores prolati proximè Theologi, in existentia actus quo Deus volens constituitur, inuexere; eam Suarius in eiusdem actus prout ad hoc illud ve creatum obiectum porrecti, informatione, siue effectu formali, inducendam censuit, conatu non dispari, id est nullo & planè inani. Quis enim capiat, effectum formalem minus necessariò esse quàm formam? Quis formam quæ tota subiecto insit, non ei conferre suum totum effectum formalem; cum nihil sit aliud effectus formalis præter formam subiecto inexistentem?

VI. Ægrè meipsum exoro, vt placitum Gabrielis Vasques, vel ad examen producam, adeò malè subnixum & ruinosum videtur. Affirmat 1. p. d. 80. cap. 2. diuinam volitionem liberam, non esse nudam actus diuini entitatem, quæ sanè fixa, prorsúsque immutabilis, & in alterutram partem flexilis nequaquam est; sed effectus creati liberè manantis accessione compleri, tanquam partiali cóstituitiuo ad diuinam illam entitatem necessariam adiuncto, quod cum possit esse & non esse, vertibilitatem in diuinum actum liberum inferat qua ex se destitueretur. Perspicit Lector, quorsum à me ægrè impetrarem, hæc vt excuterem. Causa siquidem quatenus liberè causans, præit naturâ, effectui ab ea liberè mananti. In illa igitur antecessione quam mens nostra deprehendit, causa libera, necdum intellecto effectu liberè ab ea prodituro, planè intelligitur in ratione causæ liberæ. Quare nequit per effectum natura posteriorem, constitui ex parte, atque compleri. Oppressus argumenti mole Vasques, contestatur rem hanc esse viatoribus inexplicabilem. At ego contestari insuper ausim, ipsis quoque comprehensoribus inaccessam & incomprehensam fore, quippe manifestissima contradictione implexam. Vt enim quod prius est, quatenus prius est, constitui posteriore quopiam conspiciatur, nullis ac ne beatorum quidem nitentissimis ocularibus, efficias. Dissimulo, pro interna diuino actui libero indifferentia, perperam obtrudi indifferentiam effectus: cum tamen indifferentia, si saluam volumus vertibilitatem liberæ facultatis, in ipsamet & eius actu vestigari debeat, non in eius effectu

extrinseco:

extrinſeco : præſertim cum idemmet externus effectus, aliò quam quò reipſa deſtinatus eſt, liberè dirigi à Deo potuerit; non ſanè per effectum vbilibet eundem, ſed vi actus Deo interni, liberè huc illhúcve collimantis.

Sunt alij præterea in hac re opinationum ſtolones, veriùs quàm rami, quos ſi quis ſubeat, eo inumbretur & tenebreſcat magis. Nec opinationes dico, quaſcunque ingeniorum infœliciter enitentium abortiones. Horret animus quæ percepit effari. Homo apoſtata, vir inutilis, nuperus in Batauia Atheiſmi buccinator; (non ero memor nominis tam tetri per labia mea;) vt ſupra omnes retrò blaſphemos, Deum deſpueret; & quomodò non Sol retraxit radios! non terra mouit! non armata eſt contra inſenſatum, vniuerſa creatura! Liberam Dei volitionem, dixit eſſe nouam entitatem, Deo minimè coæternam, tametſi circa quædam obiecta, ante mundi fundationem à Deo profluxerit per efficientiam veram, cuiuſmodi eſt voluntatis creatæ in actus ſuos elicitos, quorum eſt germana cauſa & propriè dicta. Vah ſcelus! Siccine Dei libertatem placuit retinere incolumem, vt independétiam, æternitatem, ſimplicitatem, puriſſimam actualitatem, omneſque ad vnam diuinas dotes, hac vna teterrimi placiti ſecuri excaudicares? O infelices aures noſtras, (nam iterandæ hoc quoque loco ſunt Hilarij voces,) quæ hos Tartareorum bubonum ferales ſonos, hos vipereorum geniminum ſibilos cogantur excipere. Refugio anguem compreſſum, & tam horrendos afflatus.

VII. Doctorum Catholicorum opinationes præ-

terea varias, potiùs retulerim. His quanquam diuina libertas ita explicetur, vt diuinis quibusuis perfectionibus consulatur; tamen exigua ab eis intellectui quies, lux in tanta caligine, aut pertenuis, aut nulla. Cœcutiunt omnes profectò. Nec mirum, homines sunt. At vt est apud Prudentium l. 2. contra Symmachum sect. 2.

Nos cum diuinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Coniectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenij, tantóque angusta labori.
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei secreta supremi,
Quis dubitet victo fragilem lacessere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore paruo
Turbari, inualidísque hebetem succumbere curis?

In summa, noctem densissimam circa diuinam libertatem, omnium retrò Theologorum ingeniis, tot seculorum decursu incubantem, eámque caliginem spiculo lumine quod hactenus admotum est, ne leuiter quidem depulsum, ingenuè profiteri præstat, quàm luscitiosis nostris oculis abblandiendo, inficiari.

PROLOQVIVM II.

Nouæ lucis ostentatio; nostrum consilium.

I. EXORERE ô tandem iubar micantissimum, & isthæc luminum minutalia, tantæ caligini discutiendæ imparia, ocyùs præstingue. Nouas stellas seculo nostro, siue telescopij subsidio notatas, siue nűc primùm efformatas gratulátur Astrologi. Quid si Sole nouo frui liceat? Enixa Augusti parens, visa coniugi Solem fudisse, vt ex anterioribus scriptoribus prodit Constantinus Manasses num. 72. Error fuit, & emotæ mentis hallucinatio. Prodiisse è matris vtero Solem ante Orum suum, indice digito labiis adhærente, ferunt Ægyptij, referente Photio Cod. 242. Ægyptij sunt, quorum proprium quarto modo est fabulari. Non error, non fabula est quod dicam. Solem nouum de Theologico cœlo, affulgere ætati nostræ inaudiens, omnibus incedo lætitiis. Quid enim aut ad vsum aptius, aut ad posteritatis memoriam gloriosius, quàm contrucidata tot seculorum nocte, illuxisse denique nouæ doctrinæ beneficio diem, qua non modò inaccessum illud diuinæ libertatis adytum, sed & abditissima quæque Theologicarum difficultatum spelæa, conspicari propalam, & peruadere liquidò liceat? In Christi Domini libertate cum impeccabilitate solidè concilianda, vbi hactenus ingeniis omnibus

fixa crux; in gratiæ efficacis quantumcunque ineluctabili prænotione, incolumi creatæ voluntatis libertate, tandiu à tam multis tanto studio hactenus irrito, indagata fœderatione, nullo in posterum labore defungi; si commendatione dignum, si eximium, si præclarum dixero, detriuero tenuitate vocum præstantissimi inuenti decus, & nunquam satis cumulatam eius laudem, arrosisse, non supergressus esse videri potero.

II. Et sunt qui posterioris æui fæces obiiciant, anterioris laudum nunquam saturi? Sunt qui ingeniorum parentem naturam, veluti anum effœtam, sterilescere calumnientur? Excuset sane mundi senium apud Demetrianum Cyprianus; neget illis viribus stare orbem quibus priùs steterat, quia grauis æuo fatiscit. Addat hinc esse, quod *non hyeme nutriēdis seminibus, tanta imbrium copia est; non frugibus æstate torrendis, tanta Solis flagrantia: Nec sic verna de temperie sua, sata læta sunt; nec adeò arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minùs de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ; minùs argenti & auri opes suggerunt exhausta iam metalla; & pauperes venæ breuiantur in dies singulos ac decrescunt. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia,* IN ARTIBVS ac disciplinis PERITIA, *in moribus disciplina.* Excurrat quod continenter facit, in Solem, radios in occasu minùs claro splendore iaculantem; in Lunam, declinante iam cursu exoletis cornibus tenuatam; in arborem ante viridem ac fertilem, postmodum arescentibus ramis sterili senectute deformem; in fontem exundantibus priùs venis largè ac copiosè pro-

fluum, præ senio vix modico sudore distillantem: Ex-patietur per humanas ætates inter quas senectus non perinde vt priùs vigeat auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore, succo viscerum, mole membrorum: Eo in campo quam latè patet facundiæ quadrigã agitet, homo eo in genere exercitatissimus, vt ad metam illam pertingere denique liceat; *quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat.*

Hoc vt in terrenis ac corporeis rebus quæ æui processu euigescunt, causari liceat; in rebus materiæ concretione liberis, humanis inquam mentibus ac ingeniis, sanè non licet. Apage igitur fastidiosas illas voces. *Ingeniorum parens natura, veluti anus effœta, desiit parere.* Infrequentiùs illa quidem, eximios ingeniorum fœtus edit, subinde tamen edit, pensante numeri damnum sobolis dignitate, exemplo nequaquam singulari. Centenarius elephanti partus, quotidianam gallinæ chortalis fœturam, immensum quantum superat, vt vel comparationem omnem excludat. Ad eum modum eximiorum ingeniorum parens, infrequenti pastione, diu gestatum, diu aluo conclusum fœtum, per longas moras ægre absolutum enititur, impactam infœcunditatis labem, egregiæ sobolis sera in lucem eductione abstergens. Hoc ætati nostræ contigisse, gratulemur. Hoc est quo aiebam adduci me, omnibus vt lætitiis incederem.

III. Quid tamdiu Lectorem moror, & dum qualibuscunque præconiis rem tantam onero, defixum tarda exhibitione eius animum, longa expectatione fatigo? Nouus Doctor, nouo opere DE LIBERTATE

DEI ET CREATVRÆ, decupla approbatione munito, pereleganti, ornato, luculento, omnem tantarú quantas attigi difficultatum implexitatem, ex non satis perspecta vel ignorata libertatis nostræ natura, enatam statuit. Si enim libertatem creatam, non vt hactenus vulgo Theologorum ac Philosophorum visum est, sed vt illucente recens diuino radio tandem est deprehensum, in eminentia & amplitudine ex adhæsione cum Deo, sitam dicamus, omnis illa nubium moles protinus soluta euanescet, caligo vniuersa dispelletur. Agnoscendum est quod Scripturæ produnt, & Patres contestantur, creaturas scalam esse qua ad Deum subuehi liceat. Itaque per humanam libertatem ritè aptéque expositam, ad diuinam libertatem perspiciendam nullo negotio efferemur, auspiciis noui Doctoris; & & eam non angustis finibus coercebimus externarum operationum, vel has duntaxat spectantium internarum Deo actionum, sed quàm latè patet vita diuina, diffundi non erit obscurum. Sunt in Deo processiones æternæ immanentes, quibus à Patre Verbum, ab vtroque Spiritus sanctus, necessariò & immutabiliter oritur. Sunt & æterna decreta de condendis in tempore creaturis, & deriuando in eas stillicidio quopiam diuini esse fontalis, infinities & inexhaustè participabilis. Vtraque ex parte liberrimum esse Deum, facile est deprehendere, gradiendo per vestigia hactenus in creaturis signata, gressusque Doctoris relegendo. Adhæret enim sibi semper Deus, nec à se vnquam diuelli potest. Quicquid vult amat, prosequitur, in se vno, quin potiùs in eis seipsum prosequitur. Est igitur Deus, &

ad intra, & ad extra liberrimus.

Habet Lector abſtruſiſſimarum implexitatum expeditam à non Doctore euolutionem, nec ſine ſuperpondio quoad Deum. Nam cum de eius tantum libertate circa res creatas quæſitum hactenus eſſet, eiúſque cum immutabilitate conciliatio, deſperanda pleriſque per nos videretur; quod multo operoſius erat, ac ne deſiderio quidem languido expetitum, obtigit: vt ſcilicet diuinarum quoque internarum proceſſionum germaniſſimam libertatem perſpicere liceret. Vt minus ſanè mirum ſit, inde conſpicuam eſſe Chriſti Domini & quorumuis beatorum, tametſi extra labendi aleam conſtitutorum, pleniſſimam libertatem: Et gratiæ quæ tamdiu Theologorũ torſit ingenia, quanquam prædeterminantis & ineluctabiliter ad operandum adigentis cum voluntate libera conſenſionem, indidem patere liquidiſſimò. Hi omnes difficultatum antehac imperuiatum receſſus, prælucente vna illa libertatis conuenienter expoſitæ facula, adiri inoffensè, ac penetrari nullo negotio poſſunt; vt non ſit vltra neceſſe, intellectus noſtri circa diuina hebetudinem deplorare; aut quod non nemo, & quidem è maiorum gentium Theologis, antehac fecit, in ſeram fœlicitatis æternæ lucem, tantarum tenebrarum diſcuſſionem protrahere.

IIII. Tam porrò perſpicuè ac ſolidè à ſe propoſitam atque firmatam, eam libertatis notionem qua reliquus proceſſus nititur, affirmat laudatus mihi autor nouus, vt qua eſt in pronunciando de rebus ſuis modeſtia, dicat; diu ac multum quærenti ſibi, quid obiici

cum aliqua probabilitate queat, occurrisse nihil: & vix esse patet in vniuersa libertatis facie quam posuit ob lectorum oculos, & in sua propria ac natiua specie inspiciendam dedit, quod æqui censores reprehendant. Tantam certè esse, & tam aptam, omnium quæ tradit, cohæsionem existimat, vt vel nexus ille atque iunctura vniuersorum, fidem faciat, non mendacem: & suppositiam, sed veram ac germanam libertatis notionem esse, quam ipse assignat, etiam si nullæ aliæ probationes præsto essent. Inde tandem doceri nos, diuinum munus libertatis quale quantúmque sit, deprehendere; & magnificè de eo ac pro tantæ rei dignitate sentire; quandoquidem non humile quid vel humi abiectum est libertas, sed ipsa eminentia, ipsa amplitudo.

E contra verò à recentioribus nonnullis, (& laudat passim in hoc albo, Ludouicum Molinam, Gabrielem Vasquez, Franciscum Suarem, Leonardum Lessium,) adeò sublime munus, mirum quantum obscurari & attenuari visum est. *Eam quippe libertatem confinxere*, appendo verba autoris ex libri primi præfatione, *quæ Deo propemodum aduersetur, quasi iugum eius indignata; eam quæ cum gratia non conueniat, eam quæ sine peccato intelligi vix queat. Ita vt quia Christus singulari priuilegio peccare omnino non potest; vel prouidentiam Dei non omnia quæ eius sunt amplecti arbitrentur, vel ipsum circa illa eadem, libertate non potiri; quasi vt illum cogitent liberum, minus subiectum Patri esse oporteat. Ita* TENVEM ET MACILENTAM *libertatem effecerunt, vt cum ab antiquis conciperetur tanquam suspicienda verè* αὐτεξουσιότης, *sui potestas, vis nimirum indomita & diuina, qua creatura*

rationalis

rationalis sibi omnibúsque dominatur, eo dominio quod est omnium ordinatissimum & nobilissimum, proindéque quod & Deo subiectum est, & Deo soli; ipsi pro libertate adinuenerint NESCIO QVAM IEIVNAM ET EVANIDAM POTESTATEM, *ad ea quæ Dei ordine non continentur, (si quæ tamen huiusmodi sunt,) prout fors tulerit, excurrendi. Ac demum, cum reliquæ omnes perfectiones eo cumulatiores sint & lætiores, quo principio suo magis accedunt: ista tamen, si illis credimus, vbi ad Deum perfectionis omnis scaturiginem per gloriam reducitur, euanescat, & nulla sit.* Addit Autor, obstupuisse profectò se, homines sapientissimos & doctissimos, *tam magnificè tamque diligenter, nihil dixisse.*

V. Verùm hæc, leuia & nulla, si lubet, habentor, præ captata quam iisdem impingit, non libertatis creatæ incolumitate, vt obtenditur, sed reuera exsolutione à diuino dominio. Quod enim obtrudant recentiores prædicti, vsum scientiæ mediæ in libertatis negotio; *De eo ferè constat*, inquit Autor l. 1. c. 23. n. 1. *facere id quidem specie tenus, vt libertatem hominis sartam tectam tueantur: reuera autem* NON ALIA CAVSA, *quàm quia sentiunt, Deum libero hominis arbitrio non perfectè dominari: sed vt arbitrium nostrum liberum sit, à diuinæ etiam potestatis iugo, aliquantisper liberum, & solutum esse debere.* Non potuit apertiùs, Molinam, Suarem, Lessiũ, quos ibi nominatim impugnat, læsæ diuinæ maiestatis, & quidem in primo ordine, reos agere. Quid quod eosdem *stylo ac mente dicere, gratia Dei destitui libertatem*, intrepidè obijcit l. 1. c. 30. n. 6. & cap. 1. n. 5? Ex qua areola iuuat hoc sertum decerpere. *Non possum satis*

mirari, recentiores quosdam tam ægrè ferre in libertatis nostræ descriptione subiectionem illam ad Deum, & quibuscumque possunt artibus submouere illam: quasi velint libertatem nostram, sicut & Dei libertatem, esse indifferentiam absolutam ad agendum & non agendum, non temperatam ordine ad finem· immemores, nos esse creaturas, principio & fini obnoxias. TANTINE VERÒ EST FACERE NOS LIBEROS, VT FACIANT ALIQVA RATIONE ET SACRILEGOS? *Libertatem nostram, eximium & singulare Dei donum, secundùm quod ad imaginem Dei creati sumus, diuino dominio subtrahant, nec dicere erubescant, nihil Deo cum ente morali? Physica quidem & metaphysica omnia entia, ab ipso pendent, at non morale. Quænam obsecro* PEREGRINA ILLA DOCTRINA, AC NOVA LIBERTAS EST, QVÆ DEVM NESCIT? *Ergóne ita liberi esse volunt, vt nec Deum velint habere Dominum? Ergóne ita malè de Deo existimant, vt quod ab eo per creationem effluxit, per gubernationem eius aut amittatur, aut fatiscat, sitque Dei dominatio creationi contraria?* Itaque en genus humanum per hanc nouam & peregrinam Suarij, Lessij, & similium recentiorum doctrinam, Deo rebelle atque sacrilegum. Et miramur concitari autorem in huiusmodi doctrinæ virus, ac ea ipsa verba quibus Augustinus l. de spiritu & lit. c. 34. tumorem Pelagianum Deo subiici detrectantem contundit, in eius propolas intorquere? Nominatim verò vapulat ab eo Gabriel Vasques l. 1. c. 31. n. 5. quod violarit sanctitatem doctrinæ quæ negat libertatem ferri in peccatum. Et ibidem c. 32. n. 14. *quod Sanctissimorum virorum & Doctorum grauissimorum autoritate contempta, in re in qua vel verba*

ipsa modúsq; loquendi penè horrorem incutiunt, DOCTRINAM PRODIGIO SIMLEM sit commentus, docens potentiam peccandi à Deo esse.

VI. Minus mirum videri debet, Autorem in iis quæ Dei maiestatem tam propè attingunt, sic concitari, qui suum pro veritate æstum, circa placita à periculo remotiora, tam sæpè prodat. Longum sit referre quàm olida aspergine perfundat, imo qua censurarum securi excaudicet, falsa (vt putat,) placita nec paucorum nec ignobilium Doctorum. Cuiusmodi est sententia de aliquibus actibus humanis in indiuiduo indifferentibus, quam seuerissimè flagellat l. 1. toto c. 13. & quæ Deum spatiis imaginariis inexistere tradit, in quam efferuescit l. 2. c. 1. n. 1. Quæ diuinæ volitionis rationem aliquam profert aut inuestigat, quam castigat l. 2. c. 22. n. 14. Quæ in mediis bonitatem aliquam respectiuam agnoscit, terminatiuam amoris; à qua tanquam ab impura & luculenta, cauendum decernit l. 1. c. 11. n. 2. quæ damnatis ac dæmonibus, aliquid agendi vel non agendi libertatem tribuit. Vnde collidi scripturas ac Patres expostulat l. 2. c. 28. alibíque non semel.

Sed nullibi magis, incensus ac præferuidus Autoris pro veritate zelus proditur, quàm in eius placiti suffixione quod scientiæ mediæ vsum aliquem ad prædestinationis negotium, & diuinam de salute nostra prouidentiam agnoscit. Quanquam hallucinor, qui nudæ veritatis incensum zelum hac in parte ineo celebrem: Et hic quoque violatam Dei maiestatem vlturus armatur l. 1. c. 23. his præter cætera. *Qui Deum ad decreti operisque sui certitudinem, obligant rimari cordis*

humani recessus, & quærere extra se, diffisum suæ omnipotentiæ, humanæ illum imbecillitati subijciunt: & vt fidem faciant ex eo se metu id imaginatos, identidem istud inculcant, hominem turrim ædificare volentem, computare sumptus qui necessarij sunt. Et qui estis vos qui iudicatis Deum? limites illi ponitis quos præterire nequeat? Cui similem fecistis altißimum? aut cui adæquastis eum? Longum cum Deo ex Scripturis aceruatis colloquium, obsignat tandem hac clausula. *Qui ita sentiunt de te Domine Deus meus, vt velint attendi ad se, priusquam quicquam de illis statuas etiam boni, vias suas bonas, nolunt esse prorsus tuas. Tribuunt sibi initium salutis suæ, & post Pelagianorum hæresim & reliquias, Ecclesiæ tuæ iudicio seuerè damnatas,* AMOR PROPRIÆ EXCELLENTIÆ, ET SIBI ALIQVID TRIBVENDI INSANVS ARDOR, *in hunc se locum tanquā in tutissimū recepit asylum, vt sub obtentu sapientiæ tuæ, in morem prudentiæ filiorum Adæ conformandæ, gratiam tuā,* ETIAM VOCATIONIS PRIMÆ, *etiam electionis æternæ, non constare credant, nisi nostrum aliquid in mente tua præcesserit. Eo quod spiritus est in gratia, & quasi gratiæ gratia & decus, energiam scilicet & efficaciam, non tuæ aut vocationi aut gratuitæ electioni, sed homini ipsi deputare non erubescunt. Absit à me Domine, absit, sic de te sentire, sic de me præsumere.* Dixeris, non Suarem, Lessium, Molinam, quos nominatim eo capite exagitat, sed Pelagium, Cœlestium, Iulianum Celanensem, eiusve furfuris quempiam alium, ab autore feriri, hac tanta vehementia & acerbitate orationis.

VII. Illud verò maximè, Autori est in singultum atque cordolium, pro zelo suo diuini honoris, ac incenso quo flagrat studio veritatis, quod vt l. 1. c. 36. n.

4. ingenuè aperit, exorto nouo iubare quod ipse terris intulit, dilexerint homines magis tenebras quàm lucem. Et falsitatem quidem huiusmodi sententiarum deprehenderint, *ideò tamen deserere non placuerit, quia iam ante defenderant. Rarißimos enim reperire est, qui D. Augustini summam humilitatem imitati, sententias suas & placita coram vniuerso orbe retractare & condemnare parati sint. Viderunt certè rationes, quibus hæc doctrina fulcitur, &* PERSENSERVNT EARVM PONDVS; *nec latere eos potuit, in sua sententia, gratiam ad quam potißimùm attendendum fuerat, supponi naturæ, non præponi, non mediocri creatoris iniuria; & creaturam esse quæ cum præcipienti & monenti acquiescere lubet, à contumaci se discernit; scilicet prorumpens in opus, monita quidem à Deo, sed non mota. Nec ignorant quicunque ita sentiunt, auferre se à Deo, quicquid est eximium in creatura; actum secundum videlicet, qui causæ secundæ complementum est. Et cum id faciant in omni causarum & operationum genere, tum verò studiosißimè exequuntur in causis liberis, quando qua tales agunt. Non possunt profectò non aduertere quod expressè docent; essentiam & facultates inesse nobis immediatè à Deo, at electionem competere nobis à nobis ipsis. Et cum D. Augustinus & Theologi vnanimiter eum secuti, duo tantùm distinxerint; quædam quæ fiunt à Deo in nobis sine nobis, quædam quæ fiunt à Deo in nobis nobiscum; se tertium membrum non minus stupendum quàm inauditum adiecisse; eorum quæ fiunt in nobis, & à nobis, sine Deo. Viderunt & alia permulta prorsus absurda,* VT NE QVID PEIVS DICAM, *quæ ex hac sententia manifestißimè consequuntur.* SED EST TANTI SIC SENSISSE. His corollariis vt ad-

dit numero 6. *quid absurdius, quid magis paradoxum, quid magis ridiculum, quid magis intolerandum?* SED EST TANTI SIC SENSISSE.

VIII. Ohe iam satis est; etiam plusquam satis, suffixionum, sannarum, censurarum, patiente aure ebibitum. Semper ego Auditor tantum? Nunquam ne reponam? Minimè sanè, qui illud Origenis aduersus Celsi impotentiam, altè pectori infixum geram. *Maledicta conuitiáque iaculari, non est disputatoris, sed plebeium & indignum Philosopho vitium,* (Theologo, cóque huius farinæ, & cum talibus agente, multo indignius: sed pergo cum Origene:) *& furoris indicium; cum deberet rem propositam examinare candidè, & quantum fieri potest, nihil alienum ab ea dicere.* Hæc sapienter planè Origenes, in calce libri primi aduersus Celsum, quæ Christianum disputatorem tenere mordicùs, omnino consentaneum est. Nec illud animo excidit, quod aduersus Petiliani lædorias, sapienter à D. Augustino obiectum est l. 3. c. 1. *Si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici essemus, vt ij qui nos legerent, alij detestatos abijcerent sana grauitate, alij suauiter haurirent mala voluntate?* Subijcit sapientissimus Pater de more ac vsu suo, quem expressum à me imitatione potiùs quàm verbis velim. *Ego quando cuique vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive consulens, non ago vt efficiar homini conuiciando superior, sed errorem conuincendo salubrior.*

IX. Hoc mihi cum aduersario agenti qui fœnum

in cornu habet, sanctum esto. Criminationes ille quidem in nostra placita intorquet, adeò aculeatas, vt nihil horridius; adeò asperas, vt nihil atrocius; adeò nulla veritate subnixas, vt nihil ad calumniæ prodigalitatem desit. Pelagiani enim audimus, & violatæ diuinæ maiestatis non vno ex capite arcessimur, insano ardore propriæ excellentiæ agitati dicimur, & reliquis verborum sordibus conspergimur, quas ne mihi ipse vltrò affricem, sciens non itero. Idque totum, ex illo scilicet coenosissimo fonte in nos dimanat, quo statuimus libertatem esse agendi & non agendi potentiam, vel esse facultatem quæ possit in hoc aut illud ferri pro libito. His omnibus surda aure exceptis, vnum esto studium meum, veritatem doctrinæ propositæ, vt Theologos decet, solidè, vt Christianos, quamuis lacessitos, sedato & tranquillo animo excutere.

Quantum verò per accuratam & seriam nouæ huius doctrinæ disquisitionem deprehendo, eo collineandum est, vt creatæ libertatis germana notio statuatur. Ea si ritè ab autore posita est, stabunt omnia noua & inaudita quæ illi superstructa, de beatis, de damnatis, de Christo, de Deo ad intra liberrimo, referebam. Illo disiecto fundamento, vniuersum nouum ædificium collabi necesse est. Quare hinc auspicari, non operæpretium duntaxat videtur, sed etiam necessarium.



PARS I.

Discussio nouæ sententiæ de natura libertatis.

I. AVSCVLTANDVM est Cassiodoro in calce præfationis ad librum de anima. *Oportet priùs nominum similitudines quasi ramos obuiantes abscindere, ne semitam disputationis nostræ, vocabularum consonantium sylua, vmbrosis imaginibus videatur intexere.* Oportet inquam, de qua libertate agendum nobis incumbat, præmittere. Potest enim *libertatis* nomen, (quod latè tradit Ocham in 2.q.19. *litera K*, Castro. V. *Libertas* hæresi 1. ac Pennotus l.1. propugnac. c.3. & infra apertius erit,) variis admodùm significationibus minùs propriis & latè dictis vsurpari: nempe pro exsolutione à seruitute alteri homini addicente, quæ dicitur *libertas ciuilis*: pro exemptione à seruitute peccati, quæ dicitur *libertas gratiæ*; pro segregatione à corruptione & miseria, quæ vocatur *libertas gloriæ*; pro immunitate à coactione, quam vocant *libertatem complacentiæ*, vel *libertatem naturæ*. Omnium verò consensu, ea est libertatis acceptio pressa

pressa & genuina, qua designatur omnimoda exemptio à naturali & extrinseca determinatione, cum potestate agendi & non agendi; quæ exemptio atque potestas, est fundamentum moralitatis, atque adeò etiam meriti & demeriti, implantatorum moralitati: Hunc enim esse veluti characterem quo internoscantur & distinguantur actiones laude aut probro dignæ, scitè dixit S. Basilius in Psal. 33. ad illud, *iste pauper clamauit.* Simile D. Hieronymi dictum, agnoscere se, & toto corde suscipere, ait D. Augustinus l. de natu. & grat c. 65. Ratione idem confirmat Angestus c. 6. moral. textu. 1. Seposita ergo quauis alia voci *libertatis* interdum subiecta notione, de ea sola agendum est, quam dixi esse propriè & presè acceptæ libertatis: hoc est de ea quæ fundat moralitatem, & progerminans ex ea meritum atque demeritum.

II. De hac ipsa propriè dicta libertate, moralitatem ac germina eius fundante, sermonem sibi esse, disertè profitetur autor nouæ sententię l. 1. c. 1. n. 1. *in fine.* Contestatur enim tractare se de ea libertate *quæ præexigitur ad meritum siue bonum siue malum, & secundùm quam præmio vel laude digni sumus, cuius defectu peccatum nullum admittitur, nullum opus moraliter bonum exercetur.* Et quanquam huius propriæ acceptæ libertatis constitutiuum, negat esse quod omnes hactenus protulerunt, siue dominium proprij actus, siue actiuam voluntatis indifferentiam, siue potestatem agendi aut cessandi ab actione positis omnibus prærequisitis, aut etiam agendi contrarium: Tamen libertatem propriè dictam, eam esse quæ moralitatis & germinum eius,

hoc est meriti & demeriti fundamentum est, pro certo habet, & de ea se agere toto opere contestatur citato loco. Quam verò esse velit rationem huius libertatis formalem & constitutiuam, quandoquidem iuxta ipsum, anteriores omnes quotquot de libertate philosophati sunt vt de facultate versatili & ad vtrumque indifferente, ab ipso ostio aberrarunt, aperiendum ante omnia est, vt ordinatè procedamus.

CAPVT I.

Typus nouæ sententiæ, eiúsque firmamenta.

I. STATVIT inprimis autor, & diffusè variis capitibus explicat, libertatem propriè dictam, quæ scilicet est moralitatis fundamentum, posse & causaliter & formaliter definiri. Et quanquam propositum illi est, libertatem vniuersè exponere, tam prout Deo, quàm prout creaturis competit: Tamen quia creaturæ sunt nobis notiores, & hæc iuxta Bernardum est scala mundi qua ad inuisibilia Dei pertingimus, idcirco libertatis definitiones & partitiones aperit primùm in creata libertate, inde assurrecturus ad increatam.

Radix noua libertatis, subijci, vel adhærere Deo.

Definitionem libertatis causalem, autor l.1.c.34.n.1.& l.2.c.14.n.2. hanc proponit ex Augustino epist. 89. *liberum est quod subijcitur Deo*, nempe immediatè, & non

vt brutæ animantes, quæ Deo ſubiiciuntur duntaxat per hominem, ſed immediatè ac per ſeipſum. Quod enim propriè liberum eſt; non per alterum, ſed ſeipſo ſubiicitur Deo, & tanquam efficienti principio, & tanquam fini. Tanquam principio quidem, eo quòd ſinat ſe ab illo moueri; nec ita afficiatur, vt velit proprio motu, propriáque vi; rebus agendis intendere. Tanquam fini autem, quatenus ad Deum rectà tendit in ſuis appetitionibus, nec aliò diuertit motionem diuinam, quàm ad principium vnde prodiit. Quanquam autor l. 2. c. 12. n. 2. ſubiectionem ad Deum, vt ad efficiens principium extraneum ſtatuit cauſationi libertatis eo quòd ſubiectio illa ſit tantùm ſubiectio; & per eam creatura ab vniuerſitate & amplitudine quàm ante ſecula in Deo habuit tranſeat ad particularitatem & limitationem quam in proprio ordine nanciſcitur. Eam ergo ſubiectionem ſolam, ait eſſe radicem libertatis, quæ eſt ſubiectio ad Deum vt ad finem; eo quòd hac ſubiectione, creatura à particularitate & limitatione proprij ordinis, tranſeat ad vniuerſalitatem & amplitudinem ordinis diuini ac increati. Nam quãto magis Deo vt fini ſubiicimur, tanto ad eum accedimus propiùs, & ab anguſtiis noſtris recedentes dilatamur, donec omnem tandem exilitatem noſtram deponentes, plenéque ſupergredientes proprium ordinem, eandem ferè amplitudinem recuperamus, quam præhabueramus in Deo ante ſecula.

Hæc igitur eſt iuxta autorem, radix libertatis, ex qua compingenda eſt cauſalis definitio libertatis. Eam porrò ſubiectionem ad Deum, duplicem eſſe, ſtatuit

l. 2. c. 28. n. 6. vnam quam ipsi operamur; alteram quam operatur Deus. Prior est, qua recedimus à creaturis ex Dei amore, ac ex desiderio sistendi & restituendi nos Deo. Posterior est, affectus ille quo volumus nos ipsos tradere in manus Dei. Vtraque, sed hæc præsertim posterior, subdiuiditur trifariam. Vna quippe est secundùm voluntatem; altera secundùm esse; tertia tanquam membri ad caput, qui sunt totidem libertatis fontes, & totidem capita vnde varij modi perfectæ libertatis dimanant.

Eiusdem noua quidditas, eminentia & amplitudo.

II. Iam verò liberum formaliter, illud est quod in summa amplitudine versatur, ad quod subiectio hactenus exposita, proximè disponit. Subiectio enim, quod autor l. 2. c. 14. n. 2. obseruat, via est ad libertatem, non ipsa formaliter libertas, cui potiùs opponitur, cum libertas sonet independentiam & amplitudinem, quæ subiectione excluditur. Formaliter ergo libertas, iuxta autorem, est amplitudo, ad eam quam proposui subiectionem consequens. Nam quamuis quod Deo subiicitur, ob immutabilitatem quam induit, non sit liberum à necessitate, (nisi à necessitate limitationis ac dependentiæ, quæ illud ad finitum aliquid coarctaret, statueretque dependens ab externis:) Tamen sufficienter intelligitur liberum, in ea vocabuli proprietate quam verè sonat libertas. Creatura namque Deo subiecta, ob eminentiam & amplitudinem quam in Deo consequitur, propellit à se abiectionem ad creata, atque adeò seruitutem: quod est potiri verissima & propriissima libertate, quandoquidem libe-

rum, ex anticipata omnium notione, seruo opponitur, non autem necessario, vt autor notat l. 1. c. 34. n. 3. sicut libertas, non necessitati, sed seruituti opponitur, quod autor frequenter inculcat, & nominatim l. 1. c. 6. n. 2. & 10. ac 12. contra quàm imaginati sunt recentiores; qui non attenderunt, necessarium opponi contingenti, non autem libero. Ex quo factum esse addit autor, vt libertatem frustra quæsierint in indifferentia absoluta agendi & non agendi, vel agendi oppositum, cum libertatem exponere oportuisset per adhæsionem ad finem vltimum, cui adhæsioni annectitur indifferentia circa media seruato ordine finis. Est ergo libertas formaliter & quidditatiuè, eminentia & amplitudo, ex adhæsione cum Deo fine nostro, excludens seruitutem ad res creatas.

Hanc libertatis notionem, autor l. 1. toto c. 1. à n. 2. & plenissime à c. 3. confirmat, partim directè, prolatis non iam spicis aut manipulis, sed aceruis testimoniorum è Scripturis, Patribus, Philosophis, Scholasticis; prolatis item rationum multiplicium firmamentis. Partim indirectè, siue elisione vulgaris sententiæ, quæ libertatem statuit in potestate agendi vel non agendi positis omnibus ad actionem prærequisitis: Sed maximè monstratis immanibus difficultatibus, quæ in præcipuis Theologicæ doctrinæ capitibus, circa Deũ, & Christum, ac humanam voluntatem, deuorandæ sunt ei qui in antiqua illa & vulgari libertatis notione perstare velit; cum tamen noua hac sententia supposita, clarum sit, omnes illas difficultates euanescere. Hæc omnia distinctè infra ac sigillatim proponentur;

& hunc tanquam eximium laboris ab autore circa libertatem collocati fructum, exhibet panegyricus secundus ad eius opus. Sic enim habet, post proscissam indifferentiam Peripateticam adolescentioris scholæ. *Tanti interfuit non ignorari, nil ad nostram, quâ vel bona vel mala est, voluntatem, illam æqualem animi librationem pertinere; vt ex hac potissimum hallucinatione, in vitam animæ quæ gratia est, ἀμφισβητήσεις quæ Theologorum animos etiámnum distrahunt, dimanarint.*

Vel etiam Deificatio.

III. Alio præterea verborum cortice, reuera tamen eodem sensu, supra hymettia quæuis & hyblæa mella sapido, eandem germanam libertatis propriè dictæ notionem proponit autor l. 1. c. 34. n. 2. & 7. latéque l. 2. c. 27. Quia enim libertas, formaliter & intrinsecè sita est in eminentia & amplitudine prædicta, idcirco ait libertatem esse formaliter & quidditatiuè deificationem. Homo quippe seruitutem imò tyrannicum iugum creaturarum omnium excutiens, & fælici ad Deum adhæsione adipiscens libertatem, transit in Deum, & vnus cum eo spiritus est, iuxta Apostolum 1. Cor. c. 6. vnde eminentiam & amplitudinem infinitam consequitur; qua, sicut Deus in quem transformatur, non tam omnia habet, quàm est; omnibus vtitur vt superior ac Dominus, quatenus ea ad finem suũ conuertit, quod est esse αὐτεξούσιον. Et quamuis conuersionem illam ad Deum solus Deus in nobis efficiat sine nobis, tantúmque in ea sinamus nos trahi: tamen idcirco in ea efficienda moueri à nobis dicimur, quia mouemur à Deo, cum quo vnus, & vnum sumus.

Papæ! quanta libertatis excelsitas, quanta maiestas & sublimitas, hoc nouæ doctrinæ telescopio deprehenditur, abiecta exilitate illa indifferentiæ actiuæ, aut potestatis in actum suum, penes quam limis aut lusciosis recentiorum oculis, ratio libertatis proponebatur exsucca & macilenta, vt autor expostulat; insigens non vno loco, libertatem esse perfectionem, secundùm quam homo ad imaginem Dei conditus est, & secundùm quam homo, omnia non tam possidet quàm est: ac proinde supremam quandam eminentiam & infinitatem adipiscitur, ratione transitus à paruitate creaturæ ad diuinam amplitudinem. Ex quibus liquet, donari libertate, idem esse quod deificari; & vicissim deificari, idem esse quod donari libertate.

Ita magnificentissimè de creata libertate autor: qui vt penitiùs suum hoc placitum de libertate formaliter deificante persuadeat, l.1.c.27. triplicem omnino modum deificationis, atque adeò etiam veræ libertatis distinguit. Primus continetur subiectione & demissione omnimoda humanæ voluntatis ad diuinam. Secundus participatione diuinæ naturæ. Tertius vnione hominis tanquam membri, cum Deo vt capite in idem corpus, quæ & incorporatio dici potest. Duo priores modi, sunt libertatis qua liber est ipsemet Christus. Regustemus breuiter singulos.

IIII. Primam illam deificationem ac libertatem, Ethnicis quoque Philosophis, & inter eos Stoicis, ac in his Senecę maximè, ac Epicteto innotuisse, obseruat autor, prolatis locis eorum compluribus quibus disertissimè traditur, hominem si Deo adhæreat cúmque

imitetur, liberrimum, felicissimum, Deo simillimum, ac Deum quadantenus, euadere. Sanctiùs etiam ac fortiùs id tradunt SS. PP. Augustinus præsertim, qui humanam voluntatem, quo Deo fit subiectior, eo liberiorem esse contestatur. Addit autor, subiectionem illam nostram ex amore, ad summum veluti verticem efferri, atque adeò obtineri florem primæ illius Deificæ libertatis, cum non modò omnia propter Deum, sed etiam in Deo amamus. Qui natiuus ipsi Deo creaturas amandi modus, (nec enim Deus amando extra se peregrinatur,) sanctis abiecto hoc corporis ostreo ad perfectam libertatem subuectis ac deificatis, fit proprius iuxta autorem: & idcirco expostulat, ab iis violari sanctos non mediocri iniuria, qui satis magnificè sibi sensisse videntur de sanctorum amore, si statuant, eos omnia amare propter Deum, etiamsi ea ament præter & extra Deum: cum tamen pura & iniuriæ in sanctos expers de eorum amore sententia, omnino ferat, beatorum voluntates, totas in Deo quiescere, ac veluti immergi, condíque in eum penitissimè, nulla ipsarum parte inde abstracta, vt extra illam veluti fornacem frigescat.

Secundam Deificationem & libertatis adeptionem, quæ diuinæ naturæ participatione constat, autor Patrum suffragio & scripturis expressissimis confirmat. Homines enim per gratiam Deo nasci, & in filios excelsi ac Deos transcribi, decantatissimum est in sacris literis & Christianis Doctoribus.

Tertiam denique & longè intimiorem Deificationem, sitam in vnione fidelis tanquam membri cum

Christo

Christo capite in vnum corpus, vnámque personam, eruit autor ex Apostolo, iuxta quem, omnes nos sumus vnus Christus; quia per gratiam diuinitus indultam subijcimur Deo, non tantùm prout domino ac patri, (sicut olim Adam, qui idcirco quasi per se ac separatim spectatus, non in Christo iustus erat,) sed verè vt capiti, & tanquam membra Christi, in quo proinde sancti efficimur, & deificamur, donamúrque libertate longè sublimissima, hoc est non libertate puræ cuiuspiam creaturæ, sed ipsiusmet Christi, Dei & capitis nostri, cuius portiones quædam, & membra sumus. Non me contineo, quominùs autori, adeò excelsæ, adeò deificæ de libertate doctrinę, elogium pangam ijsdem vocibus quibus approbator Auranus. *Quantus sit is qui hæc conscripsit, cogitate, qui vt homines faceret liberos, fecit diuinos.*

Hactenus ex autore libertatis definitio, cum causalis per subiectionem ad Deum, tum formalis duplex, nempe per amplitudinem & deificationem. Penes varias porrò eiusdem amplitudinis & deificationis considerationes, autor duplicem profert libertatis partitionem. Priorem lib. 1. c. 2. in libertatem quoad statum, & quoad actum. Posteriorem lib. 2. c. 15. in libertatem initialem, siue orientem, progredientem & consummatam.

Prior noua partitio libertatis, quoad statum & actum.

V. Prioris partitionis ratio non est obscura. Potest enim libertas in voluntate creata considerari bifariam; nempe quoad statum & quoad actum.

Vtrumque ex dictis illustratur. Quod voluntati creatæ confert formaliter libertatem status, est beata illa dilatatio quæ subiectionem ad Dei infinitatem consequitur. Ea quippe subiectione, homo transiens in Deum, eiúsque infinitam amplitudinem, supereminet creaturæ cuicunque, & à rebus omnibus solutus ac independens redditur, quod est nancisci statum liberrimum. Quod si voluntas omnibus effecta superior, & infinitatem quandam ac sublimissimam eminentiam & amplitudinem adepta, descendat ad inferiora assumens ea vt media, reuocánsque ad Deum finem suum; tum demum libertatem exercitij sortitur, quæ partus quidam est eius libertatis quæ ad statum pertinet. Itaque creatura quatenus adepta amplitudinem & eminentiam per adhæsionem cum Deo, fit libera formaliter libertate status: quatenus verò agit intra terminos adhæsionis ad Deum & dimanantis ab ea amplitudinis, nullatenus ab ea in agendo recedens, libertate exercitij potitur siue libertate actus. Quanquam iuxta autorem, non actio tantùm, sed & agendi facultas ad hanc libertatem pertinet, tanquam aliquid cum actione omnino nexum. Libertas status, quia actu tanquam germine suo anterior est, actum non supponit. Itaque in quibusuis renatis locum habet, etiamsi infantibus, aut ratione destitutis. At libertas actus in ijs duntaxat reperitur, qui consentaneè ad statum libertatis operantur, idque sonat ipsa vox *libertatis quoad actum*, vt per se liquet.

Non disterminat autor, libertatis statum & actum, in duas libertatis species nequaquam connexas; (hoc

enim l. 1. c. 2. n. 5. in recentioribus reprehendit:) ſed completam libertatem, vnicam agnoſcit, quæ à ſtatu incipiens, per actum conſummatur. Status, fundamentum eſt, cui facultas & exercitium ſuperſtruitur. Nam quia quis liber eſt, ideò liberè & operari poteſt, & operatur. Sicut quia quis homo eſt, idcirco operari poteſt, & operatur humano modo. Quoniam igitur ita ſecundùm eſſe affecti ſumus ob adhæſionem cum Deo, vt ſupra creata omnia emineamus; ſimiliter quoque in agendo afficimur; nam poſſe & operari ſequuntur eſſe: atque ita eo ipſo quòd obiecta creata non rapiunt nos, aut tranſuerſos agunt dominantia nobis, ſed ipſi potiùs obiectis creatis dominamur, vtentes eis iuxta finem à Deo præſtitum, potimur libertate quoad actum, vnam completam libertatem integrante cum libertate ſtatus, ſiue cum libertate quoad eſſe. Nec plura de priore libertatis partitione ſuperiùs propoſita.

Poſterior penes varios ad Deum ordines.

VI. Æquè facile eſt ex iactis principijs, alterius partitionis rationem repetere. Quia enim libertas ſummi & vniuerſalis boni amplitudinem reſpicit, quiſquis illius capax eſt, libertatis ortu donatur, & in libertatis veluti ingreſſu verſatur. Tendendo autem ad eam ſummi boni amplitudinem, habetur libertatis progreſſio triplex. Aut enim eſt ordo ad ſummum bonum, integer quidem ac purus, ſed qui ſubuerti & dilui queat; quæ eſt libertas pura, ſed non confirmata; qualis in Adamo fuit priuſquam fœlici innocentiæ

statu excideret. Aut est ordo ad finem vltimum diuinitus ita vallatus vt disijci nequeat, quæ est libertas pura & confirmata. Aut denique est ordo ad finem vltimum, & imminutus, & deordinationi admixtus: quæ est libertas nec confirmata, nec pura, sed defectibilis & admixta seruituti, qualem nanciscimur quotquot gratiæ participes sumus in quantulocunque gradu, etiam ante sanctificationem. Ita enim liberi dicimur ac sumus ratione gratiæ, vt tamen admistæ inclinationes prauæ, dum mentem ad creata degrauant, libertatem seruitute permisceant atque inficiant. Demum libertatis consummatio continetur integro atque totali ordine ad finem vltimum: ordine inquam, non iam tendentiæ quasi ad bonum absens, sed quietis tanquam in bono præsenti. Hæc est quam Apostolus Roman. 8. libertatem gloriæ filiorum Dei appellat. Omne quippe iam iter emensus homo, nihil vltrà expetiturus, & nactus omnia in Deo, in summi boni infinitate placidissimè conquiescens, gloriam obtineret, Dei filio congruentem. Habemus ergo tres capitales libertatis species, hanc secundam libertatis partitionem integrantes: nempe orientem, progredientem, & consummatam: quarum extremæ duæ, oriens inquam, & consummata, atomæ sunt: Media siue progrediens, tripartitò subsecatur; nempe in puram necdum confirmatam, puram confirmatam non consummatam, ac denique & puram & consummatam vndecunque.

Hactenus de libertatis partitionibus juxta autorem. Vulgares verò libertatis diuisiones, in eam quæ

est quoad speciem, & eam quæ est quoad exercitium; quæ aliter contrarietatis & contradictionis appellantur, autor non agnoscit, aut ita interuertit vt à sensu quo antehac acceptæ sunt, procul absint, nec ab iis qui illas hactenus tradiderunt, sint agnoscendæ.

Dei libertas & libertatis obiectum, ex dictis eruitur.

VII. Per scandusas libertatis creatæ ad quam pertinent omnia hactenus proposita, licet cum autore conscendere ad Dei libertatem. Libertas enim quam postremo loco recensuimus in posteriori partitione, beatorum propria est, & quantum creata increatis fas est componere, proximè accedit ad libertatem diuinam, quæ per immetatam, & nullis conclusam finibus amplitudinem constituitur; indéque profluit libertas omnis quæ in cœlo & in terra nominatur. Est sanè Deus, primum, ac principale, & fontale liberum, quippe suapte natura infinitè amplus, & inalligatus, ac immunis à seruitute: ideóque iuxta autorem, cum ipse in se libertatis plenitudine fruitur, nec tantum per ordinem ad externas actiones, sed & quoad processiones internas est liberrimus, de quo latè libro 2. c. 2. & 3. Tum etiam cuiuis libertatis nomine gaudenti, principium est libertatis: ita vt nihil sit quod liberum dicatur, nisi per respectum ad Deum: nempe vel quia in illum quodammodò transit, vt fit in beatis; vel quia ad eum magis aut minus accedit, statu aut actu excutiens vincula affectuum, & à rerum creatarum angustijs euolans ad immensam Dei amplitudinem per

adhæsionem cum ea; vt viatoribus contingit.

VIII. Hinc verò liquet, libertatem non esse tantùm mediorum, vt vulgo hactenus iactatum est, sed esse quoque, & quidem maximè, respectu finis vltimi, cui adhærendo, euadimus in veræ libertatis amplitudinem, vbi exsoluti seruitutis compedibus, nullísque rebus creatis astricti, omnibus supereminentes & inalligati exspatiamur. Latè hæc confirmat autor lib. 1. c. 9. 10. & 11. sequuntúrque apertè ex noua sententia, iuxta quam libertas sita est in amplitudine oriunda ex adhæsione cum Deo fine nostro. Potest ergo libertas circa finem versari. Nec refert quod circa eum finem feramur naturali necessitate. Nam S. Thomas 1. p. q. 82. artic. 1. docet necessitatem naturalem non repugnare libertati. Id quod præter D. Thomam, Bonauenturę quoque, Scoto, Henrico, atque Durando placuisse obseruat autor. Igitur datur libertas circa finem. Et verò nónne voluntas, sub ratione potentiæ liberæ refert alia obiecta in finem? Ergo etiam vt libera est, versatur circa finem. Deinde an non meremur occupando nos interiùs circa Deum, cui ratio finis nostri inabdicabiliter conuenit? Non est quidem ea libertas, contradictionis vel exercitij iuxta autorem; est tamen libertas simpliciter, libertate contradictionis & exercitij superior; & tamen fundans meritum; non prout actus ille circa Deum, est actus noster, sed prout est opus Dei per Christum in nobis. Ita porrò meritorius est actus ille, vt tamen propriè illo non mereamur. Quare concludit autor capite illo 11. num. 3. tantùm abesse vt libertas circa finem nulla sit, vt potiùs

omnis planè libertas sit circa finem vel acquirendum vel tenendum.

Expressi fideliter vniuersam autoris de libertatis natura, partibus, & obiecto sententiam. Quam ille lib. 1. c. 35. extremo, benè sibi, benè ingenij sui fœtibus ominatus, irreprehensibilem per æquos censores statuit; Tam verò perspicuam, vt ipsa solo conspectu semotis quibusuis rationibus sufficienter se probet: A nullo certè vt ait l. 1. c. 3. quicquam afferri possit probabilius: Et quod habet l. 1. c. 7. n. 5. nihil ipsi diu multumque quærenti occurrit, quod in contrarium opponi cum probabilitate aliqua queat.

CAPVT II.

Sententiam propositam, planè commentitiam & à vero alienissimam esse, quoad libertatis rationem formalem.

I. INGERAMVS aduersario quod ei quærenti non occurrit, nobis autem adeò obuium fuit, vt incurreret non quæsitum. Eiusmodi sanè sunt quæ de libertate recèns audiuimus, vt possimus non iniuria illud Augustini 3. in Iulia. c. item. 3. nostrum velle, & aduersario occinere. *Mira sunt quæ dicitis, noua sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: Mira stupemus, noua caueamus, falsa conuincimus.* Hoc postremum vt exequamur, probationum agmina sunt adornanda, quæ cum

plurima & fortiſſima ſuppetant, ea tamen educenda duntaxat erunt, quæ ita firmitate valebunt, vt paucis inſtrui contenta, multæ impenſæ apparatum non exigant. Duplicem aciem proferam. Prior in formalem rationem libertatis ab aduerſario propoſitam dirigetur. Poſterior in aſſignatam ab eo libertatis radicem; ea quippe ſucciſa, exareſcere formalem libertatem inde progerminantem neceſſe erit.

Noua libertatis quidditas, primò impugnata, quia neſcitur cuias ſit.

Argumentor igitur primò contra libertatis quidditatem ab aduerſario propoſitam, quia etiamſi vltrò daremus eius ſententiam niti veritate, adeò tamen lubricè & implexè naturam libertatis exponit, vt niſi alia via ineatur, inexplicatam planè manere ſit neceſſe. Ait enim aduerſarius, libertatem eſſe *eminentiam*, eſſe *amplitudinem*, eſſe *infinitatem*. Prima illa vox, ad libertatis naturam non accedit, vt ex ſequentibus perſpicuum fiet: Idcirco tamen tam ſtudioſè in hac tractatione ingeri videtur, quia ſapit dignitatem Cardinalitiam, de qua blandiri ſibi huius ſententiæ natales, ex operis ad Pontificem inſcriptione epiſtolica, intelligitur. Amplitudo & infinitas, affectiones ſunt quantitatis, vel corporeæ vel virtualis: quæ omnia à libertatis ratione abeſſe quàm longiſſimè, vel lippus videat. Nam amplitudinem vel infinitatem corpoream huc non ſpectare, fruſtra monerem. Spiritualem quoque infinitatem, nemo non videt nulla ratione cum libertate conuenire. Infinitas enim ſpiritualis eſſentialis, non magis

magis à Deo cui propria est, transfundi in alia potest, quàm ab ipso Deo abdicari; nec magis creaturæ communicari potest, quàm ratio entis à se, vel independentia. Aliam spiritualem infinitatem quæ reipsa existat, Theologi in puris creaturis non agnoscunt. Esto non pauci possibilem esse fateantur, & aliqui in quibusdam spiritualibus Christi accidentibus eam concedant. At libertas munus est omnibus ex æquo creaturis intelligentibus tributum, nec Dei incommunicabiliter proprium. Restat ergo vt dicatur libertatem esse amplitudinem spiritualem, aut quod idem est, excelsitatem & eminentiam præ alijs subtus iacentibus. Qua ratione quicquid alio altius & entitatiuè grandius proferetur, (cuiusmodi sanè est quęuis entitas ad aliam despicatiorem & in gradu rerum exiliorem comparata,) amplitudinem sibi prædictam & eminentiam, atque adeò etiam libertatem vendicabit.

II. Præsentio quid aduersarius immurmuraturus sit. Mala fide secum agi expostulabit: Contestabitur nunquam sibi in mentem venisse tam pinguem doctrinam proferre quæ Soli obiecta colliquescat: Non esse adeò ad viuum resecanda omnia, nec adeò crudè excipiendos vocum sonos vt merus syllabarum cortex spectetur. Sibi itaque de metaphorica duntaxat eminentia & amplitudine sermonem esse: Ea inquam amplitudine quam creatura ex adhæsione cum Deo fine suo adipiscitur, grandescente ex obiecti illius amplitudine tendentis in eam hominis voluntate.

Audio. Hoc ipsum tamen est, quod primo loco in aduersarij sententia, (tametsi vera esset,) reprehenden-

dum contendo Quis enim ferat in accurata & ſcientifica libertatis diſquiſitione, adeò reconditas & extraneas metaphoras? Hæ phaleræ, ô bone, in populari tractatione quæ mulcendis tantùm lectorum animis aptatur, locum ſuum ſanè habeant: ab accurata, & ad ſcientiæ regulas exacta veritatis perſcrutatione, qualem tractatio de natura libertatis præfert, ſemoueri omninò debent: alioqui omnia æquè inexplicata & implexa manebunt. Et ita planè in hac re contigit. Interrogo enim quæ ſit, & cui generi categorico ſubſit ea amplitudo, ea eminentia, atque infinitas. Certè cum definitio quælibet ex genere categorico & differentia illud arctante compingatur, incommodè omnino aliquid definit quiſquis definit, niſi rei definitæ rationem communem talem aſſignet quæ ad aliquod vulgatorum decem generum reuocetur. Quò autem amplitudo illa vel eminentia pertineat, & ſubſtantiáne ſit, an quantitas, cuíve alteri è decem ſummis generibus ſubiaceat, adhuc quærimus. In hoc ergo primùm peccat doctrina propoſita, quòd libertatem homini propriè & non duntaxat metaphoricè conuenientem, explicat tantùm per metaphoram, cui quis reipſa genuinus ſenſus ſubſit, non intelligitur.

III. Quid quod ne intra fines quidem metaphoræ propoſitæ, idonea eſt aduerſarij doctrina? Neque enim ex eo quòd attingatur obiectum amplum, ſequitur facultatem circa illud occupatam grandeſcere, & amplificari iuxta obiecti amplitudinem. Niſi ſi actus intellectionis attingens montem, exporrigitur aut eminet ſupra actum quo attingitur formica. Non igi-

tur ex eo quòd actus hominis versetur circa Deum, qui vtique omni modo amplissimus est, consequitur eum actum protendi aut sustolli supra reliquos hominis actus, quamuis verissimum sit pro dignitate obiecti crescere actus perfectionem. Sed hoc quid ad libertatem? Nec dissimulandum est, insistendo aduersarii principijs, intellectum, contra quàm autor disertè tradit lib. 1. c. 1. n. 4. & lib. 2. c. 11. n. 6. statui oportere anteriùs & perfectiùs liberiorem voluntate, non radicaliter tantùm sed etiam formaliter. Nam intellectus circa amplius & protensius obiectum occupatur quàm voluntas; cum etiam feratur in mala, nec vel mica entis aciem eius subterfugiat. At angustius esse voluntatis obiectum, in confesso est. Esset ergo intellectus perfectiùs liber quàm voluntas, quod propè omnes contra Durandum, repudiant. Et fore quoque intellectum anteriùs liberum formaliter, ac præoccupaturum libertatis formalis prærogatiuam, constat ex eo quòd intellectus voluntati semper præcurrat, nec possit voluntas nisi prælucente intellectu, obiecti alicuius bonitatem suauiari vel stringere.

Tandem nulla amplitudo, ac ne metaphorica quidem, in facultate libera reperitur, quæ sit superior potestate agendi aut non agendi; vel terminandi ad aliquid actum suum, aut non terminandi; qualem amplitudinem liberæ facultatis constitutiuam vulgari indifferentia superiorem, comminiscitur aduersarius. Nam in facultate libera nihil planè est anterius ea potestate, siue indifferentia actiua, ac per eam solam sufficienter constituitur, & à quibusuis alijs secernitur. Igitur li-

bertatis definitio per amplitudinem, nullo modo est idonea.

Altera impugnatio, ex libertatis & amplitudinis summa distantia.

IV. SECVNDÒ principaliter argumentor, & probo amplitudinem nullo modo posse statui rationem quidditatiuam libertatis, quia longè disiunctissima sunt, esse amplum, & esse liberum. Id quod in Deo est manifestissimum: vt non possim sanè satis suspicere vestibulum illud libri secundi apud aduersarium. *Liber est Deus, imò liberrimus, & si quid liberrimo liberius esse potest: quia nullis omninò siue loci siue naturæ cancellis coërcitus, locum omnem replet. Omnia est quæ sunt & esse possunt, quin omnia infinito interuallo supergreditur. Liber est, quia nullus eum locus continere potest, nulla creatura prohibere aut retardare, nulla impellere aut mouere, nulla notio vel similitudo exprimere. Hanc illi scripturæ libertatem tribuunt, hanc Doctores omnes & Patres, hanc Angelicus Doctor D. Thomas inter cæteros expreßè, hanc denique communis sensus & ratio.* Hæc autor, nec dissimilia inferiùs num. 3. verbis illis ex communi (vt ait) sensu. *Si liber qui nullis finibus circunscribitur, sed in immensum patet, qui nullius egens, qui omnia omnibus affatim suppeditat, qui superior omnibus, qui omnium finis, amplitudo & regnum, certè Deus est liberrimus. Est enim eiusmodi.* Nunquam ista ego satis suspexerim, siue quoad res ipsas, siue quod ex omnium Doctorum, omnium Patrum, & omnium communi sensu proferri dicantur, ac nominatim ex D. Thomæ expressa sen-

tentia. Vbi enim hæc adeò paradoxa S. Thomas? vbi SS. Patres? vbi Doctores reliqui? Nec ratio quæ obtendebatur reuerà fauet. Quis enim adeò rudis diuinarum rerum est, vt ignoret, libertatem Dei esse attributum ab illocalitate & immensitate distinctissimum? Hoc qui non videt, exoculatus profectò est, & in sacra doctrina admodum tyro, qui vel ex ipso syllabo quæstionum primæ partis D. Thomæ, & tanto tractationis attributorum illorum interuallo, non agnouerit, ea attributa & notione, & formali ratione longissimè distare. Cum ergo libertas creata ectypon quoddam sit atque expressio diuinæ libertatis, dubitari non potest quin eius longè alia ratio sit, quàm amplitudinis & immensitatis.

V. E tribus responsionibus quas ad hoc argumentum adhibet aduersarius lib. 1. c. 7. n. 5. primam & secundam dimittamus, quia sunt hominis difficultate impediti. Tertia responsio quæ videri potest ad rem facere, nec est apertum subterfugium vt duæ anteriores, in eo sita est, quòd infinitas & amplitudo prout sunt attributa peculiaria & seiuncta à libertate, spectentur absolutè: Libertas autem idem sit quod amplitudo & vniuersalitas, siue immensitas & infinitas, (quæ omnia aduersario idem sonant) prout per eam quis est sui.

Hîc primùm autoris indiligentiam deprehendo, qui tam necessariam particulam nuspiam alibi memorat; hîc tantùm obiter, & inter respondendum argumento eam attingit. Et cum ipse tot querelas ingeminet de prætermissa per alios in libertatis definitione,

clauſula quam à D. Thoma in libertatis definitione appoſitam fingit: Ipſe clauſulam planè eſſentialem, & ſine qua libertas ab aliis attributis diſiunctiſſimis non ſecernitur, toto opere miſſam fecit; Obiter tantùm, inter reſpondendi connixus, ad aliqualem difficultatis abactionem, eam attigiſſe contentus fuit.

Deinde audio voces, quid tamen illis ſubſit boni ſenſus, non intelligo. Quid enim eſt amplitudo, ſiue infinitas, aut immenſitas, prout per eam quis eſt ſui? Quid inquam eſt in re libera eam eſſe ſui, quod non ſit in re quâ libertas deficiat? Omne quidem ſuppoſitú, eſt ſui nó alterius: nec aliter videtur ſuppoſitalitatis ratio exponi poſſe legitimè, quàm quod rem completè ſubſiſtentem donet larium propriorum iure in mundana ciuitate, faciátque ſui eſſe non alterius. An ergo omne ſuppoſitum eſt liberum? Confirmo, ne ipſum quidem aduerſarium intelligere, quid ſit in re libera *eam eſſe ſui*, quod non inſit rei non liberæ, niſi admittat, rem liberam eſſe quæ eſt ſui iuris, hoc eſt quæ obtinet dominium & poteſtatem in actiones ſuas, & indifferentiam actiuam ad eas profundendas vel omittendas. Hoc ſi fateatur aduerſarius, in primis ſeipſum miſerè iugulat, & in ſententiam quam toto opere fœdè proſcindit, fœdiùs relabitur. Deinde ineptè planè, & contra dialecticarum regularum prima elementa, illocalitati vel amplitudini locali adiungit differentiam reſtringentem, planè extraneam, nempe *eſſe ſui*: quod non eſt leuius peccatum in definitionis compactione, & quidditatis expreſſione, quàm cum humano capiti ceruix equina ſubnectitur: aut ratio ſenſitiui non per

tale ſenſitiuum peculiare, ſed per differentiam lapidis truncíve reſtringitur. Præterea intelligentia punctaliter locata, ac etiam poſito quòd non poſſet localiter diffundi & pluſquàm puncto correſpondere, non minùs eſſet ſui, veréque libera, quàm cum ſpatio coaptatur: conſtátque eas intelligentias non eſſe liberiores quæ ſunt diffuſiores, poſſúntque protendi & exporrigi latiùs. Diſſimulo quanto iure aduerſarius infinitatem cum immenſitate permiſceat; quas eſſe, vt vocibus, ita & rationibus formalibus ſeiunctiſſimas, norunt inter Philoſophos ac Theologos, vel qui nondum ære lauantur.

Ratio tertia, quia in Deo & beatis, eſt amplitudo abſque libertate.

VI. TERTIÒ argumentor, quia quomodocumque ſumendo amplitudinem qua libertas conſtituitur, prout tamen eſt aliquid deriuatum ex adhæſione cum Deo, perfectiſſimè competit ipſi Deo ad ſeipſum comparato, ſiue ſpectetur prout ad extra operatur profundendo creaturas, ſiue ſpectetur prout Pater ad intra Filium progignit; rurſúſque Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum. In his ſiquidem omnibus, Deus eſt ſibi vnitiſſimus, & ſibi ipſi maximè adhæret, ac proinde ſumma & vltra quàm concipi poſſit immenſa amplitudine potiri debet, iuxta aduerſarij principia. Neque tamen Deus erga creaturas intelligitur liber eſſe ob amplitudinem vllam ſuam, ſed quia eas procreare poteſt vel non procreare, prout diuina determinatio tulerit. Multo minus Deus ad intra liber

est, quantiscunque intra se spatijs diffusus, per seipsum oberret cogitatione vel amore, nuspiam arctandus, nuspiam angustijs premendus. Beati quoque, qui maximè omnium quantum creaturis fas est, Deo adhærent, tantùm abest vt ex ea adhæsione consequantur amplitudinem libertatis constitutiuam, vt potiùs in ea adhæsione necessitentur, & non liberi sed abrepti ferantur in Deum, necessitate felici.

VII. Respondet aduersarius lib. 2. cap. 2. 3. & 4. Deum & ad extra & ad intra esse liberrimum, quia potitur summa amplitudine, inde deriuata quòd semper sibi adhæreat coniunctissimè. Et vt libertas ad intra quæ impeditior videtur, lucem accipiat, præmittit capite illo 2. n. 1. mentis suæ non esse affirmare, liberum esse Deo sese intra semetipsum communicare ac diffundere: sed esse quidem Deum in sui communicatione liberum, non tamen liberum illi esse vt secundùm illam se communicet: quæ duo longè discrepare obseruat. Itaque vt addit cap. 3. n. 3. quamuis Deus libertatem suam circa solas creaturas exerceat, tamen liberrimus est respectu sui ipsius, quatenus est omnino independens, & omnibus supereminens. Eadem ex causa, libertatem veram agnoscit in diuinis processionibus internis, vt in spiratione Spiritus sancti, quam cum Scoto liberam censet, non ob Scoti fundamentum, sed quia eximitur ab omni subiectione ac seruitute. Et quamuis à sola coactione eximeretur, liberam tamen verè ac propriè fore, censet autor ibidem num. 5. Quinetiam lib. 1. c. 8. n. 2. ex Augustino eruere se putat, generationem quoque diuini verbi, & vitam

Dei ac præſcientiam eſſe actiones liberas, etſi cum omnimoda eſſendi neceſſitate coniunctas. Quod repetit lib. 2. c. 2. n. 2.

Beatorum verò libertatem quam in calce argumentationis noſtræ inficiabamur, autor è contra habet pro exploratiſſima. Quod cum infinities inculcet, tum perſpicue lib. 1. c. 6. n. 10. & 11. & ijs libri ſecundi capitibus quæ proximè allegabamus. Nam capite 2. n. 6. humanam libertatem per omnes gradus comparationis poſitiuum, comparatiuum, ac ſuperlatiuum deducens, verticem libertatis tribuit ſtatui beatorum plenè ac perfectè potientium Deo, & ab eo ne leuiter quidem deijcibilium. Eadem iterat cap 3. n. 6. addens inſuper, libertatem qua beati in fine obtento conquieſcunt, ſummam eſſe, quia actus formaliter beans, non eſt actus quo beati tranſmittant ſeſe vel tranſmittantur in finem: ſed eſt actio Dei in nobis, qua ad centrum noſtrum perducimur, quam S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. vocat libertatem nouiſſimam, & quaquauis alia maiorem fore pronunciat.

Reiecta noua explicatio diuinæ libertatis ad extra, & ad intra.

VIII. Hæ aduerſarij reſponſiones argumentum noſtrum non infirmant. Nam Deum eſſe ad extra liberum quia omnia propter ſeipſum vult & facit, falſiſſimum eſt, ſi nomine *liberi* intelligatur quod intelligi debet, non autem quod aduerſarius gratis comminiſcitur arte nouata mutandi appellationes rerum, quæ nullo modo difficultates euacuat, cum quantalibet fa-

cta vocabulorum mutatione, ſemper ſuperſit lis de ſignificato paſſim ſubſtrato voci *Libertas*. de quo ſignificato, non autem de vocis cortice, debet eſſe hæc diſputatio.

Ne ergo fruſtra tricemur, obſeruo, quæcunque tandem ſit libertatis germana notio, certum tamen eſſe; Deum ita voluiſſe condere mundum, vt potuerit velle non condere; id quod paſſim appellant diuinam libertatem circa externa. Monſtrandum ergo aduerſario eſt, quomodo volitio condendi mundum inextiterit Deo, & tamen potuerit quoque Deus ſalua immutabilitate ſua, nolle mundum condere. Nos impeditiſſimum hunc nodum ita expedimus cum communi ſententia, vt dicamus, Deum reſpectu actus ſui externi eſſe liberrimum, quia poteſt eum profundere vel non profundere; habetque in eum plenam poteſtatem atque dominium. Et quamuis Deus in actum ſuum volendi, à quo pendet libertas actus externi, non habeat poteſtatem aut dominium, (eſt enim actus ille ipſemet Deus, qui nulli ac ne ſibi quidem ſubeſt, vt in Natur. Theolog. Diſt. 7. n. 151. monſtrare memini contra Philonem, & Eunomium.) Tamen ſatis eſt quòd poſſit ad externam actionem, ſuum illum internum actum terminare vel non terminare, abſque vlla eius mutatione; vt rectè vidit Ferrar. 1. contra gent. cap. 68. Quod eſt, Deum ad extra liberum eſſe ratione poteſtatis prædictæ, & ratione indifferentiæ ad terminationem actus interni circa externam actionem, vt explicatum eſt. Ergo argumentum quod confecimus, non expeditur ab aduerſario, cum dimiſſa ea indifferentia

quæ in Deo monstranda fuerat, (siue rectè appelletur libertas, siue non, de quo cum eo nunc rixari noluimus,) longè aliò rem auertit, & nouam libertatis notionem cudit, iuxta quam Deum liberum appellet. Quærimus ergo vt ex ea amplitudine quá statuit esse rationem libertatis, ostendat quomodò Deus ita voluerit mundum condere, vt potuerit nolle condere, quod in ea amplitudine sistendo, nunquam monstrabit. Nos verò id ex eo monstramus, quòd Deus habeat indifferétiam actiuam, ratione cuius potest actionem externam elicere vel omittere. Igitur cum in hoc sita sit quæ passim dicitur libertas, aduersarius non potest eam in Deo ostendere respectu obiectorum Deo extrinsecorum, adducendo Dei amplitudinem ex adhæsione quam secum habet operando ad extra.

IX. Sed neque fas est dicere, Deum esse ad intra liberum, ratione eiusdem amplitudinis & adhæsionis, quia ea amplitudo & adhæsio nihil iuuant vt intelligamus Deum potuisse ad intra non producere: quod tamen monstrandum fuisset, vt astrueretur id de quo quæritur; nempe cadere in Deum ad intra, id quod passim, (siue benè siue malè,) appellatur libertas. Quia enim eam indifferentiam producendi aut non producendi, in Deo ad intra non agnouerunt Theologi, propterea passim negarunt Deum esse ad intra liberum, etiamsi amplitudinem & adhæsionem Dei secum in processionibus internis non ignorarent, rati eam nihil referre ad libertatem de qua quærebatur, quia ea amplitudine & adhæsione non obstante, processiones internæ non ita sunt à Deo, vt potuerint ab

eo non esse. Pauci quidem scholastici, vt Scotus, & nonnulli ex eius partiariis, dixerunt processionem Spiritus sancti liberam esse, sed malè ab autore pro sua noua sententia allegantur: quia rationem illius libertatis qua donant eam processionem, nequaquam petunt ex amplitudine aut adhæsione cum Deo, sed ex eo quòd processio illa sit à principio intrinseco præsupposita cognitione singulorum in quibus est actus, quæ est definitio voluntarij presse accepti & libero anterioris. Vnde sumunt liberum pro voluntario, eáque ratione rectè dicunt, processionem illam esse liberam, non autem ea ratione qua aduersario placuit eam liberam appellare. Antiqui eam impropriam libertatem cum ratione voluntarij recurrentem, vocabant *libertatem complacentiæ*, vt notat Angestus c. i. mor. t. 2. notab. 2. & Almainus tract. 1. moral. c. 1. notab. 3. aduertens eam libertatem non esse moralitatis fundamentum, atque adeò semouendam esse à tractatione morali ad quam libertas propria maximè pertinet. Ac ne in hoc quidem improprio sensu, quisquam hactenus ante autorem excepto Vvicleffo 3. Trialogi c. 28. apud Vvald. 1. doctr. c. 22. n. 5. liberam appellauit vel appellare potuit processionem filij sumptam intrinsecè ac per seipsam, quia non est per voluntatem cui præsupponitur notitia. Et immeritò allegatur D. Augustinus tanquam autor illius modi loquendi, quem reuera nusquam vel adhibet vel insinuat. Esto obiectiuè, seu prout generatio terminat volitionem Patris necessariam, (vult enim Pater æternus, esse, atque adeò etiam generare,) generatio filij à quibusdam dicta interdum

ſit voluntaria, non tamen intrinſecè ac per ſeipſam ſiue eo voluntarij modo qui dicitur cauſalis. At hoc eſt illud voluntarium, quod latè vſurpata voce, liberum quandoque nominatur. Quod verò iuxta aduerſarium, ad libertatem propriè dictam proceſsionis Spiritus ſancti, poteſt ſufficere eius exemptio à coactione, eſt planè falſum: quia vt infra dicam contra Caluinum, qui autori hac in parte præiuit, exemptio à coactione cadit etiam in bruta, nec ſufficit ad libertatem propriè dictam.

X. Porrò aduerſarius, ita de diuina libertate, in ſenſu apud ipſum ſolum obuio philoſophatus eſt, vt tamen iuxta receptam quoque libertatis notionem, velle videatur Deum liberum eſſe: non quòd liberum ſit Deo ſeſe intra ſemetipſum communicare ac diffundere, (hoc enim reijcit vt vidimus,) ſed quod communicatio eius intra ſemetipſum, ſit liberrima; aítque hæc duo diſcrepare quàm longiſsimè. *Liber eſt Deus in ſui communicatione*: Et, *liberum eſt Deo vt ſecundùm illam communicationem ſe communicet*. Ego verò ingenuè profiteor, poſtquàm duo illa in omnem partem verſaui, nullum mihi inter ea ſublucere diſcrimen; nec ſatis diſpicere, (quæ mei viſus ſuppreſsio eſt præ aduerſarij perſpicaciſsima acie,) quomodò ſi Deus in ſui communicatione liberrimus eſt, vt aduerſarius affirmat, non ſit ea ſui communicatio libera Deo. Nam aliquem liberum eſſe in agendo, & actionem eſſe illi liberam, ſynonima ſunt. Ergo cum paritas & proportio omnimoda interueniat, (eſt enim actio quoque communicatio quædam, tametſi cum diſtinctione naturæ

inter causam & effectum) fatendum est si Deus liber est in sui communicatione vt aduersarius admittit, liberam quoque esse Deo communicationem illam, quod aduersarius negat verbis illis, *Non est liberum Deo, vt secundùm illam communicationem se communicet:* Vbi dissimulo implexam battologiam. Quid enim est *secundùm illam communicationem se communicet?* Æquè quadrat quod ex aduersario addebam, libertatem Dei ad intra, non esse secundùm exercitium sed secundùm statum. At cum status libertatis iuxta autorem, sit libertatis actus primus, & esse ac posse præuium ad agere actu, quomodò ponit in Deo statum libertatis, qui intrinsecè & essentialiter spectat actum secundum qui eliciatur conformiter ad actum primum, & tamen negat in Deum cadere actum secundum? Hæc sanè manifestè repugnant, habere Deum potentiam ad actum, nec tamen posse habere actum illum quem potentia essentialiter connotat. Perinde ac si dicerem, alicui inesse visum qui est potentia eliciendi visionem, nec tamen posse videre: nam hoc ipsum est, actum videndi non posse in eum cadere. Neque verò constans est aduersarius in negando exercitio diuinæ libertatis ad intra. Illud enim admittit lib.2.c.2.n.6.

Explosa noua libertas beatorum, circa Dei amorem.

XI. De prætensa ab eo libertate beatorum circa Dei amorem, eadem propè dicenda sunt quæ de diuina libertate. Nimirum iuxta receptam libertatis notionem de qua disputandum est, quicquid sit de vocibus, eos

nullo modo esse liberos in eo actu: quæ est communis Doctorum sententia apud Valentiam.1.2.d.1.q.4.p.1. Itaque cum argumentum tertium quod confecimus, supponat notionem prædictam; non infirmatur ab aduersario, rem auocante ad aliud genus libertatis omnibus retrò Doctoribus incompertę, de quo non quęrebatur, imò quod ex supposita illa libertatis notione euertebatur. Quod autem aduersarius, amorem beatificum ait esse actionem Dei in nobis, pertinet ad obsoletam paucorum Nominalium Theologiam passim à recentioribus explosam. Quinimò communissima nunc sententia fert, impossibile esse vt actus vitales efficiantur quocunque modo in nobis sine nobis Physicè coefficientibus, de quo pleniùs qui cum Vega disputant quoad effectionem actuum gratiæ præuenientis.

Cœterum quod nego beatis libertatem circa Dei amorem, non ita accipi volo, quasi beati circa nihil aliud vera libertate potiantur, & nullo modo sint actiuè indifferentes, quod aduersarius lib 2.c.27.n.1.& 2. malè contendit iuxta nos esse necessariò admittendum. Argumentum eius est, quia sancti nihil velle aut agere queunt nisi attendendo ad Deum clarè visum, in quo illis omnia sunt euidentia, ac proinde exulat ab eis indifferentia culpæ expers, quæ ignorationem supponit. Illam verò aliam agendi & non agendi indifferentiam quæ culpam continet, qualis est eorum quibus perinde est, siue Deo adhæreant siue non adhæreant, constat non cadere in beatos. Hoc argumentum inane est. Nam quamuis beati nihil possint velle

nisi attendendo ad Deum clarè visum, id est, nulla ratione queant à præscripto diuinæ voluntatis discedere, in plerisque tamen operibus, de quibus nullum illis propositum est diuinum decretum, & quæ æquè ad Dei gloriam commoda possunt videri, siue suscipiantur siue omittantur, salua illis est indifferentia actiua. Non igitur tenemur diffiteri omnem planè, veræ libertatis siue indifferétiæ actiuæ vsum in beatis, quoad omnia, etiamsi eam negemus quoad amorem Dei clarè visi, & ea quæ cum illo nexa sunt, in quibus aduersarius florem libertatis agnoscebat, repugnante disertè S. Thoma quæst. 22. de verit. artic. 8. *sub finem corporis.*

Argumentum quartum ex suspensione actus.

XII. QVARTÒ principaliter argumentor, quia suspensio actus cum posses agere, est aliquid liberum, vt benè expendit Gerso tract. de perfect. cordis parte 2. *sub initium.* nemóque de hoc dubitet, qui meminerit laudatum in scripturis fuisse eum qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit; quæ laus immeritò exhiberetur, nisi suspensio actus qui poni potuit & consultò prætermittitur, libera esset. Atqui in huiusmodi suspensione non apparet amplitudo vlla, cum sit negatio mera, nec vllam potentiæ exporrectionem ad operationem contineat: Non igitur verum est, libertatem posse exponi per amplitudinem.

Responderi potest ex doctrina autoris lib. 2. c. 11. n. 8. suspensionem actus non pertinere ad formalem libertatis

libertatis rationem. Imò perperam ad eius explicationem vsurpari, quia perspicuum est, Deum qui liberrimè mundum conseruat, non posse supposito decreto suo resilire ab actu quo mundum conseruare decreuit, quia sic statueretur in luce Dei, vicissitudinis obumbratio: & tamen Deus liberrimè agit, quia sola sua bonitate ducitur ad operandum: Igitur libertas non est exponenda per facultatem desistendi ab actu, quæ in Deum licet liberè agentem non cadit, sed per ordinem ad bonum amplissimum, quod & Deo semper, & nobis quoties liberè agimus, obuersatur. Hîc aduersarius irremeabile hypobrichium ijs qui libertatem per desistendi potentiam explicant, auguratur.

Sed contra, quia nulla ratione negari potest, quin facultas desistendi ab opere, spectet formaliter ac directè ad libertatem; alioqui suspensio illa destitueretur libertate; nec esset laudis argumentum, cum sermo est de abstinentia à prauo opere; neque vituperio esset obnoxia, cum agitur de omissione actus præcepti. Hæc ex ipsis terminis videntur euidentia, vt non sit cur in eorum pleniori siue illustratione siue confirmatione, tempus & operam frustra teramus. Exemplum verò quo aduersarius nos vrget, nullo modo nobis incommodat. Nam quamuis vltrò demus non posse Deum ab actu suo desistere; (actus enim ille est ipsemet Deus, & æternitate ac immutabilitate potitur, non minus quàm essentia cui aduenire intelligitur:) Tamen libertas Dei non est explicanda per positionem & desitionem actus, quæ locum in eo non habet ob summam

necessitatem essendi & indefectibilitatem, sed explicanda est per terminationem vel non terminationem actus illius necessarij quoad esse: quia actus entitatiuè necessarius potest iuxta Dei beneplacitum terminari ad obiectum creatum, vel ad illud non terminari. Quod autem posito semel diuino decreto & terminatione ad aliquid, non possit Deus ab ea actus sui terminatione desistere, non lædit diuinam libertatem, quia est tantùm necessitas ex suppositione quæ cum libertate aptè cohæret, quatenus priùs natura quàm intelligamus terminationem illam poni, intelligimus in potestate Dei esse, illam non ponere. Sicut nos quamuis non possimus non elicere actum quem elicimus, posito quod nos ad eum determinauerimus, liberè tamen operamur, quia priùs natura quàm eam determinationem poneremus, in potestate habuimus eam non ponere iuxta doctrinam Scoti in 2. d. 1. q 2. *litera* E. & in 3. d. 18. *litera* H. alibi stabilitam, agendo de libertate in ipso operationis exercitio.

Quintum argumentum ex proportione ad libertatem ciuilem.

XIII. QVINTÒ principaliter argumentor ex proportione ad libertatem ciuilem, cuius hęc definitio traditur lib. 4. ff. de statu hom. & §. 1. Instit. de iure person. *Libertas est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur.* Et è contra, seruitus ciuilis, est addictio personæ ad alterius voluntatem, negato ei ciuiliter voluntatis propriæ dominio. Quæ

caufa eft, cur feruus quia propria voluntate non regitur, propria quoque ratione practica quafi deftitutus habeatur: quia tanquam nulla cenfetur ratio practica, quæ dictamina non profert regendæ voluntati accommodata. Vnde non abs re ferui, veluti voluntatis propriæ atque adeò etiam proprij intellectus practici expertes, habentur pro nullis l. *quod attinet*. ff. de *reg. iuris*, & l. *si seruus*. ff. *de iure deliber*. Et pulchrè l. *lege Aquilia* ff *ad l. Aquil.* vbi ferui exæquantur quadrupedibus. Alibi dicuntur *non personæ*. Fauet Ariftoteles. 1. Polit. c. 5. iuxta quem propriè & fecundùm naturam feruus eft, qui rationis eo vfque tantùm eft particeps, vt illam potiùs fentiat quàm habeat: vnde alterius, ratione plena vtentis, arbitrio regi debet, eíque per omnia fubeffe, quod vt Poëta difputat apud Platonem 6. de leg. ijs Iupiter mentis dimidium abftulerit, qui ad feruitutem funt deftinati. Refert ea quoque carmina Athenæus l. 6 dipnofoph. c. 7. Cum ergo feruitus ciuilis contineatur ereptione poteftatis ciuiliter expeditæ ad agendum quod lubet, & dependentia à nutu alieno, fiue ab aliena determinatione; neceffe è contra eft, libertatem ciuilem contineri ea poteftate in proprium actum, & exclufione determinationis extrinfecæ. Ita vt ficut feruus; quamuis Phyficè loquendo poffit aliter fe gerere, tamen ciuiliter, & fpectato iure quo per feruitutem aftringitur, non poteft fuoptè nutu & propria determinatione ferri; & idcirco feruus dicitur: fic homo idcirco dicatur & fit ciuiliter liber, quia nullius alterius determinationi fubiacet, fed quò libuerit fertur, nullius aftrictus voluntati. Vtrunque præclarè

expreſſit, & ad mores aptauit Iulianus Imperator Apoſtata orat. 6. quæ eſt *in Cynicos imperitos.*

Atqui libertas Phyſica quæ eſt moralitatis fundamentum, explicari proportione debet eodem modo quo ciuilis, vt per ſe patet ex eadem vtriuſque determinatione: vtique ob non diſſimilem rationem, & proportionalem vtriuſque quidditatem. Ergo libertas Phyſica ſiue propriè dicta, & meritum vel demeritum fundans, de qua diſputamus, debet exponi per facultatem determinandi ſeipſum, vel per poteſtatem agendi quod libuerit illúdve omittendi, non autem per amplitudinem & eminentiam, cohærentem cum determinatione ab alio. Sicut abſurdè hominem ciuiliter liberum quis deſcriberet, dicendo eum eſſe ciuiliter liberum qui amplus eſt & eminens; cum poſſint aliqui neque eminentes eſſe, & tamen eſſe ciuiliter liberi, quia nec aliena viuunt quadra, nec lege reguntur.

Non diſpar argumentum formare quis poſſit, ex metaphorica & proportionali ferarum & auium libertate. Quod enim ex varijs iuribus tradit Briſſonius ad tit. de verb. ſignific. Libertas, etiam feris & auibus tribuitur. Vnde naturali libertate potiri, eámve recipere feræ & aues dicuntur, cum in ſuam naturalem exſolutionem perueniunt, non coërcitæ humana cuſtodia. Ita habetur l. *poßideri. ff. de acquir. poſſeſſ. §. item feras.* Et §. *Feræ,* Inſtit *de rerum diuiſ* Cum igitur libertas noſtra quæ eſt primarium libertatis analogatum, debeat conuenientiam habere cum hoc minus præcipuo analogato, (alioqui enim idem nomen participare non deberet,) rectè ſequitur ſi aliqualis brutorum

libertas in exſolutione ſita eſt, & noſtram quoque in ea conſiſtere.

CAPVT III.

Vox orbis vniuerſi aduerſus prædictam formalem libertatis rationem à noua ſententia propoſitam.

I. N extremo agmine rationum contra formalem libertatis rationem hactenus improbatam, colloco argumentum quod à communi apud omnes gentes per omnes ætates, libertatis notione deſumitur, quod nemo non videt eſſe potentiſſimum, & vt Tertullianus l. de teſtimon. animæ c. 1. ſcitè dixit, *Omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius.* Neque enim veriſimile vllo pacto eſt, omnes ad hâc diem ab omni retrò ætate homines, hallucinatos eſſe, eam formando libertatis notionem, quæ reuera ſit incongrua, & rei non quadret. Nec quiſquam adeò de ſe ſuóque ingenio præfidenter & arroganter ſtatuat, vt erroris conuicta omnium mortalium vnanimi conſenſione, abolitis omnibus vbilibet receptis loquendi modis, omnibúſque dictionarijs hac in parte ſuppreſſis, ius ſibi eſſe velit, adigere homines vniuerſos ad nouum ſenſum efformandum, & linguam quam non nouerant audiendam. Itaque ſi monſtrauero, omnes

hactenus sapientes, ipsumque etiam vulgus, libertatem appellasse, non amplitudinem nescio quam ex adhæsione cum Deo, sed facultatem actus sui dominam; quæ scilicet possit pro libito quippiam facere vel omittere, rem effecero commodissimam ad impugnationem nouæ sententiæ, & veritatis stabilitionem. Et vt falsitas quoque veritati hac in parte suffragetur, præter sapientes Ethnicos & Christianos, ad extremum hæreticos quoque aduocabo, memor prudentissimè dictum à Nouatiano c. 18. de Trinit. *Firmum est genus probationis, quod etiam ab aduersario sumitur, vt veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.*

Vulgata libertatis notio, probata Philosophis.

II. Certissimum ergo est, omnes hactenus nomine libertatis meritum aut demeritum fundantis, vel nomine liberi arbitrij, intellexisse potentiam vtrolibet flexilem pro innata sibi potestate: vt aliam libertatis veræ notionem, ne fingi quidem posse, supponat Dionys. Cisterc. in 2. d. 24. q. 1. artic. 1. conclus. 5. Et esse eam quam proposui libertatis notionem, planè ab omnibus nemine discrepante receptam, statuit Ferrar. lib. de Euangel. libert. c. 1. *initio.* Ipsos terminos eam notionem manifestè præferre, obseruat Catharinus in c. 4. Genes. ad illud, *Sub te erit appetitus tuus.* Hoc inter Ethnicos fuisse peruulgatissimum, latè ostendi in Morali dist. 2. à n. 217. Quod si peculiariter exquiratur sensus Græcorum, apud quos ferè pedem fixit Ethnica philosophia, sufficiunt voces queis exprimunt principium liberum & affectus liberos. Vocant enim princi-

pium liberum, αὐτεξούσιον. Quæ vox idem ſonat quod ſui potentem, ac dominum actionis ſuæ, vt infra ex Nemeſio & Damaſceno docebo. Effectus verò liberos vocant Græci τὰ ἐφ' ἡμῖν, *quæ in nobis.* Id eſt quæ in noſtra ſunt poteſtate, quæ noſtro arbitrio ſunt relicta, ita vt ea facere poſſimus vel omittere. Ita enim eam vocem interpretatur Damaſcenus 2. fid. c. 26. Igitur libertas apud omnes Græcos ſonat poteſtatem agendi vel non agendi, non autem amplitudinem ex adhæſione cum Deo fine noſtro.

Nominatim verò Platonem laudat Theodoretus lib. 5. contra Græcos, quod hominem liberum fecerit. Quid autem ſit *hoc eſſe liberum*, ita ex Platone exprimit Theodoretus. *Plato liberam eſſe animam ſenſit, dominámque eorum quibus perturbetur affectuum, ſpontéque ipſam ſua huc atque illhuc agitari, ſua demum voluntati referre acceptum quod vincat, quódque ſuccumbat.* Clemens item Alexandrinus 5 ſtrom. ex Platone l. 10. de Repub. ait, liberum arbitrium eſſe, *non parere alterius dominio,* ſed eſſe ſuimetipſius dominum, faciendo aut omittendo quod libuerit. Zeno apud Laërtium, libertatem definit, *poteſtatem operandi pro libito.* ἐξουσίαν αὐτοπραγίας. Demum Alcinous, (quem Euſebius vocat Arrium Didymum,) in breuiario doctr. Platon. cap. 19. hæc verba habet ex Platonis mente. *Liber animus eſt:* hoc quid ſit, exponunt quæ ſequuntur, *atque in eius poteſtate eſt ſitum, illa agere vel non agere, nec ad ea, vlla neceſſitate cogitur.* Struices præterea Ethnicorum, qui eodem modo expreſſerunt libertatem, exhibet Stobæus in eclogis Ethnicis cap. vltimo, quod eſt περὶ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Ealo-

ca ne hîc fruſtra exſcribantur, licebit inde repetere. De notione itaque libertatis apud Ethnicos receptæ, planè liquet.

Item Patribus ſub nomine poteſtatis ad vtrumlibet.

III. Venio ad noſtros, quibus hanc quam dixi libertatis notionem fuiſſe probatam, poſſum per omnia Chriſtiana ſecula, (ne anteriora replicem,) euidenter conuincere. Videantur Patres ac DD. quos pro liberi arbitrij aſſertione plenis aciebus ex Orientis & Occidentis Eccleſia, producit Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbitr. à cap. 8. & lib. 5. à cap. 24. & ſignatis diſtinctè annis queis floruerunt, Iodocus Coccius tom. 2. lib. 1. artic. 5. E tam multis, vix eſt qui libertatem non explicet, vel per potentiam agendi vel non agendi ſimpliciter & abſolutè, vel per potentiam ad oppoſita, vel per facultatem agendi benè & malè: & cum talem aliquam potentiam aut facultatem homini adſcribunt, eam inſigniunt nomine libertatis. Quæ omnia planè conuellunt notionem libertatis ab aduerſario prolatam, cum ait, libertatem eſſe amplitudinem ex adhæſione cum Deo. Volo ex innumeris qui vbiuis proſtant, paucos duntaxat appendere, & ex ijs qui libertatem declarant per facultatem vtrolibet flexilem, & ex ijs qui libertatem noſtram exponunt per poteſtatem benè aut malè agendi.

S. Clemens Romanus epiſtol. 3. *Si quis audiens ſermonem veri Prophetæ velit recipere, aut nolit amplecti onus eius, habet in ſua poteſtate; liberi enim ſumus arbitrij.*

Et mox.

Et mox. *Quia liberum est animo in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit eligere viam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.*

S. Irenæus lib. 4. aduersùs hæres. c. 9. *Homo rationabilis, & secundùm hoc similis Deo, liber in arbitrio factus & suæ potestatis, ipse sibi causa est vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter iustè condemnabitur.*

Clemens Alexandrinus 7. strom. *Neque verò inuitus saluus erit is qui fit saluus: non est enim inanimis, sed omnino voluntariè & libero animi arbitrio contendet ad salutem. Quocirca præcepta quoque homo accepit, vt qui ex se moueri & incitari posit ad vtrum velit ex ijs quæ sunt eligenda & fugienda.* Plurima ex eo similia notauit Feuard. ad citatum S. Irenæi caput.

Tertullianus lib. 2. in Marcio. cap. 6. *Oportebat imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrij & suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum imago & similitudo Dei deputaretur, arbitrij scilicet libertas & potestas, in quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ huius status esset, afflatus Dei, vtique liberi & suæ potestatis.* Et mox: *Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem concessa est illi, vt sui dominus constanter occurreret.*

Nouatianus lib. de Trinit. cap. 1. *Cum omnia in seruitutem illi dedisset,* Deus homini, *solum liberum esse voluit. Et ne in periculum caderet rursum soluta libertas, mandatum posuit.* Et mox: *Nam & liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago seruiret; & lex addenda, ne vsque ad contemptum dantis, libertas effrænata prorumperet: vt & præmia condigna & merita pœnarum conse-*

quenter exciperet, suum iam habens illud quod motu mentis in alterutram partem agitare voluisset.

Arnobius lib. 2. n. 58. cum dixisset Deum sub nostri iuris arbitrio fructum suæ benignitatis exposuisse, addit ex Platone: *Sortem vitæ eligendi, nulli est Deus causa, neque alterius voluntas adscribi potest cuiquam rectè, cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate qui voluit.*

S. Athanasius homil. de semente. *Habet quiddam admirabile agricolæ Ecclesiastici sermo, vt potè qui & Zizania frumenta efficiat, prout eorum voluntas fuerit. Cum enim vltroneus sit hominum motus, & sui arbitrij mens, in te situm est, velisne temetipsum lolium fieri & pabulum brutorum animalium, an potiùs in frumentum mutari.* Et orat. contra gentes. *Anima liberum sui ius arbitriúmque intuetur, sentítque se in vtramque partem corporeis membris vti posse; tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt. Ea autem quæ sunt appello bona, quæ non sunt mala.*

S. Basilius in Psalm. 61. *Liberum arbitrium stateram nominauit* David, *quod momentum æquale ad vtrumlibet poßit capere.* Et homil. quòd Deus non sit autor malorum: *Anima libero facta est arbitrio, quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat. Soluta enim hac omni neceßitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens propterea quod ad imaginem eius creata est, bonum quidem intelligit & iucunditatem illius nouit, potestatémque habet ac facultatem in boni contemplatione & spiritualium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conseruandi: habet autem & à bono deflectendi facultatem.*

Nazianzenus orat. 1. *Summæ ac singularis Dei bonitatis argumentum est, facere vt virtus, nostra quoque aliqua ex parte sit, nec natura tantùm nobis inseratur, sed etiam per voluntatem liberique arbitrij in vtramque partem agitationes excolatur.* Et Iambico 15. *Quo volo moueri, liberum arbitrium voco.*

Theophilus Alexandr. epist. 3. Pasch. *Non ambigitur, quin in vtramque partem, faciendi vel non faciendi bona, habeamus liberam facultatem.*

Nemesius, aut vt alij censuerunt, Gregorius Nyssenus, toto lib. 7. de Philosophia, hanc libertatis notionem ratam habet, vt superuacaneum sit futurum, plagulas decerpere.

S. Augustinus lib. 2. de peccato. merit. c. 18. *Arbitrium voluntatis, huc atque illhuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & malè vti malus potest.*

S. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Ioan. c. 54. *Liberum hominis arbitrium, ad alterutrum, secundùm animi sui iudicium potest proficisci.* Et lib. 9. cap. 10. *Rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est, & suæ voluntatis habenas vnicuique commisit, vt in eo sit, quicquid probauerit eligere.* Et lib. 1. contra Nestor. cap. 3. *Vnusquisque nostrum suæ potestatis intelligitur, tanquam cui suæ voluntatis à Deo permissæ sint habenæ.* Et lib. 8. in Iulia. ad textum 3. *Homo factus est sui iuris & liber, ac suæ voluntatis momento transiens ad potestatem quæcunque vellet faciendi, siue bonum siue malum.* Tandem lib. 1. de adorat. non multis ab initio paginis. *Dicimus factum esse hominem ab initio eiusmodi, vt quamuis animum haberet peccato ac vitijs præstantiorem, non is tamen esset, vt in vtramcunque*

partem vellet, flecti non posset. Etenim illi rerum vniuersarum optimo opifici Deo rectissimum est visum, propriæ voluntatis habenas illi permittere, spontaneisque conatibus tribuere, id vt facerent quod sibi visum fuisset. Oportebat enim vt virtus, voluntate suscepta, non vi necessitatis coacta videretur. Non agit de statu supernaturali hominis: disertè enim paulò post ait, hæc pertinuisse ad propriæ hominis naturæ rationes; cui diuina per gratiam similitudo postea accesserit.

Prudentius lib. 1. contra Symmach. epigr. 14. præferens hominem Soli, monstránsque, Solem quod liber non sit vt homo, Deum non esse, sic canit, & libertatem flexili vtrolibet potestate describit.

Hic erit ergo Deus præscriptis lege sub vna
Deditus officijs? Libertas laxior ipsi
Concessa est homini, formam cui flectere vitæ
Atque voluntatis licitum est; seu tramite dextro
Scandere, seu læuo malit decurrere campo:
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere Deo, siue in contraria verti.
Ista ministranti regimen solemne dierum
Haudquaquam Soli datur à Factore potestas.
Sed famulus subiectus, agit quodcunque necesse est.

Theodotus Ancyranus tom. 6. Conc. Ephes. cap. 10. homil. in Natali Saluat. hanc ipsam Prudentij ratiocinationem de hominis supra Solem prærogatiua, ob libertatem vtrolibet flexilem, oratione soluta, egregiè expressit. Locum dabo infrà cap. 5. cum de necessitatis & libertatis dissidio.

Prosper carmine de ingratis vers. 430.

Sed quia iam in nobis & velle & nolle creatum est,
Arbitrijque sui quo vult intendere motus,
Libertas accita potest: &c.

Apud eundem Autor poëmatis de prouid. v.653.

Coram adsunt aqua seruatrix, populator & ignis,
Ad quod vis, extende manum, patet æqua facultas.

S. Faustus Rhegiensis lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 10. *Sicut dexteram Deus in omni homine ipse formauit, sed in potestate hominis posuit, vt eam quò vellet, extenderet, & ad diuersa opera conferret; pari modo sensum rationis & arbitrium voluntatis, in vnamquamque animam inseruit, inspirauit, infudit; sed eam in manu humani consilij moderandam & exercendam reliquit, eiúsque officia iuri hominis dominióque commisit; vt si malum deprauatus appeteret, id arbitrij libertate permissum sibi sciret, licere nesciret: Si autem bonum cuperet, actionem & perfectionem eius à Conditore deposceret, ad mercedem verò illius, officiosa deuotio pertineret. Et ideò hominis formator & rector, bonæ voluntatis homini deputauit vsum, sibi reseruauit effectum. Non ergo æquum iustúmque, vni velle concessit, & alteri denegauit: sed sicut omni homini manum, oculum, gressúmque donauit; ita similiter omni homini voluntatem, vt eam in quamlibet partem versaret, indulsit.* Hic autor, quem sanctitate clarum, & cœlitum honoribus decoratum, monstraui in tractatione de causa Valeriani Cemeliensis cap. 3. n. 2. in negotio gratiæ, suspectus non immeritò plerisque fuit, vt dixi in Censura censuræ libri de prædestinatione & gratia, n. 14. In negotio tamen libertatis, præsertímque notionis qua concipienda est libertas, malè nunquam audiuit. Vides tamen quàm

graphicè libertatem exprimat, per potestatem expeditam quaquauersum.

IV. Possem innumeros alios libertatem nostram versatili ad vtrumlibet potestate definientes referre. Sed in re clara & passim obuia, mihi iam videor nimius. Quare plures ex hoc primo ordine referre fastidio. In altero ordine, hoc est eorum qui libertatem hominis explicant per potestatem ad bonum aut malum, innumerabiles item adduci possent, præter eos quorum testimonia iam recensuimus in primo ordine, ac præter vtrolibet flexilem facultatem qua libertatem metiuntur; ei quoque tribuunt posse ad bonum aut ad malum verti pro potestate. Paucos nunc seorsim notare sufficiet, ex quàm plurimis qui libertatem nostram per facultatem benè aut malè pro libito agendi declarant.

Athenagoras in legat. pro Christ. *Liberi arbitrij Angelis quoque in vtramque partem, voluntatem constituerat Deus, sicut & in hominibus liberam, & prauitatis & virtutis eligendæ potestatem cernere est.*

Methodius in fragmento contra Origenem quod exscripsit S. Epiphan hæres. 64. *Quomodo animam liberum arbitrium habere in hoc mundo apparet? In nobis enim situm est, vt credamus & non credamus. Vbi autem in nobis situm est credere & non credere, in nobis rectè facere & peccare, in nobis bene facere & malè facere.*

S. Basilius in cap. 14. Esaïæ. *Ex suo ipsius proposito & libera voluntate, vnusquisque esse potest semen sanctum, aut certè in diuersum abire.*

S. Epiphan. hæresi 16. quæ est Pharisæorum, tra-

ctans illud Isaïæ. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, si verò nolueritis,* &c. ita ex eo loco colligit. *Quare omnibus manifestum est, clarúmque ac minimè ambiguum, quòd liberum arbitrium exhibuit nobis Deus per seipsum locutus*, si volueritis & nolueritis. *Quare circa hominem est, bona operari, aut malas res appetere.*

S. Hieronymus epist. ad Damasum de filio prodigo. *Solus Deus est in quem peccatum non cadit. Cætera cum sint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in vtramque partem, suam possunt flectere voluntatem.* Et dialog 3. contra Pelag. Atticus Catholici personam sustinens, Critobulum Pelagianum sic affatur. *Hoc est quod tibi in principio dixeram, in nostra esse positum potestate vel peccare vel non peccare, & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, vt liberum seruetur arbitrium.*

S. Augustinus lib. 2. de gestis cum Felice cap. 3. & 4. multus est in hanc rem. Illud appositè habet præter cætera. *Esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit, non solùm in diuinis scripturis quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi tibi probo.* Et mox. *Habet quisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala, & esse arbor mala.* Et cap. 8. ait aliquos per liberum arbitrium subdere se sanandos Deo optimo medico, & alios eius misericordiam per liberum arbitrium respuere; & idcirco illos præmiari, istos damnari.

Autor hypognostici apud August. lib. 3. *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum quæ ad Deum*

pertinent sine Deo aut inchoare aut certè peragere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis quàm etiam malis.

S. Diadochus lib. de perfect. spiritu. cap. 5. *Liberi arbitrij potestas est voluntas animæ rationalis, quæ promptè mouetur quò velit: cui quidem tunc suadebimus vt ad bonum tantùm prompta sit, cum mali memoriam bonis cogitationibus consumpserimus.*

S. Damascenus 2. fid. cap. 26. prolatis operibus quæ in nostra sunt sita potestate, ait, inter ea esse quoque, *Virtutis & vitijs opera: horum enim arbitrij libertatem per se, liberámque potestatem adepti sumus.* Et cap. 27 ait, in potestate libertatis esse, sequi appetitus, eósve frœnare. Et cap. 29. ait, Deum, mala neque decernere facienda, neque facta approbare, libertati tamen permittere vt ea eliciat. quod suaptè vi & versatili facultate potest.

S. Anastasius Sinaita cap. 2. Ducis viæ. *Liberum est, quod sui iuris est. Nam quod sub domino seu alieno iure est, hoc non est liberum. Libertas enim propriè est, omnis frœni & impedimenti expers potestas, persequendi id quod animo allubescit. Libertas animæ intellectuali competit, & est concupiscibilis partis expedita, nullóque obice retardata ad virtutem vel malitiam propensio, & motio. Vbi verò malitia & virtus non obijciuntur, illhic libertas reperiri non potest. Qua enim ratione libera eligendi facultas elucescat, nisi contrariorum oppositu?*

S. Bernardus serm. 81. in Cant. *Similem verbo animam facit arbitrij libertas. Ex hac nempe inest illi inter bonum & malum, necnon inter vitam & mortem, sed &*

nihilominus

nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij & optio eligendi.

V. Video in re tam perſpicua támque vbiuis obuia, tempus à me propè inſipienter cóſumptum. Sed ſi factus ſum inſipiens, aduerſarius me coëgit. Protuli porrò in vtroque ordine, antiquos duntaxat. Cur autem è poſterioribus neminem nominatim cenſuerim adducendum, multitudo facit, & quod ad vnum omnes iam ab aliquot ſeculis antiquę libertatis notioni quam propoſuimus, adhæſiſſe conſtanter, ſit extra dubium. Id quod egregius aduerſarij laudum præco, his verbis prodidit in operis elogio. *Indifferentiam quam non Platonica, id eſt diuina, ſed Peripatetica diſceptatio in puram putam libertatem iam pridem induxerat, hic autor ita eliminat, vt mirum ſit, eam aliquot retrò ſeculis,* ADOLESCENTIORI SCHOLÆ *vſque adeò placuiſſe. Licet ne quid eruditioribus viris detrahatur, in eorum operibus quod hîc propalatur dogma, deliteſcat velut in ſemine: vel tanquam è ſilice, non mentis contentione tamen, ſed attentione, non præiudicando ſed obaudiendo excudendum.* At nos ſilices tundere, & ſcintillas excudere, in tam luculenta flamma vbique excitata, non laboramus.

Errones quoque, vulgatam libertatis notionem ſuppoſuerunt.

VI. Satis de argumento contra amplitudinem, ex ſapientum omnium, ipſiúſque etiam innocui vulgi, communiſſimo ſenſu. Nunc, vt me facturum, initio recepi, legendæ ſunt è ſpinis vuæ, & è tribulis ficus, ex erronibus inquam & hæreticis educenda eſt hæc veri-

tas. Fatarij quidem iam olim, humanæ libertatis hostes habiti sunt, eóque nomine ab ipsis etiam Ethnicis proscissi, vt apud Eusebium legimus l.6. de præpar. neque tamen nomine eius libertatis quam impetebant, aliud designabant, vt ibi initio capitis sexti disertè traditur, quàm absolutam agendi & non agendi potestatem, eáque ex causa ab Oenomao Cynico, *venefici* dicti sunt, ab alijs autem aliis probris notati.

Sed quominus necesse sit errones longo iam situ putres ac marcidos reuocare in lucem, facit multitudo hostium libertatis quæ in his seculorum fæcibus ebulliuit, ducibus Luthero atque Caluino, duobus nequitiæ primipilis. Hi ergo eorúmque partiarij ad vnum omnes, quibuscum ad messem vsque crescere cogimur in his regionibus, vt proinde non possimus eorum sensa non callere, dissident à Catholicis quoad libertatem expeditam, quam Catholici ex Ecclesiæ præscripto tuentur, illi diffitentur atque impugnant. Nihil autem impugnant aliud, quàm potestatem vtròlibet flexilem pro hominis voluntate. Audi Caluinum 2. Instit. cap. 2. *Censeo cauendas eas voces quæ absurdum aliquid sonant, præsertim vbi perniciosè erratur. Quotus autem quæso quisque est, qui dum aßignari homini liberum arbitrium audit, non statim concipit illum esse & mentis suæ & voluntatis dominum, qui flectere se in vtramuis partem à seipso poßit?* En quam libertatem neget Caluinus, & ob quam negatam impugnatur à Catholicis tanquam hostis libertatis. Quam impugnationem declinare non posset, si diceret, se quidem libertatem humanam tollere, sed eo nomine tantùm intelligere po-

testatem agendi aut non agendi pro voluntate; libertatem tamen aliam quæ sita sit in amplitudine ex adhæsione cum Deo, à se non conuelli. Hanc declinationem, nemo non videt, inanem & cassam fore, cum eo ipso quòd Caluinus potestatem vtrolibet flexilem inficiatur, illico omnium iudicio, libertatis inficiator habeatur. Ergo notio libertatis, non modò apud Catholicos, sed etiam apud hæreticos, ea est quam proponimus, non autem qualem aduersarius, recèns obtrudit.

VII. Argumentum quod hactenus contra nouam sententiam ex peruulgata *libertatis* apud omnes notione confecimus, confirmari validissimè potest ex notione *electionis*, quam notissimum est esse partum liberi arbitrij, & quidem præcipuum, vt etiam aduersarius agnoscit, qui contendit libertatem debere definiri vim electiuam. Quæ ergo erit notio electionis, eadem erit & libertatis. At constat, nomine electionis designari tantùm volitionem terminatam ad vnum, cum æquè posset ad alterum terminari. v. g. cum alicui exhibentur duo media, vt equus vel nauis ad iter faciendum, iubeturque eligere, plus satis liquet, eum non iuberi adhærere Deo & referre quippiam ad ipsum; sed sensum esse, præberi illi optionem vt assumat vnum è duobus, prætermisso altero quod æquè erat in potestate eius assumere. Hæc apud omnes omnino mortales, est, & fuit, electionis notio. Ac proinde cum electio sit libertatis actus maximè proprius, fatendum est, libertatem esse potestatem ad vtrumlibet, non autem vel amplitudinem vel eminentiam deriuatam ex ad-

hæsione cum Deo, de qua nemini in mentem venit, cum audit vel vsurpat libertatis & electionis vocabula: in quorum certè cladem, & in Dictionariorum omnium subuersionem, noua libertatis & electionis notio excogitatur.

Meminisse verò oportuerat autorem, moniti prudentissimi quod Tertullianus lib. de carne Christi cap. 13. his verbis præbet. *Omnia periclitabuntur aliter accipi quàm sunt, & amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quàm sunt cognominantur. Fides nominum, salus est proprietatum.* Sed & Clemens Alexandrinus 7. strom. commendatis ijs *qui per communes notiones exprimunt id quod est melius*, carpit errones, quorum vsum fuisse in contrarium testatur. *In omnibus*, inquit, *ferè dictionibus quas adducunt, inueneris ipsos sola nomina attendentes vt qui mutent significata*, &c. *Veritas autem non inuenitur in eo quòd transferat significata: Sic enim omnem veram euertent veritatem.* Liquet etiam de quibus dixerit S. Hilar. 2. de Trinit. *Naturas nominibus adimunt, quia nomina non possunt auferre naturis.*

Quanto iure autor, eam nouitatis notarit.

VIII. In huius capitis calce, nolo celare lectorem, quæ animum meum cogitatio subiuierit, cum ea quæ hoc capite proposui, cum ijs componerem quæ autor in libri primi præfatione, & alibi non vno loco tradit. Monstrasse enim mihi videor apertissimè, notionem libertatis ab aduersario cusam, eiusmodi esse, vt nemo ante eum tale quid subesse voci *libertatis* intellexerit, sed omnes eo nomine designatam ab omni æuo v-

luerint poteſtatem vtrolibet flexilem, vel agendi ac non agendi facultatem. Hæc cum ita ſint, quid ſibi vult aduerſarius, cum ſententiam ſuam canam & vetuſtam, iámque præ ſenio albentem, & rugis aratam deſcribit, ea quam dixi præfatione? Cum noſtrum placitum quo libertas dicitur eſſe poteſtas ad vtrumlibet, vocat doctrinam *nouam & peregrinam*, vt proloquio ſecundo referre memini? Ain nouam, quæ omnium planè mortalium ante te fuit? quæ omnibus Dictionariis conſignata ab omni æuo habetur? Ain peregrinam, quæ nata in ſenſu ac iudicijs omnium retrò Doctorum, ibidem, non iure ciuitatis donata, ſed vt in patrio ſolo conſenuit? Præ hac tu albere dicas nouitiolam paraturam; & teneras malas nec dum prima lanugine veſtitas, cum cano capite cui iam palearia mento longa pendent, auſis quoad ætatem componere, imò præponere? Quæ pudicitiam contrucidarunt, ſi eis iurgium cum alijs è molliore ſexu interueniat, probrum confeſtim anteoccupant. Sectarij ad vnum omnes, quamuis vt de Gnoſticis à S. Irenæo dictum eſt li. 1. cap. 33. velut è terra fungi, enati ſint, præſcij non habere ſe quid reſpondeant, ſi vrgeantur interrogatione illa Tertulliani nouitatem illis exprobrantis l. de præſcript. *Qui eſtis? quando & vnde veniſtis?* memores malè habitos hac argumentatione Gnoſticos à S. Irenæo l. 3. contra hæreſ. cap. 4. à Tertulliano Marcionem l. aduerſus eum primo, à S. Hilario Arianos libro altero ad Conſt. Nouatianos à S. Cypriano epiſt. 76. Apollinariſtas à S. Gregorio Nazianzeno orat. 52. Iouinia-

num à S. Hieronymo libro in eum ſecundo, ab alijs SS. Patribus, alios nouitatum architectos, & generatim omnes à S. Vincentio Lyrinenſi in commonitorio; Horum inquam conſcij ſectarij, ſe ſolos canos, & antiquæ religionis ac fidei tenaces, ſe ſolos Apoſtolicos & veteris Eccleſiæ reliquias, ſolos Catholicos venditant, ait Saluianus l. 5. de prouid. & S. Auguſtinus in breu. collat. diei tertiæ cap. 3. Hoc eſt quod animum ſubiuiſſe dicebam, cum primùm ſententiam quæ libertatem flexili vtrolibet poteſtate definit, vidi ab autore, nouitatis & peregrinitatis inſimulari.

CAPVT V.

Radix libertatis ab aduerſario prolata, vnáque inde progerminans formalis libertas, ſtirpitùs euellitur.

I. AGGREDIOR alia ex parte nouam ſententiam propoſitam; nempe impugnando radicem libertatis ab aduerſario aſſignatam, ſubiectionem ſcilicet ad Deum, vel adhæſionem cum Deo. Hanc radicem ſi euulſero, formalis quoque libertas, quæ ex ea effloreſcere dicitur, eadem opera ſuccidetur, verúmque hac etiam in parte prodetur, quod à S. Auguſtino cap. 1. ad Oroſium, ſcriptum legimus: *Radicem effodere atque extirpare, compendium eſt.*

Aduersus nouam libertatis radicem, prima ratio, ex poßibili neceßitatione adhæsionis ad Deum.

Radicem ergo ex qua formalis libertas progerminat, assignat aduersarius, subiectionem ad Deum, vel adhæsionem cum eo. Quod inprimis inde impugnatur, quòd omnes DD. post. S. Thomam qu. 22. de verit. artic. 8. vt certum supponunt voluntatem posse diuinitus necessitari, eóque adigi quò ipsa nutu suo ferri nollet. Nam quamuis voluntas cogi nequeat coactione propriè dicta, potest tamen absque coactione necessitari, si ipsa quidem volitionem excudat sed adacta. Hoc si quis Deo negauerit, næ ille parum congruè de diuina omnipotentia pronunciabit: nimis autem magnificè de humanæ voluntatis vocibus statuet, qui eam virtuti infinitè robustæ, hoc est diuinæ, indomabilem & insuperabilem affirmare ausit. Quo pacto enim Deus omnia posse prędicatur, si tantulam vim non potest de munimento suo deijcere, & ad nutum suum fingere vel renitentem? Itaque in hoc consensisse omnes Theologos, eíque vnum & alterum è iunioribus perperam repugnasse, affirmat Pesantius 1. p.q. 19. artic. 8. disp. 1. Et præiuerant Theologis SS. Patres. Querentibus enim quòd Deus hominem dimiserit liberum, quem satius fore ducebant necessitari ad bonum, non respondent eam necessitationem non esse Deo possibilem, quæ fuisset expeditissima querelarum præclusio: sed respondent, id non decuisse Deum. *Si Deus est potens,*

misericors, conseruator, aiebat vnus aliquis apud Arnobium lib. 2. n. 58. *Conuertat nobis mentes, & inuitos faciat suis pollicitationibus credere.* Respondet Arnobius. *Vis ergo est ista, non gratia, nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium, puerilis atque inanis contentio. Quid est enim tam iniustum, quàm repugnantibus, quàm inuitis extorquere in contrarium voluntates; inculcare quod nolint, & quod refugiant animis; priùs nocere quàm prosis, & priore detracto in alienum habitum sententiámque traducere?* Non aliter similes expostulationes elidunt Tertullianus 2. in Marcio. c. 6. Basil. hom. quòd Deus non sit autor malorum, & alij inferiùs in eam rem proferendi, perspicuè omnino supponentes, voluntatem posse à Deo necessitari. Multis argumentis id confirmat Bernardus à Gannaco apud Capreolum in 1. d 45. quæst. vnica artic. 2. *in argumentis contra secundam partem quintæ conclusionis.* Nec istam viam omisit, qui nouem modos voluntatem necessitandi proponit, Angestus cap. 3. Moral. textu 6. Posse igitur voluntatem à Deo necessitari, ratum esto.

Adigat itaque Deus hominem, vt spretis bonis hisce caducis, incommutabili bono, ipsi inquam numini adhæreat. Perspicuum est, in eo euentu defuturam homini libertatem, quæ cum necessitatione ad actum inconciliabiliter pugnat; & tamen daretur adhæsio cum Deo, qua posita poni perfectam libertatem moralitatis fundatricem, sententia est aduersarij.

Effugium, ex eo quòd Deus non sit homini extrinsecus.

II. Video quo se latibulo conditurus sit aduersarius.

rius. Effatum eius est sanè singulare, quicquid à Deo in nobis fit, esse naturalissimum: non ex eo fundamento ex quo pauci quidam scholastici omnem Dei in creatura actionem violentia exemerunt, quia scilicet Deus est autor naturæ & prima causa, quod fundamentum euertimus in Moral. dist. 2 à n. 12. sed ex alio nunc primùm iacto. nempe quòd Deus cum homine operans, fiat idem quod homo, vel certe ipse homo transeat in Deum. Hinc enim autor lib. 1. cap. 17. n. 9. & 10. effici ait, vt qui à Deo mouetur, à seipso moueri, ac proinde liberè agere sit dicendus. Existimo vacillaturam Lectoris fidem, nisi ipsa aduersarij verba repræsentem. *Moueri à Deo*, inquit, *non est moueri ab alio: multo minus ab extrinseco. Etsi enim Deus nec sit pars mei, nec egomet prout spector in mea limitatione, est tamen meum esse laudabile, vt loquuntur Platonici: Est* αὐτὸ τὸ αὐτὸ *ipsummet ipsum, est mihi intimior intimo meo* Et mox num. 10. conficiens summam doctrinæ eminentissimæ de hominis transitu in Deum, per subiectionem ad illum, ita concludit. *Consequens est eum qui mouetur à Deo cui tanquam fini inhæret, non moueri ab extrinseco, sed à seipso, quandoquidem mouetur ab eo quod est esse suum.* Cúmque *Deus sit actus purus, intimitas autem* [illegible]*nionis ab actus puritate & simplicitate petatur, vnionem illam Dei nobiscum esse intimiorem quauis alia: ac rursum cum sit actus summus & vniuersalis, creaturam vnione illa transire quodammodo à sua particularitate & limitatione ad esse immensum & vniuersale & Deum fieri illi omnia, sicut habet expressè Apostolus.* 1. *Cor.* 1[illegible]. vt sit Deus omnia in omnibus. *Ideóque cum mouetur à Deo qui quolibet alio intimior illi*

est, magis moueri à seipsa, quàm cum ipsamet secundùm suum esse proprium ac particulare seipsam mouet. Eodem fundamento nititur quod autor lib. 1. cap. illo 17. n. 6. ait, si ego quatenus ego me mouеam, motum fore violentum: nec hominem à seipso moueri sine violentia, nisi moueat motus ac determinatus à Deo; quantúmque homo à Dei motione recedit, tantum à naturalitate sibi congrui motus desciscere, & motum suum violentiæ admistione inficere; eo quòd homo iuxta Platonem in Alcibiade. 1. si spectetur in Deo, sit αὐτὸ τὸ αὐτὸ, *ipsummet ipsum*: si verò in seipso consistere incipiat, efficiatur αὐτὸ ἕτερον, *ipsum alterum.* Ex hac ergo doctrina, aduersarius argumentum propositum elidet, dicendo, non posse Deum, voluntatis libertati officere quantumcunque valida necessitatione, quia actio inde exprompta, quantumcunque non ab ipsius hominis nutu prodeat, tamen non fiat ab alio, sed ab homine, quatenus ipsummet eius esse laudabile, Deus est.

Præcluditur.

III. Hîc hæreo. Neque enim habeo quomodò satis suspiciam hunc philosophandi modum. Sanè vt responsio quadret argumento cui adhibetur, necesse est admittere, hominem ita trásire in Deum, vt vna sit vtriusque entitas. Nam nisi Deus sit hoc modo vnum nobiscum, impossibile erit concipere, eum qui mouetur à Deo non moueri ab alio, ex quo sequetur actionem vi talis motionis elicitam, non esse liberam. Atqui eam hominis cum Deo vnitatem, non modò in

Eutychete innumeræ Synodi, ac Patres intortis censurarum fulminibus prostrauere, sed etiam naturale lumen manifestè monstrat repugnare, vt egregiè præter cæteros tradit S. Cyrillus epistol. 2. ad Successum, & Ferrandus Diaconus epist. 1. ad Anatol. Estque res adeò clara, vt non censeam in ea hærendum.

Neque verò quædam scripturæ loca quæ monstrosum illum hominis transitum in Deum, externa specie videri possent sonare, eum reuera sensum habent. Dicimur enim vnum cum Deo fieri, & vnus cum Deo spiritus esse, eo duntaxat modo, quo plures amici dicuntur esse cor vnum & anima vna: nempe per affectum, salua (quod vix monendum est) distinctione entitatiua. Est in eam rem locus illustris apud Hieronymum lib. 2. in Iouin. ad propositionem quartam. Obijcienti enim Iouiniano, omnes iustos, æqualiter iustos esse, eo quòd omnes vnum sint cum Deo; Respondet Hieronymus, *non nos secundùm naturam, sed secundùm gratiam, vnum esse in Patre & Filio. Neque enim eiusdem substantiæ est, quod Manichæi solent dicere anima humana & Deus.* Sed dilexisti (*inquit*) eos sicut & me dilexisti. *Vides ergo, quod in consortium substantiæ eius assumimur, non naturæ esse, sed gratiæ.*

Similiter dicitur Deus fore omnia in omnibus, eo proportione modo quo Apostolus dicit se factum omnibus omnia, non per transitum realem in omnes alios, & alias: sed quia ad cuiusque captum & genium fingebat sese. Erit ergo Deus omnia in omnibus absque reali in eos transitu, quia cuique beatorum conferet quicquid ei expetibile aut consentaneum esse po-

terit. Vel iuxta Hieronymum epist. 147. Deus erit omnia in omnibus quia in cœlo manifestabit plenè dona sua in omnibus beatis, non vt nunc in vno donũ vnum, in alio aliud. Aut iuxta Cassianum collat. 10. c. 6. & 7. & collat. 7. c. 6. Erit Deus omnia in omnibus beatis, quia sancti Deum vnum sitient, nihílque præterea habebunt in desiderio: quem ille statuit proportionaliter verticem perfectionis huius vitæ, & anticipatam quandam status beatifici prægustationem iam ex hoc seculo. Est & alius verborum illorum sensus à Tertulliano cap. 4. aduersus Praxeam insinuatus qui capitis texturæ magis cohæret. Nempe fore Deum post seculi metam omnia in omnibus, id est summo ac pleno in omnes imperio potiturum. Autor operis de Incarnatione perperam Diuo Augustino tributi lib. 2. c. 1. aliam insuper proponit eiusdem loci expositionem admodùm piam, quam nolo omittere, *Vbique*, inquit, *& in omnibus dicimus esse Deum, pro eo quòd nihil potest esse vacuum Deo: non tamen ita esse dicimus, vt omnia sit nunc, in quibus est. Vndè diligentiùs intuendum est, quale est hoc quod perfectionem beatitudinis rerúmque finem significat, quod non solùm in omnibus Deus esse dicitur, sed etiam omnia esse dicitur Deus. Quæ sunt ergo ista omnia quæ Deus futurus sit in omnibus, inquiramus. Et ego quidem arbitror, quia hoc quod in omnibus omnia Deus esse dicitur, significet etiam in singulis Deum omnia esse. Per singulos autem, omnia erit hoc modò; vt quicquid rationabilis mens expurgata omnium vitiorum fæce, atque omni penitùs extersa nube malitiæ; vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest, omnia Deus sit: nec vltra iam aliud aliquid nisi Deum*

sentiat, Deum cogitet, Deum videat, Deum teneat, omnis motus suus, Deus sit: & ita erit ei omnia Deus. Non enim iam vltra boni malique discretio, quia nusquam malum. Omnia enim ei Deus est, cui iam non adiacet malum. Nec vltra ex arbore sciendi bonum & malum edere concupiscet, cui semper in bono est, & cui omnia Deus est. Sic ergo finis ad principium reparatus, & rerum exitus collatus initijs, restituet illum statum quem tunc habuit natura rationalis, cum de ligno sciendi bonum & malum edere non egebat. Et amoto omni malitiæ sensu, & ad sincerum purúmque deterso, solus Deus qui est vnus bonus, hic ei fiet omnia; & non in paucis aliquibus vel in pluribus, sed vt in omnibus ipse sit omnia. Et cum iam nusquam mors, nusquam aculeus mortis, nusquam omnino malum, tunc verè Deus omnia in omnibus erit. Protuli tam multas, támque varias loci illius interpretationes, vt liqueat quàm variè locus ille qui aduersario est murus aheneus; (cum enim habet ad stabilienda multa inaudita mysteria, semper ad manum;) in sensus longè alios accipi possit, quàm ad stabiliendum realem nescio quem inimaginabilem transitum hominis in Deum, vi cuius transitus dicere liceat, motum à Deo in homine causatum, ab ipso homine effici. Differit plenè de hoc Apostoli loco Valdensis l. 1. doctr. cap. 4. occasione Vvicleffi, quem refert in his Apostoli verbis nidum reperisse idearum, & per eas hominis cum Deo identitatem. Vt videas non nouum esse abuti hoc loco ad astruendam hominis identitatem cum Deo. Ego cum Augustino concludo lib. de natu. & grat. cap. 34. *Si aliqui putant tantum nostrum futurum esse profectum, vt in Dei substan-*

tiam conuertamur, & hoc efficiamur prorſus quod ille eſt, viderint quemadmodum aſtruant ſententiam ſuam, mihi hoc fateor non eſſe perſuaſum. Agit de noſtro in Deum tranſitu in altera vita.

Quare argumentum quod conficiebam, perſtat inconcuſſum: quia cum Deus quantumcunque hominem diligat, ſit ſemper ab eo ſeiunctiſſimus entitatiuè, nec homo in eum tranſeat niſi myſticè & per affectum; fatendum eſt, hominem ſi à Deo ad agendum adigatur, moueri ab alio, & extrinſecus ad operandum vrgeri, non immanenter operari; atque adeò agi non agere, vt exigeretur ad libertatem operationis. Nemo ſanè dixerit actionem ab vno amicorum prodeuntem adigente altero amico, eſſe homini adacto liberam, quamuis amici ſint vnum cor & vna anima. Actionem item vnius amici, eo ipſo quòd eſt ab altero amicorum, eſſe alteri amico Phyſicè immanentem, & ab intrinſeco principio reſpectu eius, nemo ita deſipiat vt admittat. At Deus quantumlibet hominem amore proſequatur, & ab homine redametur, infinities plus diſtat ab homine, quàm creatura quæcunque ab alia diſcrepet. Ac proinde actio Dei in homine paſſiuè ſe habente, eſt homini extrinſeca & ab altero. Nec Plato in Alcibiade. 1. de neganda hac Deum inter & hominem alteritate cogitauit. Agebat enim de diuinis ideis, ratione quarum homo in Deo eſt ipſe Deus, quia repræſentatio hominis à Deo non differt. Vel certè agebat Plato de homine cauſaliter accepto, ſeu de vi diuina hominis effectiua. Hæc autem quid ad rem præſentem?

Ratio secunda, quia daretur libertas ante eius radicem.

IV. Secundò contra propositam ab aduersario libertatis radicem & inde exortam libertatem formalem, argumentor, quia certum est, adhæsionem viatoris cum Deo esse actum liberum. Est enim actus meritorius, quod non haberet si libertate destitueretur. Atqui supposita aduersarij sententia, actus adhæsionis non posset dici liber. Nam ea adhæsio cum sit radix libertatis formalis, non potest subsequi germen suum siue amplitudinem, & ratione eius esse libera formaliter. Sumo ergo actum adhæsionis, & de eo vt antecedente amplitudinem, omnémque denominationem ab ipso progerminantem, interrogo sit liber nécne. Si non est liber, ergo non est actus moraliter bonus atque meritorius, quod absit vt quis admittat. Si verò liber est, ergo dabitur libertas formalis ante libertatem formalem, ab aduersario propositam, hoc est ante amplitudinem: dabitur item germen principians radicem suam, nempe libertas principiabit adhæsionem, quæ dicebatur radix esse libertatis.

Nec potest aduersarius argumenti huius impetum declinare, dicendo, in euentu proposito quod habet rationem actus primi liberi non esse adhæsionem actualem, sed gratiam sanctificantem quæ iuxta Apostolum est substantia absconditi cordis hominis; vel certè esse denominationem ab anteriore actu adhærendi, quæ moraliter superstes sit, &

hominem efficiat vel denominet liberum. Nihil inquam horum dici potest. Sumo enim hominem lustralibus baptismi aquis inexpiatum, & qui nullo antea perfectæ conuersionis actu, adhæserit Deo fini suo. Illius ergo primæ adhæsionis principium formaliter & causaliter liberum quærimus; & cum iuxta aduersarii placita assignari nequeat, superest vt consequenter negetur eum esse liberum, atque adeò etiam bonum moraliter, quæ quanta esset doctrinæ peruersitas nihil attinet dicere.

Tertia, quia non omnis liberè agens, adhæret Deo.

V. Tertiò argumentor qua iuxta sententiam quam impugnamus, admittendum consequenter est, omnem planè liberè operantem, attingere actu Deum, eíque subijci & adhærere. Neque enim potest esse libertas formalis sine radicali, quæ de aduersarij sententia, huiusmodi adhæsione & subiectione continetur. At omnem actum liberum attingere Deum, non modò ridiculum est, sed ita falsum vt nulla ratione admitti possit, quod duobus præcipuè modis ostenditur. Nam probabilis est grauissimorum Theologorum & Philosophorum sententia, dari plerósque actus liberos qui non modò ex obiecto, sed etiam attentis omnibus circunstantiis sint indifferentes. Ita enim tradunt D. Bonauent. in 2. d. 41. n. 22. Scotus & Scotistæ omnes, quidam eadem dist. 41. alij 40. Angestus cap. 8. moral. Gabriel, Carthusianus, Almainus, & alij quos

quos retuli in Moral.dist.2.n.30.vbi ex DD Hieronymo & Augustino notaui, eandem quoque fuisse Philosophorum olim communem sententiam. Et quamuis aduersarius lib.1.cap.13.maximè efferuescat in hanc doctrinam, iisque loquendi phaleris disputationem aduersus eam conuestiat, quæ Aphtonij potius progymnasmata quàm maturitatem Theologicam redoleant: Tamen nihil planè profert quod ei sententiæ probabilitatem adiudicet, & ab illius patronis absque graui labore retundendum non sit. Admissa autem ea sententia, quæ verè est probabilis, nec minùs idoneis, (certè non admodum disparibus) fundamentis nititur quàm contraria; ruit vniuersa aduersarii doctrina, quia actus indifferens non fertur reipsa & formaliter in Deum, nam eo ipso bonus esset. Ergo cum actus indifferens supponatur esse deliberatus & humanus, atque adeò liber, perspicuum est, libertatem non dimanare ex adhęsione cum Deo, nec libertatem formaliter contineri amplitudine ad eam adhæsionem consequente.

VI. Quod præterea firmissimè euincitur ex actu moraliter malo. Nam indubitatum est, eum qui malè moraliter operatur, liberè agere: neque tamen qui ita operatur, vel Deo subiicitur & adhæret, vel à creatis auertitur. Vtrunque de fide est, & naturæ quoque lumine notum. Nam quòd qui peccat auertatur à Deo, & derelinquens fontem aquæ viuæ, fodiat sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas, perspicua oraculorum sacrorum testificatione compertum est. Quòd verò is qui peccat, liberè peccet, ęque certum

est. Nam nisi libertate potiretur, non peccaret. Fuerunt quidem qui censerent, hominem cum elicit actioné malam destitui libertate & non peccare tunc, sed peccasse ante, quos latè refellit Gul. Paris. lib. de vit. c. 10. vt tamen detur peccatum exclusa prorsus libertate, ne fingere quidem licet. Nec est quod frustra hîc accumulem testimonia sacra, quibus peccatorem peccando libertatem suam expromere, & liberè agere, apertè traditur. Patres quoque ad vnum omnes suffragantur, vt superuacaneum sit aliquorum loca nominatim appendere. Illustrissimè præ cæteris id tradit S. Augustinus lib. de vera relig. cap. 14. affirmans peccatum vsque adeò esse liberum, vt si dicatur liberum non esse, eo ipso peccatum esse negetur. Et inde probat dari liberum arbitrium, quòd constet admitti ab homine peccata, quæ non nisi libero arbitrio admittuntur. Splendidissimè quoque peccantis libertatem agnoscit lib. 1. contra duas epist. cap. 2. & 4. Item lib. 2. eiusdem operis cap. 5. disertè ait, esse in hominibus liberum arbitrium quod ad peccandum valeat in iis qui subduntur diabolo. Et lib. de natura & gratia cap. 64. cum Pelagius locum ex D. Chrysostomo protulisset quo affirmarat, peccatum esse, *actum malignum de arbitrij libertate descendentem*, Respondet D. Augustinus, *Quis hoc negat?* Similiter S. Ambrosius lib. 1. de Iacob cap. 1. distinctissimè ait, eum qui peccat, liberè peccare. Id quod etiam optimè tradunt S. Anselmus parte 1. concord. cap. 3. & S. Bern. lib. de grat. & lib. arbit. ac Richard. Victor. lib. de statu inter. hom. c 22. & lib. 1. de erudit. inter. hom. cap. 30. Nec aliud voluit Origenes

initio tomi tertij in Ioannem, cum numerat inter paradoxa Gentilium, asserere quòd solus sapiens & iustus sit liber. Inutile est in re tam clara suffragatores proferre. Datur ergo actus liber absque adhæsione cum Deo, imò continens auersionem à Deo: atque adeò libertas perperam exponitur per amplitudinem progerminantem ex adhæsione cum Deo.

Peccandi potentiam, libertatem non continere, doctrina aduersarij.

VII. Respondet aduersarius lib. 1. toto cap. 31. peccandi potentiam neque esse libertatem, neque partem libertatis, sed defectum. Et hanc esse ait, *indubitatam doctrinam omnium penè grauiorum autorum suffragio nixam.* Et mox n. 5. vocat, *doctrinam clarissimam, certissimámque, & quam nemo in dubium reuocare hactenus ausus fuerat, quamuis aliqui inter Neotericos, præsertim Gabriel Vasques & Leonardus Lessius sanctitatem eius violare non sint veriti.* Rursúsque cap. 32. sequenti n 14. laudat *D. Thomam, D. Bernardum, Richardum, Capreolum, & alios plerosque, qui religiosè semper docuerunt, peccandi potentiam à Deo non esse.* Acerrimè autem suffigit Vasquem, *qui illorum autoritate contempta, in rem qua vel verba ipsa modúsque loquendi penè horrorem incutiunt, peccandi potentiam Deo adscribere maluit* 1.2. d. 129. c. 10. *& tamen ibid. c. 7. negat, libertatem qua actibus nostris competit, à Deo dependere: libertatem videlicet actuum humanorum, tenuius aliquid & exilius reputans infelici peccandi potentia, quam à Deo esse profitetur. Doctrina prodigio similis.*

Præmiſerat verò n. 13. aduerſus hoc ipſum Vaſqueſij placitum. *Recentiores dicunt libertatem quæ ineſt actibus humanis non eſſe à Deo, ex euidentiſsimo abſurdo* NOVVM DOGMA SVSCITANTES, *pietati parum conſentaneum, à veritate autem prorſus abſonum.* Addit, eos perinde diſſerere, ac ſi dependere à Deo, abiectionem quandam homine indignam præ ſe ferret.

Erit qui autori pro Vaſque reponat quod Auguſtinus Petiliano li.2.c.32. *Tu es maledicus conuiciator, non veridicus diſputator.* Mihi tamen ad tam aſperam Theologi ſine controuerſia doctiſſimi ſuffixionem, nihil placet reponere; præſertim cum nihil ille hac in parte ſingulare protulerit, ſed inſtiterit Doctorum anteriorum ac Patrum veſtigijs, vt mox dicam: atque adeò brutum fulmen ab aduerſario in Vaſquem vibratum, æquè in lectiſſimos illos Doctores & Patres intorquetur, & in omnes æque irritum eſt.

Refellitur.

VIII. Quicquid verò ſit de indubitata certitudine, ſanctitate, claritate, alijſque eminentiſſimæ illius doctrinæ prærogatiuis, certum eſt ex fide, eum qui peccat liberè agere. Negas? Audi Auguſtinum lib. de vera relig. cap.14. *Vſque adeò peccatum, voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.* (Priora verba ex Seneca refert Guliel. Pariſ. lib. de vitiis cap. 10. Verè tamen ſunt Auguſtini.) Et quæſt. 24. ex 83. *Nec peccatum nec*

rectè factum, imputari cuiquam iustè potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Recole præterea quæ aduersus nigram Caluini doctrinam de peccatore ad peccandú adacto, atque adeò non liberè peccante, disputant hæreseologi, nec supererit ambigendi locus, an qui peccat, liberè peccet. Et tamen hæc libera peccatoris actio, non fertur in Deum illi adhærendo, vnde iuxta aduersarium pullulat amplitudo constituens libertatem. Ergo vel conuellendus est sensus vniuersi generis humani, vnáque fidei scitis obluctandum, dicendo, peccantem non agere liberè, quia Deo non adhæret: vel hæc nouella libertas retrudenda est in suas latebras quibus hactenus abdita latuerat, omnibus ante aduersarium incomperta. Sanè iuxta eum, vt ille iocabatur,

Quæ manus est, dum se licitos extendit in vsus,
Extensa in vetitos, desijt esse manus.

Mens porrò Patrum & autorum qui aliquando negare videntur potentiam peccandi esse libertatis partem, perspicua est ex S. Anselmo qui dialog. de lib. arbit. c. 1. prout eum rectè expendit Baconus in 4. d 1. qu. 5. art. 3. tradit de ratione libertatis prout homini cum intelligentiis ipsóque Deo communis est, non esse potentiam peccandi, atque adeò de intrinseca ratione libertatis generaliter acceptæ non esse, posse peccare, quod est verissimum, & traditur à D. Thoma quæst. 24. de verit. artic. 3. & in 2. d. 44. quæst. 1. art. 1. ad. 1. & ab Henrico quodl. 3. quæst. 1-. suffragatúrque manifesta ratio. Nam Deus liberrimus est, & tamen habet immortalitatem, id est impeccabilitatem iuxta D. Amb. glossam: Beati quoque cú potiantur libertate quoad permulta,

retinerent peccandi potentiam, quæ constat admitti non posse. Inde tamen non sequitur, libertati nusquam accidere posse peccare: siue in nullo subiecto competere libertati, vt possit non modò in bonum ferri, sed etiam ad malum desciscere. Placet D. Anselmi verba ex citato capite adducere, vt ex vno, germana mens Patrum cæterorum perspiciatur, constetque eos vnum illud velle quod dixi, non autem quod aduersarius obtendit. *Quamuis differat*, inquit S. Anselmus, *liberum arbitrium hominum à libero Dei arbitrio, & angelorum bonorum, definitio tamen huius libertatis in vtrisque secundùm hoc nomen, eadem debet esse. Licet enim animal differat ab animali, siue substantialiter siue accidentaliter, definitio tamen secundùm nomen animalis, omnibus animalibus est eadem. Quapropter talem oportet dare definitionem libertatis arbitrij, quæ nec plus nec minus illa contineat. Quoniam ergo liberum arbitrium diuinum & bonorum Angelorum peccare non potest, non pertinet ad definitionem libertatis arbitrij, posse peccare: denique nec libertas, nec pars libertatis est, peccandi potestas.*

IX. Liquere hinc puto, quid velint Patres & DD. cum tradunt potentiam peccandi non esse partem libertatis, & nullo iure aduersarium efferbuisse tanta concitatione in Vasquem & Lessium, iis verbis quæ si hæreticum dogma perculisset, non potuissent mitia videri: rectissimè autem ab eis assertum esse, potentiam peccandi esse partem libertatis, non vniuersaliter acceptæ, sed humanæ atq; mutabilis. Qua ratione Ocham in 4. qu. 14 *litera* E. interpretatur quod obiectum fuerat, potentiam peccandi non esse libertatem neque

partem libertatis, dicés id valere quia non omnis liber peccare poteſt vt patet in Deo & beatis: etiam ſi omnis qui peccare poteſt, ſit liber. Sicut enim peccare eſt agere liberè, ita potentia à qua peccatum prodit, eſt actus primus liber, quia repugnat dari actum ſecundum ſine actu primo proportionato. Quandoquidem ergo peccatum, etiam vt ſic eſt actus ſecundus liber, neceſſe eſt facultatem quæ peccatum profundit, etiam quatenus illud profundit, eſſe facultatem liberam. At libertas, & facultas ſiue potentia libita, idem ſunt, iuxta communiſſimam Doctorum ſententiam in 2. d. 25. vbi probant libertatem non eſſe habitum ſed potentiam. Enimuerò niſi poteſtas peccandi eſſet pars humanæ libertatis, admittendum abſurdiſſimè foret, poteſtatem ceſſandi à malo morali quod perpetrare poſſes ſi luberet, non eſſe partem libertatis: quia libertas vnius contradictorij inuoluit libertatem alterius, vt ſalua ſit vtriuſque optio quæ eſt de ratione libertatis. Vnde niſi potentia peccandi eſſet pars libertatis, dicendum conſequenter eſſet, potentiam non peccandi ſiue feriandi à malo, non eſſe partem libertatis, quod conſtat aſſeri non poſſe. Itaque citra vllum dubium, ſicut peccare eſt liberè agere, & non peccare cum poſſis, eſt liberè omittere: ita potentia peccandi eſt potentia liberè agendi, & potentia non peccandi eſt potentia liberè omittendi: ac proinde potentia peccandi eſt vera libertas in actu primo, & libertatis adæquatè ſumptæ pars aliqua: neque hoc vt negarent, vllis ſiue Patribus ſiue Doctoribus, venit in mẽtem, quamuis eos malè in huiuſmodi ſenſũ acceperit aduerſarius.

Quomodò ea potentia dicatur libertatis defectus.

X. Æquè peruertisse eum video quod aliquando tradunt graues DD. nempe rectè eligere & seruato ordine finis, esse perfectionem libertatis: At peccare, pertinere ad defectum libertatis. Quod habet D.Th. 1.p.qu.62.artic.8.ad 3. Sensus S.Thomę est, quem tractans affinia quædam Patrum loca fusiùs persequitur Lensæus lib. 6. de libert. Christ. cap. 12. & optimè etiam illustrat Baconus in 4.d.1.qu.5 art.1. nempe munus esse liberi arbitrij, eligere è pluribus vnum, ídque cum præstat consentaneè ad finem vltimum, exercendo videlicet indifferentiam actiuam qua pollet, non per effrœnem licentiam, sed prout dignum & iustum est, perfectionem sibi conuenientem obtinere. Cum autem per abusum, aliò impenditur, abscedere eximiam illam libertatis perfectionem ex legitimo eius vsu, & succedere defectum, siue labem, & næuum illius. Est enim magna labes libertatis, quod non eò adhibeatur quo collata est, quamuis non ibi cernatur defectus, id est exclusio seu carentia libertatis, sed apertè exerceatur libertas. Vides ergo in verbis ex S.Thoma propositis, sermonem esse de perfectione accidentaria libertatis ex bono eius vsu, & de aduentitio defectu siue macula ex abusu indebito & diuina lege prohibito, qui rem non destruit, vt constat ex illis quæ disputat S. Augustinus lib. de vera relig. cap.20. At aduersarius, *perfectionem* illam ac *defectum*, longè aliter accepit:

accepit: nempe ita vt libertas sit essentialiter perfecta ac vera tunc tantùm, cum ea rectè vtimur. Deficiat autem, id est nullo modo sit libertas, cùm præter vel extra finem fertur, quod est libertatis bonum vsum cum libertate ipsa confundere. Et posset sanè aduersarius, eodem argumentandi modo probare, non spectare ad liberum hominis arbitrium, quod nunc vnum velit, & postmodum velit contrarium abiecta volitione priori. Nam S. Thomas qu. 16 de malo artic. 5. inter libertatis nostræ defectus, æquè ponit capacitatem transeundi ab vna volitione ad aliam, ac capacitatem malè agendi. Neque tamen negari potest, quin transitus ille ab vna volitione ad aliam sit in nobis à libertate, quamuis posse ita vertibiliter operari, sit defectus, id id est labes ac næuus libertatis, nam idcirco libertas perfectissima siue diuina, eam vicissitudinem excludit. Non ergo quilibet libertatis defectus, sonat libertatis exclusionem, sed plerunque defectus facultatis liberæ sumitur pro imperfectione facultatis liberæ, quæ exercetur aut cum mutabilitate, aut cum peccato; quamuis cum vtraque imperfectione coniungatur libertas vera, quod vnum volebant Vasques ac Lessius ab autore tanta verborum atrocitate suffixi.

Rationes aduersarij contra peccantis libertatem, elisæ.

II. Miseret verò me rationum, quibus autor tantorum virorum damnationem communit capite illo 31. à n. 2. *Prima est*, libertas est idem cum voluntate. Ergo

ſicut voluntatis, ita & libertatis obiectum, eſt bonum. Ergo libertas non poteſt ferri in malum & peccatum.

Reſpondeo, vtinam nunquam ferretur; ſed iuge experimentum eſt in contrarium. Paralogiſmi autem propoſiti vitium in eo ſitum eſt, quod exiſtimet autor, bonum voluntati obiectum, eſſe duntaxat bonum honeſtum; cum tamen voluntas ſit appetitus vniuerſalis, ideóque in bonum quoque delectabile, tametſi inhoneſtum, ferri poſſit, & ſæpè feratur. Et indebitè quidem, imò contra naturalem ſuam inclinationem ita ſe gerit voluntas, ſi ſpectetur prout eſt appetitus rationalis: Tamen non excurrit extra fines ſui obiecti adæquati proſequendo bonum ſenſibile, quod verè in ſuo ordine bonum eſt, tametſi moraliter ſit malum: quia quatenus voluntas eſt appetitus ſuppoſiti cui implantatus eſt gradus ſenſitiuus, bonum delectabile quamuis illicitum, habet rationem conuenientis atque adeò boni reſpectu illius. Agnouit hoc S. Anſelmus in concord. c. 21. aſſignans pro voluntatis obiecto, bonum honeſtum aut delectabile. Eſt verò mihi planè imperuium quid voluerit autor verbis illis quæ ſubdit n. 6. *Sicut quando voluntas in malum fertur, ſub ſpecie boni & non aliter in illud fertur, & quod eſt verè malum, apparenter tantum & ſpecie tenus, illius obiectum eſt, ſic extenſio voluntatis ad malum apparens tantùm & ementita extenſio eſt.* Dauus ſum non Oedipus. An vult autor, voluntatem apparenter tantùm appetere malum inhoneſtum? An extenſionem voluntatis ad malum, negat eſſe extenſionem veram, & reipſa poſi-

tam in rerum natura? Vtcunque se habeat mens autoris, si his verbis significetur quod est verè malum non obijci reipsa voluntati malè operanti, hallucinatio est admodum crassa, & quæ omnem peccantem, culpa eximeret. Si enim homo malè agens, non aduerteret, obiectum in quod fertur esse inhonestum & malum, eo ipso immunis esset à peccato. Reipsa ergo obiicitur peccanti verum malum, & non specie tenus duntaxat, vel apparenter, sed de facto ac reuera; quamuis quod voluntatem pellicit ad prosecutionem obiecti sensibilis cui adiunctam & consertam videt veram rationem mali inhonesti, sit ratio boni sensibilis, mulcens appetitum sensitiuum, & voluntatem quatenus ei correspondentem, quæ dum se sensibilibus cupedijs inescari sinit, homo dulcedinis illius capitur, & ad obiectũ verè sensibiliter bonum contra rationis præscriptum inconsultè fertur: quo ipso, bonum illud sensibile est simul verè malum in genere moris, & verè delectabile bonum in genere naturæ; inueniuntúrque in eodem materiali obiecto consertæ duæ illæ rationes, quarum altera, hoc est bonitas delectabilis, terminat directè voluntatem; altera, nempe inhonestas siue malitia moralis, non nisi indirectè, quia nemo intendens in malum operari potest, vt habetur c. 4. diu. nom.

XII. *Secunda ratio.* Libertas est potestas à Deo solo domabilis. At qui peccat, subigitur per creaturam. Ergo peccando non est liber, ac proinde potentia peccandi non est pars libertatis.

Respondeo. Libertatem non posse ab extrinseco domari nisi à Deo, verissimum est. Libertas enim vt scitè

dixit Antoninus lib. 8. de vita sua num. 41. est arx munitissima quam nulla vis creata potest suffodere. Alia in hanc rem protuli in Mor. dist. 2. num. 123. Itaque cum quis peccat, quod deijcit voluntatem, nec est creatura inescans, quæ tantùm est muscipula pedibus insipientium, neque Satan escæ & hami adornator, qui suadere & incitare potest, cogere non potest nisi volentem. Est ergo ipsamet voluntas quæ se deiicit. Atque ita libertas, etiam dum ad peccatum adhibetur, manet sub Deo potentissima, & nulli infra Deum extra seipsam domabilis.

XIII. *Tertia ratio.* Agere liberè, est posse, & superiorem esse. Nam liberum arbitrium est potentia actiua. Sed male agere non est posse, nec superiorem esse: Ergo non est agere liberè, atque adeò potentia peccandi, nullatenus est libertas, vel pars libertatis.

Respondeo. Peccare est exercere suum posse, séque in eo exercitio prodere dominum ac superiorem actus sui: quamuis qui ita se gerit malè planè & indebitè potestatem illam suam ac superioritatem exerat, & seruituti subijci dicatur, ob causas quas tangit S. Theodorus Studita Catech. 26. & S. Hilarius in Psal. 125. ad illud, *tunc dicente*, & pulchrè S. Anselmus dialog. de lib. arbit. c. 10. vbi seruitutem quam peccator contrahit peccando, ait non tollere libertatem; dici tamen seruitutem, quia homo lapsus in culpam non potest per seipsum resurgere, & recuperare quam malè abiecit rectitudinem. Plenissimè de hac seruitute disserunt Driedo lib. 1. de libert. Christ. cap. 1. parte 2 & Lensæus lib. 1. eiusdem argumenti, propè toto, specialiter

monstrans cap.12.cum seruitute per peccatum inuecta probè cohærere libertatem naturalem, siue potestatem ac dominium in actum suum. Nos quoque eam ex peccato seruitutem, illustrauimus agentes de libertate non impedibili per appetitum sensitiuum, in Moral. dist. 2. num. 29 . & ibidem præscribentes generalia affectuum alexipharmaca dist. 3. num. 100. & 101. ac deniquè agentes de vitio dist. 4. à n. 421.

Non plura aduersarius pro suo illo effato, quòd potestas peccandi non sit pars libertatis. Quæ cum sint sagittæ paruulorum, autor ei sum, vt in posterum ad suffigenda aliena placita sedatior ac lentior veniat: nec præceps aduersus vmbras suspicionum suarum stringat machæram, & suæ ad conuiciandum facundiæ frameam effundat, vt ab eo aduersus Vasquem ac Lessium in hoc negotio factum est, contra omnem rationem: An verò absque periculo, infra excutiam cap. 5. Vbi an horror quem delicatus hic miles ad Vasquesij & Lessij verba ementitur, corripere potiùs eos debeat qui varia eius dicta percipiunt, examinabo.

Quomodò moralitas à Deo non sit, sed potentia peccandi.

XIV. Eiusdem furfuris est, quod prodigij simile esse affirmabat autor, asserere cum Vasque, actum malum prout liberum non esse à Deo, potentiam tamen liberam qua talis actus elicitur, à Deo esse. Quid hic prodigij perspexerit autor, planè me latet. Nam quod actus prout liber non sit à Deo, æquè verè & sine pro-

digio dicitur, ac quod actus prout homini vitalis non ſit à Deo, quod eſt ex terminis perſpicuum. Sicut enim vitalitas eſt denominatio à principio intrinſeco, ideóque non poteſt peti à principio extrinſeco cuiuſmodi eſt Deus: Ita libertas actus eſt denominatio petita à potentia libera determinante ſeipſam: proindeque repugnat, eam actus denominationem refundi in aliam cauſam, præter ipſammet liberè operantis ſéque determinantis voluntatem. At potentia libera creaturæ, non excludit, imò inuoluit habitudinem ad cauſam extrinſecam à qua producatur, ſed tantùm excludit habitudinem ad extrinſecam cauſam à qua determinetur. Quare omnino verè dicitur, actum liberum peccati prout liberum, non eſſe à Deo, tametſi potentia libera ad peccandum ſit à Deo. Actus verò honeſtus præſertim ſupernaturalis, tametſi quatenus liber homini non eſt à Deo ob eandem rationem, tamen multis aliis titulis Deo tribuitur: Nempe quatenus à Deo præcipitur aut ſuadetur, & ex eius eliciendi intentione tribuuntur homini à Deo ſuppetiæ indebitæ quibus fieri ab homine poſſit: qua ratione dicimur creari à Deo in operibus bonis in Chriſto IESV. Cum è contra, Deus, peccatum & prohibeat admittendum, & ſeuerè vlciſcatur admiſſum.

XV. Porrò peccatum prout liberum, & quoad moralitatem in libertate fundatam, non eſſe à Deo vt cauſa morali, dixerant ante Vaſquem graues Theologi, alijque poſt eum quos naſo ſuſpẽdere adunco non auſit aduerſarius. Ita enim Canus lib. 2. de locis cap. 4. ad 8. Roa 3. de prædeſt. quæſt. 4. ſ. 3. n. 83. Sotus lib.

1. de natu. & grat. cap. 18. Vega lib 2. in Trid. cap. 15. Angles in 2. d. 37. qu. 7. conclus. 2. & diffic. 1. Zumel. 1. 2. qu. 79. art. 2. disp. 4. Aragon. 2. 2. qu. 1. art. 3. dub. 1. ad. 2. Bannes 1. p. qu. 49. art. 2. §. vltimò, Aluares disp. 24. de auxil. n. 24. & 39. Curiel. 1. 2. qu. 71. art. 6.

At potentiam peccandi à Deo esse, ante Vasquem & post eum docuere quàm plurimi, nominatim Magister in 2. d. 25. & pulchrè S. Bonau ibi dub. 6 *circa literam.* Item rursus Magister in 2. d. 44. & ibi Scotus qu. 1. & Gabr. qu. 1. art. 2. & 3. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 10. num. 42. videtúrque expressa sententia S. Augustini li. de grat. Christ. c. 17. vbi ait, Deum nobis dedisse potentiam & ad benè & ad malè agendum. Et lib. de natu. boni cap. 32. affirmat, malos accipere à Deo, malè agendi potestatem. Igitur potentia peccandi, iuxta D. Augustinum est à Deo. Idem affirmat Didymus lib. contra Manichæos, & probat ratione optima: quia nimirum nisi Deus dedisset potentiam peccandi, non dedisset potentiam liberè amplexandi bonum: quia potestas liberè & cum laude amplexandi bonum, connotat concomitantem potentiam amplexandi malum si allubescat. Iuxta generalem regulam quòd libera potestas faciendi vnum, iungitur facultati circa oppositum. Id quod tradit D. Augustinus lib de spiritu & lit cap. 31. & præiuerat Aristoteles 3. Ethic. cap. 5. verbis illis. *Quibus in rebus in nostra potestate situm est agere, in iis & non agere, & in quibus non agere in iis est & agere.* Quæ verba optimè ibi S. Thomas lect 11 in hunc modum glossat. *Si operari est in potestate nostra, oportet etiam quod non operari, sit in potestate nostra. Si*

enim non operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos non operari : Ergo necesse esset nos operari. Et sic, operari, non esset ex nobis sed ex necessitate. Sic ergo dicendum est quod in quibuscunque rebus, affirmatio est in nobis, & negatio & è conuerso. Operationes autem virtutum & vitiorum differunt secundùm affirmationem & negationem, &c. Vnde consequens est, quod si operatio virtutum est in nobis, vt probatum est, quod etiam operatio vitij sit in nobis. Itaque cum potentia peccandi non sit mala sed vsum illum optimum habeat, reddendi nos liberè potentes ad bonum, meritò infert Didymus, datam fuisse à Deo potentiam peccandi, hâncque ait fuisse sententiam omnium rectè philosophantium. Eandem apertè supponunt Nemes. lib. de hom. cap. 41. Nyssenus orat. de mortuis, Arnobius lib. 2. Tertull. 2. in Marc. cap. 6. S. Basil. homil. quòd Deus non sit autor malorum, & alij plerique PP. retundentes criminationem à quibusdam malè sanis in Deum intortam, ob collatam homini potestatem peccandi. Neque enim hi PP. cum huiusmodi blasphemos repellunt, inficiantur Deum contulisse homini potestatem peccandi : sed admissa concessione illius potestatis facta diuinitùs, addunt, potestatem peccandi bonam esse, (nam est ipsamet potestas bene operandi, & cessandi à scelere, quę vtique optima est :) solum autem abusum illius potestatis, siue exercitium eius contra Dei præscriptum, vitio verti : Minimè autem nouum esse, vt res bona abusui pateat, supponunt prædicti Patres, & egregiè confirmat S. Augustinus agens de eloquentia, lib. 1. doctr. Christ. cap. 1.

XV. Alio

XV. Alio tamen ſenſu quidam DD. meritiſſimò inficiati ſunt, libertatem peccandi, vel poteſtatem malè agendi, eſſe à Deo, ſumpta nimirum libertate peccandi pro exſolutione ab omni lege honeſtos actus præſcribente. Qua ratione Card. Bellarminus in reſponſione ad Paulum Seruitam quæ habetur tomo 6. cum reprehenſus ab illo maſtigia fuiſſet, quòd libertatem peccandi, non à Deo ſed à Diabolo eſſe dixiſſet, ídque Seruita hęreſeos arguiſſet, ratus negari eo pacto liberi arbitrij dependentiam à Deo: Reſpondet, nunquam ſibi in mentem veniſſe, negare quin liberum arbitrium ſit à Deo: ſed libertatem peccandi quam à Diabolo eſſe dixerat, longè diſtingui à naturali libertate reſpiciente bonum & malum morale pro hominis arbitrio: nihil enim aliud eſſe, quàm licentiam malè agendi, qualem concedit filio malè blandus parens, cum per nimiam indulgentiam ſinit eum deſertis ſtudijs meretricari, & popinonem agere: quam malè agendi libertatem, patet non eſſe liberum arbitrium, quod non pater filio dat, ſed natura ipſa inſeuit. Eſt ergo effrœnatio & peruerſio liberi arbitrij, connotata permiſſione impunitatis, & formali vel virtuali approbatione eius qui libertatem concedit. Hanc libertatem peccandi ſi concederet Deus, non poſſet hominem à peccato deterrere intentatis ſupplicijs, eáque poſt admiſſum peccatum irrogare, cum tamen vtrunque præſtet, iuxta illud Auguſtini cap. 25. Enchirid. *Mortis ſupplicium comminatus fuerat homini ſi peccaret, ſic eum munerans libero arbitrio, vt terreret exitio.* Ipſáque ſcriptura Eccleſiaſtici 15. cum dixiſſet collatum à Deo fuiſ-

ſe homini liberum arbitrium, quo poſſet ad aquam & ad ignem manum extendere, id eſt peccare per abuſum poteſtatis collatæ, vel rectè operari adhibendo eam ad Dei mentem, ne quis exiſtimaret liberum arbitrium à Deo homini conceſſum, qua parte ſpectat malum, eſſe licentiam malè agendi, ſubdit; *Deum nemini dediſſe ſpatium peccandi*, Græcè ἄνεσιν, quæ vox licentiam ac libertatem ſonat, nec malè expreſſa eſt Latina voce *ſpatij*. Senſus enim eſt, Deum nullum omnino tempus conceſſiſſe, in quo malis actibus inquinari liceret.

Damnatos, & libertatis & peccati eſſe capaces, contra aduerſarium.

XVI. Itaque argumentum quod tertio loco conficiebam contra radicem libertatis propoſitam ab aduerſario, omnino optimum eſt; & offuciæ quibus aduerſarius ſplendorem eius obtenebrare tentauit, euanuerunt. Quod autem in eo argumento generaliter de peccantibus diximus, ſpecialiter de damnatis affirmandum eſt. Nam damnatorum ſuperbia ſemper aſcendit, vt eſt apud Pſaltem; atque adeo iugiter peccant. Et tamen nemo non videt eos liberè peccare. A quo enim ad peccandum v. g. ad blaſphemandum diuinum numen adigerentur? Vnde S. Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. agnoſcens in dæmone liberum arbitrium, ait, *Quod non valet in bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, & voluntaria obſtinatio.*

Reſpondet aduerſarius lib. 2. cap. 28. & 29. damna-

tos libertate prorſus ſpoliari, ac ne peccatum quidem in illos cadere. Imò relata recentiorum ſententia, negantium beatis libertatem circa amorem Dei clarè viſi, & ea quæ ad actum illum neceſſariò conſequuntur; concedentium autem damnatis libertatem peccandi, v.g. blaſphemandi numen, vel hunc aut illum tentatione vexandi, aliáque non abſimilia præſtandi, ſubdit autor; *hoc ab ijs proferri, non ſine ſtupore profectò, non meo tantùm, ſed omnium qui paulò accuratiùs libertatis naturam examinauerint*: eo quòd libertas ſit perfectio eximia, quam in beatis potiùs ſplendere par ſit, quàm in damnatis. Itaque ipſe quidem, longè aliam viam iniens, è contra ſtatuit, in beatis libertatem omnimodam eſſe, ſeruitutem nullam: è contra autem in damnatis eſſe ſeruitutem omnimodam abſque vlla prorſus libertate. *Arcta quippe eſt omnis malitia, ſola innocentia lata eſt*, ex D. Auguſtino in Pſal. 100. quod autor ita gloſſat, vt ſenſus ſit, impio, pręſertim autem conſummato, & qui in profundum venerit, nullam prorſus libertatem competere. Imò ait autor cap. illo 28. num. 13. *tametſi ſunt in damnatis & dæmonibus quidam motus qui operationes eorum eſſe videntur; non ita tamen res ſe habet. Deus operatur per illos, dirigendo viatores in finem, ipſius etiam diabolicæ tentationis miniſterio: at ipſi nequaquam operantur.* Quod ſi damnati ne operantur quidem, multo minùs peccant aut liberè agunt, etiamſi peccatum quod in via contraxere, quia diuinitus ablutum non eſt, ſuperſit habitualiter inexplicatum, eiuſque ſenſus damnatos laceret in perpetuum.

Non poſſe autem damnatos in eo ſtatu peccare;

probat autor cap. illo 29. num. 5. quia *peccant quicunque aberrant à via iustitiæ, & à debito ordine finis. Vnde liquet, peccatum tantùm ab iis committi qui sunt in via, & cum debito ac facultate tendendi ad finem.* Autores verò qui passim agnoscunt damnatos peccare, exponit autor, de sensu peccati in quod se sua sponte coniecere dum peregrinarentur: qui sensus, abiecto carnis ostreo in hominibus, & in dæmonibus discussa nebulositate illecebrarum peccati, longè acrior est atque viuidior, quàm cum peccatum perpetrabatur. Id ergo vnum volunt prędicti autores iuxta aduersarium, *quod damnatorum nutus, cogitatus, & affectus, motúsque omnes, infelici illo charactere aut potiùs stigmate inusti procedant: nam peccare quidem ipsi non possunt, qui iam amplius in via non sunt.*

Vera ergo quæcunque libertas iuxta autorem, æquè damnatis deest, ac adhæsio cum Deo. Esto locum in eis habeat aliqualis & apparens libertas, quatenus vt loquitur cap. illo 29. num. 2. & cap. 28. num. 5. volubilitatem ab vno in aliud in eis cernere licet, quæ eatenus videtur libertas, *quatenus sicut qui verè liber est ex adhæsione ad finem vltimum, modò in hoc modò in illud fertur, nulli rei alligatus, sed seipsum voluens & reuoluens prout finis ordo poposcerit: Ita dæmon ex adhæsione ad seipsum vel potiùs ex auersione & odio Dei, modò hoc malum molitur modò aliud, quod conuenientius illi odio fuerit, ad maiorem Deo iniuriam irrogandam, potestatem sibi superstitem in eo impendens & collocans: At hoc est circumagi à peccato, non autem agere & mouere seipsum.*

XVII. Hæc omnia ab aduersario proferuntur, *non*

ſine ſtupore profectò, non meo tantùm ſed & omnium qui paulò accuratiùs libertatis naturam examinauerint. Nam quod damnatos, libertate exui vult, quia eſt perfectio eximia, telum eſt imbelle ſine ictu: alioqui exuere damnatos oportebit ipſomet eſſe, quod in ſubſtantiis ſpiritualibus eſt eximiæ perfectionis. Sicut è contra eximia hæc perfectio, libertas inquam, quia reſpectu cuiuſcunque obiecti non eſt ſimpliciter ſimplex & melior ipſa quàm non ipſa, nequaquam eſt concedenda beatis circa omnia obiecta, v. g. circa Deum & quæ cum eo ſunt nexa neceſſariò, ſed tantùm quoad alia obiecta defectibus admixta, quæ expeti vel non expeti, aut etiam repudiari poſſunt, ob conſertam bonitati malitiam vel ob non plenam eorum bonitatem. Itaque ex meritis obiecti ſtatuendum eſt an ſit circa illud libertas: Atqui Deus eſt bonum puriſſimum ac pleniſſimum, proindéque cum clarè conſpicitur, non modò repudiari nequit, ſed etiam feriari erga ſe voluntatem non ſinit. Damnati verò, nullum tale obiectum neceſſitans propoſitum habent; & vt vltra obiectorum merita à Deo neceſſitentur ad operandum quæ rectæ rationi ſunt diſſentanea, fieri non poteſt. Quomodò enim infinita bonitas, dæmonem aut animam damnatam vrgeret ad blaſphemandum? Quomodò Deus dæmonem armaret contra electos queis aſſiduè infeſtus eſt, eúmque adigeret ad diſturbanda ſua conſilia? Nullum autem aliud principium à quo dæmon & damnatus ad prædicta opera neceſſitentur, proferri poteſt. Nam præconceptum Dei odium, ex quo aduerſarius inſinuat damnatum neceſſitari ad quædam opera, ad

ſummum poſſet neceſſitare ad actus malos odium ſubſequentes; Ad ipſum verò odium quid neceſſitaret? Quod ſi odium Dei eſt damnato liberum, opera ex eius præſuppoſitione neceſſariò facta, ſunt tantùm neceſſaria ex ſuppoſitione libertatem non lædente. Sicut amor medij vnici præſuppoſito efficaci amore finis, neceſſarius eſt, ſed neceſſitate tantùm conſequente quæ iura libertatis non temerat. Et in nobis quidem carne circumamictis, odium incenſiſſimum, poſſet libertatem & ſuimetipſius & omnium conſequentium operum præpedire, propter intellectus obtenebrationem ex turbatione phantaſiæ & appetitus ſenſitiui. At in ſpiritibus puris nihil tale cernitur. Sed neque vi habitus intenſi vinciri poſſe eorum libertatem, liquet ex dictis in Morali diſt. 2. à num. 295. Alibi etiam monſtrauimus dæmones & animas ſeparatas non poſſe vi quorumcunque habituum verti in inſaniam, contra falſum Victoriæ placitum ibi conuulſum.

XVIII. Quare quamuis damnatorum malitia multipliciter arctetur, nec ea cordis latitudine potiatur in qua innocentes ſpatiantur, tamen non deſtituuntur libertate peccandi, ſed ſi lubet peccant (quamuis quia extra viam ſunt, non demereantur ſic peccando, vt notat Olkot in 2. qu. 1. *litera* R.) alioqui à peccato quocunque deſiſtunt, pleraque item opera merè naturalia liberè exercent. Imò poſſe ab eis exerceri bonum aliquod opus morale, grauiſſimorum Theologorum ſententia tulit, vt Scoti in 2. d. 7. quæſt. vnica, Durandi ibid. qu. 2. num. 12. Valentiæ 1. p. d. 4. qu. 15. p. 2. De ſolis ſupernaturalibus operibus rectiſſimè di-

citur, damnatos, quoad ea esse prorsus steriles & infœcundos. Sunt enim ligna prorsus exsucca & arida, quippe igni addicta, ideóque nullo vnquam cœlestis benedictionis rore madentia, vt pulchrè tradit S. Cyrillus 10. in Ioan. cap. 14. Itaque quia vt optimè dixit Nicol. 1. Epistol. ad Mich. Imperat. *in cassum terra cordis, vomere linguæ nostræ proscinditur, nisi cœlestis roris aspersione infundatur*, mirum non est quod terra damnatorum à diuinis stillicidijs nunquã inebriata vel etiam tincta, nunquam lætetur germinans, sed in æternum sterilescat. Secus verò est de actibus naturalibus & purè moralibus, ad quos proinde exercendos venire, liberum est damnatis iuxta prædictos autores: Multóque magis certum est, liberum esse damnatis, abstinere à blasphemiis & odio Dei, reliquísque atrocissimis sceleribus in quæ assiduè ruunt. Quæ esse scelera negare non licet, cum nullum principium ad cudendam moralem malitiam requisitum desideretur. Physicos autem rudimentarios appello, quoad illud quod aduersarius assumpsit, damnatos hoc vel illud contra Deum moliendo, aut blasphemando, ne agere quidem. Quod item subdebat autor, Deum mala opera per damnatos operari, quàm procul à Caluino absit, eóque Tartari extremo excremento quo Deum fecit peccati autorem, alibi tractandum est.

Vltimum argumentum contra libertatis radicem ab aduersario assignatam, peti potest ab autoritate. Longè enim aliter de radice libertatis philosophati sunt omnes retrò DD. de quo infrà cap. 6.

CAPVT V.

An prædicta noua ſententia vacet errore.

I. RATIONES quibus proximis tribus capitibus nouam ſententiam oppugnauimus, perſpicuè eam reuincunt & falſitatis & inanitatis. Nunc exquirendum ſequitur, an quod plerique ſubuerentur, nec pauci apertè produnt, inſit ei fermentum aliquod doctrinæ non ſanæ, & anguis virulenti dogmatis, ea in herba deliteſcat. Exquirendum inquam, non ſtatuendum. Nam vniuerſa quæ ſubijciam, quantumuis cenſuræ ſpeciem præ ſe ferrent, nolim accipi quaſi prolata ſuffigendi aduerſarij gratia, vel iudicij de eius ſententia ferendi. Has ego non eſſe partes meas probè memini. Sed quod cuiuis non imperito, dum aliena ſcripta legit, iuris eſſe ſolet; vt de eis cum charitate, non vt cenſor aut iudex, ſed vt lector pronunciet, hoc vnum mihi in hac cauſa concedi velim. Quia verò illud hoc loco non ago, vt notas quæ propoſitionibus aduerſarij inurentur, exquiſitè admetiar ad virus quod poſſet eſſe ijſdem illitum, quamuis non me lateat, ſupra propoſitionem erroneam preſsè acceptam, alium eſſe malignitatis gradum tetriorem ac horridiorem quo propoſitio aliqua notari poteſt, duas tantùm hoc & ſequenti capite, notas variorum aduerſarij placitorum memora-

memorabo, nempe errorem & temeritatem. Meminisse item velim Lectorem, non id mihi esse hoc loco propositum, vt de omnibus pronunciem, siue erroneè siue temerè dictis, quibus aduersarij scriptio propè vniuersa perspersa plerisque visa est: quanto iure, monstrabo ad libri calcem in florilegio hirsuto. Nunc igitur id tantùm exquiro, an noua sententia quoad libertatis rationem formalem, eiusque radicem, & alia superiùs adducta, errore aut temeritate vacet.

Neque verò est, cur syncerè & citra adulationem sensum meum aperiendo de næuis aut tuberibus doctrinæ aduersarij, vel in offensionem eius incurrere, vel asper audire extimescam. Qui enim liberè & præferuidè de nostrorum primoribus, Molina, Suare, Vasque, Lessio, aperuit sensum suum, intelligendus est idem de suis placitis candidè & amicè præstandi, potestatem fecisse: multóque magis cēsendus est, habere in votis argui cum charitate, (quod præstare conabor,) quàm expetierit cum charitate arguere, quod ab eo in nostros præstitum, censere ac debeo volo. Nec enim dubium quin autor Methodio assentiatur, cuius ea est sententia sanè præclara apud Epiphanium hæres. 64. *Maius bonum esse puto redargui quàm redarguere, quanto maius est vt quis ipse à malo liberetur, quam vt alium liberet.* Et vt autor nihil circa aliorum sententias mouisset; excutiendus planè esset in veritatis scrutatione, cui omnes operam damus, vanus ille offendendi maléve audiendi metus. Medicos agimus animorum, quoties ad dedocendam falsitatem accingimur. Atqui vt est apud S. Cyprianum lib. de lapsis, boni Medici est, blan-

dimentis adulantibus non fallere. Imò *imperitus est Medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum, virus inclusum dum seruat exaggerat. Aperiendum vulnus est & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.* Mihi sane idem qui S. Ambrosio epist. 47. animus est, nec fuit cur de pari sensu & affectu aduersarij, diffiderem. *Ego beneficio annumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moueri. Primùm quia & in his quæ scio, falli possum. Multa autem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant. Pulchrum est si fieri potest, cauere omnia. Deinde quia non debeo molestè ferre si cum de Apostolicis & ipsis Euangelicis Dominicisque verbis, plerique multas quæstiones serant, etiam in meis scriptis reperiant de quo disputandum putent.* Satis prolusum; ad rem ipsam accedamus

Substantia nouæ sententiæ, fœtus Caluini.

II. In ipsis nouæ sententiæ præcordijs, virus perniciosum deprehendi videtur, quatenus statum veræ libertatis non alium agnoscit quàm statum gratiæ: atque adeò libertatem illam à qua liberi dicimur & idonei moraliter agere, non aliam esse statuit quàm gratiam sanctificantem, nec alios actus aliúd ve illius libertatis exercitium admittit, quàm opera sancta quibus Deo adhæremus: quia cum iuxta hanc sententiam nulla sit vera libertas & propriè dicta, præter liberta-

tem à peccato quam confert gratia Dei per IESVM CHRISTVM, non possunt veræ libertatis fructus alij esse quàm sanctorum actuum quibus Deo vinculamur. Tradit hæc omnia autor locis capite 1. notatis.

Hæc est ipsissima Caluini sententia. Sensit enim Caluinus; statum libertatis non alium esse quàm statum gratiæ: vnde quia per Adæ peccatum excidimus gratia, commentus est extinctum fuisse liberum arbitrium. Eam namque vertibilitatem voluntatis quam passim donamus nomine liberi arbitrij, omnino exterminatam vult, & solo gratiæ statu, libertatis in nobis statum definit. Actus verò illius status, ait esse opera iusta, quod his eius verbis prolatis docet qui cum eo egerat & peritissimè hominem nouerat, Bartholomæus Camerarius lib. de grat. & lib. arbit. cap. 3. *Nihil ad arbitrij libertatem attinet, an homo sensu naturæ ad bonum appetendum feratur, sed hoc requiritur vt bonum recta ratione diiudicet, cognitum eligat, electum prosequatur.* Quam Camerarius fuisse ait Caluinianam libertatis actualis definitionem, & iure subsannat vt mendosissimam. Ipsissima verò est quam aduersarius profert & approbat toto opere. Vt proinde non gutta guttæ similior videri possit, quàm noua de status & actus libertate sententia, cum sententia Caluini. Nam amplitudo quam noua sententia gratiæ superaddit, est tantùm extrinseca denominatio. Sanè libertatem status, (quæ cardo est totius huius negotij,) non aliam Caluino esse præter gratiam, notauit iampridem Driedo lib. 1. de grat. & lib. arbit. tract. 1. cap. 4. Lensæus lib. 1. de li-

bertate Christ.cap.6. & Maldonatus Ioan. 8.num.75. qui de hac libertatis à peccato per gratiam formaliter collatæ, & libertatis à necessitate, confusione per Caluinum facta, expostulans, ait, *Digna verberibus aut igne potiùs ignorantia.* Atqui libertatem à peccato quæ est formaliter ipsa gratia, eãdem omnino esse cum libertate à necessitate, autor totidem verbis tradit, vt retulimus cap.1. & expresse ita habet lib. 2. cap. 3. num. 4. Nullum igitur est in præcordiis (vt ita dicam,) totius nouæ sententiæ, discrimen à Caluini placito de libertate, quod tamen esse hæreticum, nemo dubitat hæreseologorum: & vel ex eo abunde liquet, quòd certum ex fide sit libertatem nobis per Adæ peccatum non esse ablatam, quãmuis certum sit ablatum esse gratię statũ. Augustinus quoque lib. 2. de peccat. merit. cap. 18. ait liberum arbitrium esse vnum è bonis naturalibus, & ex eo bonorum genere quo mali vitio suo abuti possunt, quorũ neutrum cadit in libertatem à peccato siue in gratiam sanctificantem. Est itaque quod dico, certum ex fide, nec potest Caluini sentẽtia ab errore manifesto liberari. Quàm autem cum ea consentiat imò planè vna sit noua sententia, liquere ex dictis, puto.

Labes alia nouæ sententiæ ex eadem scrobe, exclusio potestatis vtrolibet flexilis, à libertate.

III. Erroris insuper explorati labe, eximere non possum nouam sententiam, quatenus negat libertatem sitam esse in potestate exsoluta alterutrius partis,

& ea licet deficiente vel exclusa, saluam esse dicit libertatem, modò adsit amplitudo ex adhæsione cum Deo. Hæc non posse ab errore excusari ex eo patere puto, quod vt potestatem prædictam ad vtrumque flexilem atque vertibilem quaquauersum nobis eriperet, tanto studio per superioris seculi sectarios annisus est Satan: nec cum eam potestatem impugnarent, aliud se impetere profiterentur, quàm libertatem tunc in Ecclesia receptam. Et è contra vt libertatem sic expressam retinerent Catholici Doctores, omni conatu sategere, vt proinde dubium esse non possit, quin res inter lites de fide adeò agitata, ad fidei dogmata pertineat. Caluinus certè lib. 2. instit. cap. 2. & 3. non dubitat se ea flexili facultate abroganda, à Catholica Ecclesia dissidere: eóque nomine, ab omnibus Catholicis, hostis libertatis audiuit. Aduersarius ergo qui libertatem negat essentialiter esse facultatem vtrolibet flexilem, & cum deuinctione flexilitatē illam excludente ait posse consistere libertatem, si adsit adhæsio cum Deo, & exurgens inde denominatio ampli ac eminentis; quo pacto Caluinum erroris hac in parte insimulare poterit, & eum nomine abrogatæ libertatis damnare? Aut quibus scripturis Patrúmve & Conciliorum testimoniis, armabitur aduersus Caluinum hac in parte? Nam nos quidem iis instruemur testimoniis, quibus potestas actiuè indifferens, & facultas ad vtrumlibet, homini data celebratur, quæ innumera sunt & apertissima: & quia eiusmodi facultatem nobis eripit Caluinus, pronunciabimus eum hæreticum & hostem libertatis, quòd videamus eam potestatem in Ecclesia hactenus

libertatis nomine fuisse insignitam, conformiter ad scripturas in quibus sæpè, *posse*, idem sonat quod *velle*, vt notat Valdens.lib.1.doctr.cap.13. num. 6. Non liquet ergo qua ratione notam erroris defugere possit inficiatio illa potestatis vtrolibet flexilis tanquam essentialis libertati.

Item labes alia, cohæsio libertatis & necessitatis in agendo.

IV. Eiusdem furfuris est, quod præterea in noua sententia asseritur, libertatem veram & propriè dictam ac moralitatis fundatricem, cohærere cum necessitate. Disertè sanè S. Thomas quæst. 9. de malo art. vnico, ait inter Christianos hæresim esse, apud Philosophos autem esse opinionem extraneam totius Philosophiæ euersiuam, negare libertati exsolutionem à necessitate: SS. quoque Patres semper à libertate excludunt necessitatem, negantque eas posse cohęrere, & idcirco hominem necessitate fuisse exsolutum, vt liber esset, & factorum ratio iure ab eo reposci posset. Paucos proferre non erit inutile.

S. Hilarius in Psalm. 2. ad illud, *tunc loquetur*, sic scribit. *Vnicuique nostrum libertatem vitæ, sensúsque permisit* Deus, *non necessitate in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malúmve esse lex cogeret, sed qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id, meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmij, bonitatis necessitas mereretur, cum malos nos esse, vis quædam nobis conserta non*

ſineret? Voluntati ergo permiſſa bonitas eſt, vt præmium ſibi voluntas bonitatis acquireret, eſſetque nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vſus ex merito, non neceſsitas indiſcreta per legem. Addit, quamuis lege creationis non ſimus neceſſitate ad bonum adſtricti, tamen vt eſſet merito locus, & ſtimulus ad virtutem non deeſſet, additam ſupplicij comminationem: *quia meritum neceſsitas naturæ non haberet, adiecit, vt libertatem ipſam quotidie propoſitus è contrario pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui atque iuſti ad meritum præmij permiſſa libertas eſt, & per bonitatem Dei vis libertatis metu conſtitutionis arctata eſt, vt benè velle meriti ſpes moneret, malum nolle, propoſitæ vltionis pœna ſuaderet.*

S. Baſilius hom. quòd Deus non ſit autor malorum. *Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, ſed qui ſponte ſua virtuteque illi obtemperat. Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex neceſsitate. Voluntas autem ab illis pendet quæ in nobis ſunt ſita. Quod verò in nobis ſitum eſt, voluntarium & ſpontaneum eſt. Qui ergo factorem reprehendit quòd non tales nos natura fecit qui peccare nequeamus, nihil aliud opinari videtur quàm naturam ratione carentem, ea quæ rationis eſt particeps, eſſe potiorem: & illa quæ non mouentur nec mente ducuntur, ijs quæ eligunt, iudicant, conferunt, omnino præſtare.* Hanc excluſæ à nobis neceſſitatis rationem, æquè adhibent alij Patres, ſimiliter rationem reddentes cur creari debuerimus exſoluti à neceſſitate. Itaque poſſunt quoque iſti in hanc rem adduci. Tertullianum, Nemeſium, Arnobium, ſic philoſophatos, iam ſuprà vidimus.

S. Ambroſius lib. 1. de Iacob cap 1. *Non ſeruili ad*

obediendum constringimur necessite, sed voluntate arbitra, siue ad virtutem propendemus siue ad culpam inclinamur. Et ideò nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas reuocat rationem secuta.

S. Hieronymus epist. 146. tractans illud, *& diuisit eis substantiam*, ita loquitur. *Significantiùs in Græco legitur* Καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸ βίον, *id est, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei sed ex obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus distaremus; dum ad exemplum Dei, permissum nobis est facere quod velimus: vnde & in peccatores æquum iudicium, & in sanctos & iustos iustum præmium retribueretur.*

S. Augustinus lib. de natura & grat. cap. 65. approbat dictum S. Hieronymi in hanc rem à Pelagio relatum. *Quod ait à memorato dictum esse presbytero, liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui vbi necessitas nec corona est: quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Et lib. de vera relig. cap. 14. *Quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicabit si ei seruirent liberaliter; quod nullo modo fieri posset, si non voluntate sed necessitate seruirent.* Tandem vt alia eius quàm plurima sileam lib. 1. contra Faustum cap. 5. *liberum arbitrium voluntatis quo vel benè vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei, ab omni necessitate liberum est:* Non potest luculentiùs affirmari quod intendimus.

Theodo-

Theodotus Ancyranus homil. in Natiu. Saluat. quę extat tom. 6. Conc. Ephes. editio. Peltani cap. 10. hominem celebrans à libertate, sic scribit. *Solum hoc animal, inter cætera omnia, liberum conditum est. Solum enim hominem, sui arbitrij, suæque voluntatis dominum constituit Deus. Nonne cernis solem naturali quadam vi adactum volui? nónne constantem sempérque sibi similem illius conuersionem aduertis? Cur autem eodem semper modo circumagitur? Quia iudicium non habet. Tu autem productus es liber: facis quod lubet; necessitatem quæ te vi impellat, nullam pateris; liberum est animi tui iudicium. Sol famulatur necessitati; homo sententiam sortitus est liberam. Iam dic obsecro. Vter præstantior est seruúsne; an Dominus? Necessitatis iugo subiectus an ab omni necessitate immunis?* Vides pugnam necessitatis & libertatis iuxta hunc autorem.

Philo lib. quòd Deus sit immutabilis, pugnam prædictam æquè monstrat, homine ex hoc capite cunctis brutis prælato. Sic enim de anima rationali loquitur. *Solam hanc pater iussit esse liberam, exemptam & dimissam è necessitatis vinculis, donatámque munere decentissimo voluntatis spontaneæ, quatenus eius capax erat. Nam brutæ animantes, quarum animabus non inest mens donata priuilegio, subiugatæ frœnatæque traduntur ad ministerium hominum, tanquam heris mancipia. Homo autem liberam facultatem & sui iuris sententiam sortitus, ex destinato pleraque faciens, meritò vituperium incurrit, si prudens sciénsque peccat: sicut è diuerso laudem, quando sua sponte benefacit. Nam stirpium animaliúmque nec vbertas laudatur, nec si malè proueniant, vituperantur:*

quod vterque hic motus, & vtraque mutatio, non est voluntaria: sed sola hominis anima, quæ accepit à Deo motum voluntarium, hactenus illi similis, à molestißima grauißimáque hera necesßitate, quantum licuit, manumissa, iure accusari posset, si liberatorem suum non coleret. Et mox alia subijcit de homine donato libertate, & potestate vtrumlibet è duobus oppositis eligendi, seclusa omni necessitate & deiunctione ad partem alterutram.

S. Bernardus explicatissimè & frequentissimè idem tradit lib. de grat. & lib. arbit. satis sint illa ex eo opusculo *sub initium.* Tractans enim multiplicem libertatem libero nostro arbitrio assignabilem; *Est*, inquit, *quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necesßitate, eo quòd necessarium voluntario* (apud Bernardum nomen *voluntarij*, sumitur pro libero) *contrarium esse videatur. Si quidem quod ex necesßitatate fit, non iam ex voluntate, & è conuerso similiter.* Et mox addit, hanc libertatem à necessitate, & Deo, & sanctis Angelis, & quibusuis hominibus, & dæmonibus, communem esse. Et sub initium libri, ait, *Vbi necesßitas, ibi libertas non est.*

V. Idem passim tradunt Patres reliqui versatilem libertatis nostræ genium describentes. Autori tamen reclamanti & necessitatem agendi cum libertate item agendi cohærere affirmanti præiuerunt non modò Caluinus lib. 2. Instit. cap. 2. & scurrarum æui nostri facilè princeps Petrus Molinæus in scuto fidei ad artic. 9. sed etiam anteà Vvicleffus, quem id probasse ijsdem argumentis quibus nunc autor vtitur, nempe quia in Deo & beatis necessitas non tollit libertatem, refert

Thomas Vvald. lib.1. doct. cap.22. & 25. quo posteriore loco. num. 9. aliquos citato Diuo Thoma, voluntatem hominis ambulatoriam, compedibus necessitatis astrinxisse, grauiter expostulat: & meritò ibid. cap. 23. num. 6. ait, Metaphysicam Pauli esse in contrarium; Nam Apostolus in epist. ad Philemo. vers. 14. & 1. Corinth. 7. pro eodem habet, esse liberum, & non habere necessitatem operandi. Necessitas enim inhibet vltroneum illum motum qui est de ratione libertatis, ac proinde libertatem exscindit. Et ita fert communis consensus Scholasticorum.

Explicati Scholastici, contra sentire visi.

Nec repugnant quidam è veteribus Scholasticis, qui visi sunt admittere necessitatem cum libertate cohærere. Aliò enim respexerunt quàm nunc faciamus. Et nonnulli quidem vt liquet ex Gregorio in 1. d. 10. qu. vnica art. 2. *post 3. conclus.* Capreolo in 1. d. 6. qu. vnica art. 3. *ad argumenta Scoti contra quartam*, Argentina in 1. d. 1. q. 2. ad argum. contra 3. Almaino tract. 1. Moral. c. 1. notab. 1. libertatem vsurparunt aliter quàm nunc fiat. Distinxerunt enim libertatem à libero arbitrio; & cum admittant liberum arbitrium excludere necessitatem, aiunt tamen libertatem cohærere cum necessitate, eo quòd libertatem libero arbitrio contradistinctam, vsurpent pro sola complacentia voluntaria, violentiæ experte, non tamen indifferente & verè libera. Alij verò tantùm voluerunt libertatem ad aliquid, cohærere cum necessitate ad aliud. v. g. admiserunt in Deo libertatem volendi cum necessitate es-

ſendi : quia libertas volendi in Deo ob infinitatem actus diuini immanentis, æquipollentis noſtræ liberæ volitioni ac non volitioni, rectè explicatur per indifferentem illius vnius actus terminationem & non terminationem; cum qua terminationis contingentia, rectè cohæret diuinæ eſſentiæ immutabilitas, ac diuini actus neceſſitas in ſeipſo; licet diuinæ volitionis neceſſitas qua ex parte libera eſt, id eſt quoad terminationem, nullo modo cohæreret cum diuina libertate: quia libertas dicit exſolutionem, quam neceſſitas exſcindit: vnde quoad vnum & idem inconciliabiliter diſſident. Tradidit hanc, neceſſitatis cum diuina libertate vel pugnantis vel cohærentis, diſtinctionem, S. Bonauent. in 2. d. 25. art. 2. quæſt. 2. num. 44. vbi eam neceſſitatem quæ pugnat cum libertate, vocat *neceſſitatem coactionis*, quam ait interuenire cum facultas non eſt actus ſui domina, nec ſe ad illum mouet pro libito. Eam verò diuinam neceſſitatem quæ poteſt cum libertate cohærere, vocat *neceſſitatem immutabilitatis*. Aduerſarius ergo qui affirmat libertatem & neceſſitatem cohærere quoad idem, & libertatem vſurpat propriè ac prout eſt fundamentum moralitatis, neceſſitatem verò intelligit, eam quæ excludit dominium potentiæ in actum ſuum, longè aliter ſentit quàm ſcholaſtici prædicti, nec poteſt erroris notam hac in parte defugere.

Argumentum in contrarium, contritum.

VI. Non eſt autem diſſimulandum argumentum quo autor eam neceſſitatis propriè dictæ & verę liber-

tatis cohæſionem frequenter ſtabilit, & nominatim lib. 1. cap. 34. num. 3. nempe quòd liberum opponatur ſeruo, non autem neceſſario. Nam Philoſophi neceſſario opponunt contingens, non autem liberum.

Hoc telum nullo negotio retundi poteſt. Dimiſſis autem innumeris quæ de multiplici acceptione & notione contingentis, accumulat Gabr. in 1. d. 38. quæſt. vnica art. 1. & in 2. d. 25. dubio vltimo poſt Camerac. in 1. qu 11. art. 1. breuiter dico, contingens vniuersè loquendo cum de cauſis & effectibus agitur, eſſe aliquid commune cauſæ liberę & cauſæ naturali impedibili, ac effectibus vtriuſque. Nam contingens dicitur, quod ita eſt vt ſecluſa exiſtentia poſſet non eſſe, vel quod ita erit, vt poſſet carere eſſe: Et illa poſſibilitas non eſſendi, poteſt vel ex cauſæ indifferentia actiua vel ex eius infirmitate prouenire: (poſſet ſiquidem effectus qui eſt, non habere eſſe, vel quia cauſa poſſet illud non dare ſi vellet, vel quia cauſa poſſet à dando impediri:) propterea cauſa dicitur contingens, vel quia cum ſit domina actus ſui, ita illum ponit vt poſſet non ponere omnibus eodem modo ſe habentibus, in quo differt à cauſis neceſſarijs vt optimè tradit Gabriel artic. illo 1. concluſ. 3. demonſtrans per hoc cauſam dici & eſſe liberam. Vel certè cauſa dicitur contingens quia ita operatur vt poſſet non operari, non ex intrinſeca poteſtate cauſæ in actum ſuum, ſed ex imperfectione & debilitate eius, ob quam inijci ei poteſt impedimentum, & ipſa poteſt prohiberi actione. Et vtroque etiam modo, effectus dici poteſt contingens.

Si ergo contingens ſumatur adeò vniuerſaliter, certum eſt, contingens non eſſe idem cum libero, ſed latius eo patere. Si tamen reſtringamus contingens ad primum membrum, nempe ad illud quod poteſt operari vel non operari pro poteſtate quam habet in actum ſuum, vel ad illud quod eſſe poteſt aut non eſſe ob eam cauſæ poteſtatem, ſic contingens eſt idem quod liberum, vt Cameracenſis & Gabriel ſuprà loquuntur; imò communiter antiqui, apud quos libertas propriè dicta paſſim vocatur, *libertas contingentiæ*, vt videre eſt apud Almainum tract. 1. Moral. cap. 1. Eſt in hanc rem locus pulcherrimus apud Nemeſium lib. de hom. cap. 40. ſic enim ex interprete loquitur, monſtrans obiectum libertatis, ſiue liberum, idem eſſe quod contingens ἐνδεχόμενον. *Propriè in noſtra poteſtate ſunt omnia quæ ad animum pertinent, & de quibus conſultamus. Conſultamus enim, perinde quaſi in noſtra ſit poteſtate agere, quod proponitur. Oſtenſum eſt autem ſuprà, conſultationem eſſe rerum contingentium, peræquè in vtramque partem: quod genus contingentium ſic definitur. Quod cum ipſum poſſumus, tum eius oppoſitum. Huius optio penes noſtram mentem eſt, & hæc actionis eſt principium: eáque in noſtra poteſtate ſunt quæ æquè in vtramque partem contingunt, vt moueri & non moueri, perſequi & non perſequi, appetere res neceſſarias & non appetere, mentiri & non mentiri, dare & non dare, lætari quibus rebus oportet & non lætari, denique quæcunque eiuſmodi ſunt, vt in ijs vitij & virtutis opera inſint; horum enim penes nos poteſtas eſt.* Huic contingenti opponitur neceſſarium, non quomodolibet acceptum, (eſt enim omnino multi-

plex *necessarij* acceptio;ad quatuordecim recenset Pennotus lib.1.propugn. cap.1.) sed necessarium ex defectu causæ, non habentis potestatem in actum suum. Et ita Camerac.ac Gabriel, suprà, & alij relati in Morali dist. 2. num. 64. imò communiter omnes: Vt videas quanto iure aduersarius dicat,iuxta Philosophos, liberum non opponi necessario.

Labes priori affinis, non necessitatem, sed coactionem solam aduersari libertati.

VII. Præterea erroneum planè videtur quod addebatur in noua sententia, ad veram libertatem sufficere immunitatem à coactione. Hoc non modò est contra sententiam philosophicam quæ solam voluntatem statuit formaliter liberam, (nam intellectus quoque vt ait Ocham in 1.d.1.qu.6. *litera M*, imò & omnes potentiæ cognoscitiuæ & appetitiuę immunes sunt à coactione,vt probat Durandus in 4.d.49.qu.4. num.17.) sed ętiam est contra Ecclesię oraculum. Nam si immunitas à coactione ad libertatem sufficeret, fatendum est, ad veram libertatem sufficere rationem spontanei siue voluntarij libero anterioris. At hoc est expresè damnatum à Pio V. & à Gregorio XIII. contra Baium, cuius hæc erat propositio 38. *Quod voluntariè fit, liberè fit, quamuis necessariò fiat*: Vbi *voluntarium* sumitur presè, seu pro spontaneo, quod solam coactionem excludit. Nec Baij tantùm qui sine malitia errabat, sed Caluini quoque fuit ea opinatio. Caluinus enim, vt ei latè exprobrat qui cum eo egerat Bartholo-

mæus Camerarius lib. de grat. & lib arbit. cap. 6. admisit libertatem hominis, dummodò per libertatem indicetur tantùm voluntarius & spontaneus operandi modus, solam coactionem excludens. En impuri calami virulentiam lib. 2. aduersus Pighium. *Si coactioni opponatur libertas, liberum esse arbitrium constanter asseuero; & pro hæretico habeo quisquis secus sentiat, si hoc liberum vocetur, quia non cogatur aut violenter trahatur extorto motu, sed sponte agatur sua. Sed cum aliud prorsus vulgo concipiant, dum hoc epitheton homini attribuunt, vel audiunt, vel legunt, & ad facultates viresque referant, & imaginatio hæc in mentem veniat, habere sub potestate sua bonum & malum, & alterum eligere suapte natura queat, hæc causa est cur mihi displiceat.* Similia habet lib 2. instit. cap. 2. num. 5. Subscribítque passim pusillus grex, & nominatim magnus in eo aries Petrus Molinæus in scuto fidei ad artic. 9. Præiuerat his omnibus Vvicleffus, quem ex lib. 3. trialogi cap. 28. refert Vvald. lib. 1. doctrin. cap. 22. num. 5. & idem communiter dixisse Vvicleffistas, habet idem Vvald. idem cap. 23. num. 6. Stoicis fatariis idem tribuit Iulius Sirenius lib. 3. de fato, cap. 21.

VIII. Tentauit autor lib. 1. cap. 29. num. 6. Baij & cæterorum quos idem sensisse vidimus, damnationem à se auertere; dicendo, idcirco damnatum Baium, quia censebat, quod fit spontaneè, fieri liberè libertate contradictionis quæ ad meritum bonum malúmque exigitur: quo pacto motus illi qui rationem anteuertunt essent liberi, libertate ad peccatum sufficiente; se autem nihil tale dicere.

Verùm

Verùm si Baius damnatus est, quia libertatem ad meritum demeritúmque requisitam censuit retineri posita sola ratione voluntarij, non video quomodò aduersarius se in eadem damnatione esse non videat; quippe qui in ipsa propè operis fronte, contestatur sermonem sibi toto opere fore de libertate ad meritum ac demeritum prærequisita. Si ergo aduersarius, huiusmodi propriè dictam libertatem, agnoscit posita sola immunitate à coactione perstare incolumem, (vt reuera agnoscit:) nulla profectò superest via declinandi impactam Baio notam, & Caluinianæ doctrinę societatem hac in parte.

Vel libertatem, seruitute, non necessitate excludi.

IX. Prodítque insuper illud doctrinæ cum Caluino commercium, quod aduersarius locis supra annotatis, & nominatim lib.1.cap.6.num.10. veram libertatem non necessitati sed seruituti opponi docet, quæ est ipsissima Caluini doctrina in opere contra Pighium pag.66. vt Camerarius lib. de lib. arbit. cap.6. retulit ac refellit. Inde autem videtur profluxisse hic error, quòd libertas ciuilis seruituti opponitur, non necessitati. Seruus enim liber est physicè, & necessitati cuiuis subducitur physicè loquendo; ciuiliter tamen non est liber, quia de iure, nutibus Domini addicitur. Vnde quia scripturæ sæpè memorant Christianam libertatem, ciuili libertati purè humanæ proportionalem, Caluinus, & qui ei improuidè adhæsit aduersarius, eam liberta-

tem ſoli ſeruituti oppoſitam, cum vera libertate commiſcuerunt, & excludi à libertate neceſſitatem, ſunt inficiati. Quanquam ante hos quoque, Democritus & Chryſippus apud Euſebium 6. præpar. cap. 6. cum libertatem, alter ex parte, alter omnino exſcinderent, eam libertatis excluſionem, nominarunt *ſeruitutem* ac *ſemiſeruitutem*; & voluntatem vel *ſeruam* vel *ſemiſeruam* dixerunt, rati libertatem cum ſeruitute pugnare, non cum neceſſitate, vt etiam cenſuit Caluinus.

Liquet porrò ex dictis, nihil cum Caluiniano hoc fermento commune habere, quod interdum aiunt DD. aliqui quorum doctrinæ ſynceritas eſt extra dubium, nempe libertatem eſſe immunitatem à coactione, & opponi ſeruituti. Vtrunque habet S. Bonauent. in 2. d. 25. dub. 5 *circa literam*. Verùm S. Bonauentura expreſsè declarat, eam coactionem à qua ſtatuit libertatem propriè dictam eximi, eſſe neceſſitationem oppoſitam determinationi à ſeipſo, ſiue oppoſitam dominio in actum ſuum: quod apertè tradit ibid. nu. 37. libertatem ſeruituti coactionis oppoſitam, appellans libertatem à neceſſitate, & quidem ab ea neceſſitate qua facultati eripitur dominium in actum ſuum, vt inferiùs exponit eadem diſt. artic. 2. quæſt. 2. num. 44. Similiter ſeruitutem libertati oppoſitam S. Bonau. intelligit neceſſitationem. Eam quippe ſeruitutem, contradiſtinguit ſeruituti ſubiectionis, ad quam reducitur ſeruitus ciuilis. Itaque tantùm abeſt, vt dicat libertatem non opponi neceſſitati ſed ſeruituti, vt pro eodem habeat neceſſitatem cum libertate pugnantem & ſeruitutem libertatis propriè dictæ excluſiuam, vt liquet

ex num. 37. & ex plurimis locis eiuſdem diſtinctionis.

Quod de S. Bonauentura dixi, æquè dicendum eſt de Alphonſo à Caſtro, qui v. *libertas*. hær. 1. cum dixiſſet libertatem propriè dictam opponi neceſſitati, ſubdit, *vel vt veriùs dicam, coactioni*. Illico tamen ita ſe explicat Caſtro, vt appareat eum vſurpaſſe coactionem pro neceſſitatione; neceſſitatem autem, ibi accepiſſe pro immutabilitate, vel neceſſitate eſſendi, quam poſſe cum libertate cohærere, liquet ex Deo. At aduerſarius, neceſſitatem propriè dictam negat cum vera libertate pugnare, nec ſeruitutem vſurpat pro ſeruitute neceſſitationis, quæ latè ſumpta voce dicitur ſeruitus coactionis, ſed vſurpat ſeruitutem ciuiliter, tametſi in ſenſu Chriſtiano, prout ſcilicet qui peccato ſubiacet, ſeruitute premi dicitur; quo eodem ſenſu & modo voces illas vſurpat Caluinus, tradens libertatem non cum neceſſitate ſed cum ſeruitute pugnare. Proindéque longè & à Caluino & ab autore abſunt S. Bonauentura, & Alphonſus, tametſi cortex verborum videri vtrobique poſſet non abſimilis.

Tuber nouæ ſententiæ, peccatores abſque libertate.

X. Erroneum inſuper videtur, veram & propriè dictam libertatem negare peccantibus, quod facit autor conſequenter ad nouam ſententiam, qua libertatem deriuari vult ex adhæſione ad Deum, quæ à peccatoribus exulat. Imò lib. 2. cap. 26 *in fine*, & lib. 1. cap. 33. nu.

8. concessa peccantibus sola indifferentia passiua, qualis est brutorum, & lapidum, ac materiæ primæ, addit, eam non modò non esse libertatem, sed etiam libertati repugnare. Et rectè planè supponit aduersarius, indifferentiam passiuam non sufficere ad veram libertatem, quod in Mor. dist. 2. à num. 92. probaui cum Durando, Gregorio, Vega, estque ex libertatis notione perspicuum. At indifferentiam peccantis non esse actiuam, sed duntaxat passiuam, atque adeò non esse peccatorem qui agit, sed merè passiuè se habere; (hoc enim est esse tantùm passiuè indifferentem) error est exploratus: quia sequeretur peccatorem reum fieri, & pœnis immanibus subiacere, pro opere non suo. Meminisse verò hîc oportebat autorem, vitanda esse sententiarum extrema. Iuxta Lutherum quem eo nomine acriter castigat Roffensis artic. 36. non inest homini libertas nisi ad malum. Aduersarius autem non dat homini libertatem nisi ad bonum. Vox Nouatiani est lib de Trinit. cap. 30. Veritas inter extremos errores media pendet, vt Christus inter latrones.

Et dæmones ac damnati absque peccato extra viam.

XI. Videtur præterea erroneum quod aiebat noua sententia, dæmones & damnatos non peccare, quia cum nó adhæreant Deo, sunt expertes libertatis. Hæc nota si agatur de peccato non vagè sed determinatè, non videtur vllo nitro, vlláve herbæ borith multiplicatione elui posse. Nam damnatos Deum blasphema-

re, certum est. Eos autem nulla extrinseca necessitate adigi ad blasphemandum, rectè statuit Dionys. Cisterc. in 2. d. 7. quæst. 1. artic. 2. *in fine.* Imò nec ab intrinseco dici possunt necessitari ad execrandum illum actum. Et idem est de alijs sceleribus quæ iugiter designant, & cum facultas suppetit, exequuntur. Quid enim inest damnato quod eum ad peccandum necessitet? Eius voluntas est ex se exsoluta à necessitate. Habitus quilibet, & iustum supplicium repensum anterioribus culpis, nihil tale præstare possunt. Ergo affirmare illos non esse liberos in actibus quos proposui, & sceleris puros eos præstare, erroneum est.

Sanè S. Bernardus, imaginem Dei in homine interpretatus libertatem, ser. 1. de annunc. ait eam Dei imaginem perstare in peccatore, etiam in gehenna: & vri quidem eam posse, sed non exuri, ardere sed non deleri, contra quàm contingere ait diuinæ similitudini, siue virtutibus, quæ in Tartaro pereunt, & obliterantur. Idem Bernardus tract. de grat. & lib. arbit. sic scribit de dæmonis libertate. *Quomodò ad bonum conuersus per gratiam humanæ voluntatis consensus, eò liberè bonum & in bono liberum hominem facit quo voluntarius efficitur, non inuitus pertrahitur: sic sponte deuolutis in malum, in malo nihilominus tam liberum quàm spontaneum constituit, sua vtique voluntate ductum, non aliunde coactum vt malus sit. Et sicut cælestis Angelus, aut etiam Deus ipse, permanet liberè bonus, propria videlicet voluntate non aliqua extrinseca necessitate:* (agit de bonitate Dei quoad actus externos in quibus iugis est, cum posset si vellet ab eis feriari:) *Sic profectò diabolus æquè liberè in malum*

& corruit & persistit, suo vtique voluntario nutu non alieno impulsu. Manet ergo libertas voluntatis, vbi etiam fit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior. Et infrà. *Nec Deus caret libero arbitrio, nec Diabolus, quoniam quòd ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quódque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio.* Quod ait, dæmonem non posse in bonum respirare propter voluntariam peruicaciam, fauet sententię non ignobilium Theologorum, qui concedunt dæmonibus ac damnatis, facultatem bonum aliquod morale opus exequendi si velint. Ad bonos tamen actus supernaturales nullo modo possunt assurgere dæmones ac damnati, quia desunt eis prærequisita ad cudendos huiusmodi actus: Et hoc voluit D. Augustinus cum negauit damnatos habere libertatem ad bonum, vt Camerac. lib. de liber. arbit. cap. 3. *in fine*, refert.

Omnia eorum scelera, Dei non ipsorum opera.

XII. Non hîc stetit dæmonum & damnatorum excusatio quam instituit noua sententia, liberans eos à peccatis omnibus propter defectum libertatis. Vnum addidit quod cum chartæ illineretur, mirum est si non attramentum versum sit in minium, vt in Iulianum dixit Augustinus. Addidit inquam noua sententia, dæmones & damnatos non modò non peccare, sed ne agere quidem: *DEVM esse qui operatur motus illos in*

damnatis & dæmonibus, qui operationes eorum esse videntur; at ipsos nequaquam operari. Quod hoc doctrinæ prodigium, imò portentosum monstrum? Satan ad Abelis fratris cædem incitauit Cainum; Ammonem ad conspurcandam sororem pellexit; Iudam ad Christi proditionem incendit; Animauit Iudæos vt Barrabam dimissum vellent, IESVM verò perderent; Herodem ad contrucidandos innocentes instigauit; Antichristum ad fœda & horrenda quæque perpetranda, & cumulandam anteriorum quorumuis scelerum mẽsuram vrgebit. Has non Satanæ operationes, sed Dei esse, quis sine horripilatione & fremitu audiat? Inuentus est qui licendo adijceret ad horrendam illam vocem quæ superius seculum incestauit: *Tam opus Dei est proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* Quod enim tetrius est, omnium quoque dæmonum & damnatorum detestandi quique actus, autori Deo adscribuntur in solidum, ita vt dæmones & damnati ne agant quidem; Deus in illis & per illos, horrida & infanda quæque ipsis otiantibus operatur, iuxta autorem: Quem *in re in qua ipsa verba modusque loquendi horrorem incutiunt,* (telum est ex eius pharetra in innoxiam doctrinam Gabrielis Vasques, hîc iustissimè intortum,) *sanctitatem communis doctrinæ violare non esse veritum*, iis Deo adscribendis quæ sua esse opera dæmon ipse non diffitetur, non possum satis suspicere, satisve refugere.

Nouæ ſententiæ paradoxum periculoſum; mouere ſe, eſſe agi ab alio, & libertatem excludere.

XIII. Eiuſdem nouæ ſententiæ næuus alius, & indubitatus error, videtur eſſe, quod affirmat, moueri à ſeipſo ſiue ſeipſum determinare ad operandum cum poteſtate non operandi, libertatem non dicere, ſed excludere. Ita aſſeri ab autore iam retulimus. Et expreſſiſſimè id habet lib. 2. cap. 14. num. 2. verbis illis. *Moueri à ſeipſo, prout importat* moueri, *non dicit libertatem, ſed priuationem libertatis. Dicit enim limitationem, dependentiam, & ſubiectionem; dicit agi ab alio, quæ ſunt oppoſita libertatis. Et quanquam opponas, ipſum,* moueri à ſe, *illudque identidem inculcare nitaris, quia tamen nihil prorſus à ſeipſo mouetur, ſed oportet aliquam inter mouens & mobile diſtinctionem interuenire, ſemper verum eſt, quod mouetur, etiam à ſeipſo, ab alio moueri, & agi, quod eſt contrarium libertati.* Mox tamen autor admittit, creaturam rationalem etiamſi à ſe non moueatur, tamen mouere ſeipſam, idque ad libertatem eius pertinere.

Verùm hoc acumen eſt omni piſtillo retuſius. Nam *creaturam ſe mouere*, & *creaturam à ſe moueri*, adeò reciproca imò ſynonima ſunt, vt nihil præterea. Impoſſibile quippe eſt, verum eſſe quod ipſamet creatura ſe moueat, & tamen non moueatur. Si ergo cum ſe mouet, mouetur: peto à quo moueatur, præcisè vi motus quo

quo ipsa se mouet. Ipsi termini apertè produnt, principium illius motus vt sic, esse ipsammet creaturam. Ergo creaturam à se moueri, non dicit dependentiam ab alio prædeterminante ad agendum, ac proinde non exscindit libertatem vt aduersarius malè affirmabat. Quinimò eius ratiocinatio, omnem planè actuũ creatorum libertatem tollit è medio. Nam si moueri ab alio est contrarium libertati, vt autor dixit, & nihil prorsus est quod à seipso moueatur, vt idem affirmat, sequitur nihil esse quod agat liberè. Adde quod si nihil est quod à seipso moueatur vt autor ait, non ergo moueri à seipso dicit libertatis priuationem. Cæterum vniuersè loquendo, vt autor loquitur, falsò planè dicitur nihil esse quod à seipso moueatur. Substantia enim perficit ac mouet seipsam, profundendo proprietates suas. Item quicquid viuit, prout viuit, seipsum mouet ac perficit. Quomodò tamen Philosophus verè pronunciauerit, & tanquam basim altissimæ de Dei existentia demonstrationis iecerit effatum illud, *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, tractatum à nobis abundè est in Natur. Theologia dist. 5. num. 50. monstratúmque id non de quocunque motu, sed de transitu à non esse ad esse intelligi oportere, quo pacto perspicuum est quicquid mouetur moueri ab alio; nihil enim sibi est essendi causa.

Placita fuliginosa, iam tacta.

XIV. Præterea vacétne errore quod autor diuinas processiones immanentes, statuat liberas, idque nomi-

natim de diuini verbi generatione pronunciet, non est hîc consilium iteratò discutere. Satis quippe de eo actum est superiùs inter impugnandum aduersarij doctrinam. Tantùm dico S. Athanasium orat. 4. contra Arianos, S. Ambrosium lib. 4. de fide cap. 5. & S. Epiphanium hæresi 69. Arianismi damnare illam propositionem, *Filius liberè à Patre genitus est.*

Superiùs quoque expensus iam à nobis est error multiplex, quo noua sententia, vt libertatem nostrorum operum meritoriorum magnificaret ac tueretur, affirmabat eum qui Deo subijcitur, & ab eo mouetur, quatenus mouetur à Deo, moueri à seipso eo quòd Deus sit ipsum esse hominis, & homini per gratiam vnientem fiat intimior, quàm sit ipse homo sibi ipsi. Vnio quippe illa Dei ad hominem per gratiam, tanta est iuxta autorem, vt homo ipse in Deum transeat, & Deus fiat ipsummet esse eius. Vnde cum homo à Deo mouetur, de autoris sententia, magis mouetur à seipso, quàm cum ipsemet homo secundùm suum esse proprium ac peculiare se mouet. Additque lib. 1. cap. 6. num. 6. beatos licet ad Dei amorem necessitentur, idcirco tamen liberè in eum actum erumpere, quia sibi ipsimet necessitatem imponunt amandi, quatenus Deus est illorum forma & actus purissimus. *Vnde quam ab illo ita vnito necessitatem sortiuntur, hanc sibi ipsis verè meritóque censentur imponere.*

XV. Hæc quamuis ab autore multipliciter condiantur, vsque adeò tamen desipiunt, vt ne ingesto quidem vniuerso Moluccarum pipere, defatuanda videantur. Nam transitus hominis in Deum, non nisi

valdè metaphoricus eſt, & myſticus. Quiſquis autem alium animæ quantumcunque contemplatiuæ aut etiam beatæ tranſitum in Deum comminiſcitur, planè delirat, iudice Gerſone epiſtola 2. ad Bartholomæum Carthuſienſem in cauſa Ruſbrochij, vbi ait *eam phantaſiam* (ſic enim appellat,) fuiſſe Pariſijs in vno Auguſtiniano damnatam, *tanquam fatuam & inintelligibilem.* Quod verò deliri huius in Deum tranſitus patroni, obtenderent quædam ſcripturæ loca quæ autor cum quo agimus, frequenter vſurpat, operæ pretium eſt audire quomodò Gerſo ea exponenda tradat in priore ad prædictum Carthuſianum epiſtola, cum refellit tranſitum animæ in Deum per contemplationem & amorem. *Sed videbitur fortaßis*, inquit, *pro iſta aſſertione facere illud Apoſtoli verbum, qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Et multa Chriſti dicta ſunt in hanc ſententiam, imprecantis Patrem vt fideles vnum ſint, ſicut Pater & Filius ipſi, ſunt vnum. Dudum verò certa eſt SS. Patrum ſuper his expoſitio, dicentium, illam vnitatem non eſſe eſſentialem, nec per præciſam ſimilitudinem; ſed ſola ibi notatur aßimilatio & participatio: quemadmodum dicit Lucas quod multitudinis credentium, erat cor vnum & anima vna: & de duobus amicis itidem dici vulgaris vſus habet: quemadmodum etiam carbo ignitus & aër illuminatus, vnum appellantur cum ſuo igne & lumine. Hoc tropo probat Boëtius, hominem bonum eſſe Deum, iuxta illud Pſalmi, Ego dixi, Dij eſtis; non quidem per veritatem & vnitatem diuinæ eſſentiæ, & locutionem propriam, ſed participatiuè & aßimilatiuè, imitatiuè & nuncupatiuè.*

XVI. Vides cuiusmodi transitus hominis in Deum, concedi ad summum possit; hoc est, non nisi admodum metaphoricus. Ex tali autem transitu, inferre quæ autor inferebat, multo absurdius est, quàm ex eo quòd peccator in scripturis dicatur transire in equum & mulum, inferre verè peccatoré posse generare equum, & alia præstare, quæ ab equo non mystico sed vero duntaxat ac reali proficisci possunt. Quod si iocari in re tanta incongruum est, inferre sanè seriò licebit, quandoquidem homo per gratiam fit ipsemet Deus, & idcirco cum Deus eum mouet, non à Deo sed à se mouetur; licebit inquam inferre, creationem & conseruationem mundi, esse hominis operationes. Item generationem Filij, & processionem Spiritus sancti, esse actiones hominis, eíque physicè tanquam principio tribuendas: Et nouam denique ac plusquàm monstrosam communicationem idiomatum, Deum inter ac puros homines iustos, esse confingendam. Hæc si dici non possunt nisi ab homine, qui vt loquitur Theophilus Alexandrinus in 1. Pasch currum stultitiæ suæ vltra Æthiopiæ flumina agitarit, fatendum est, mysticos plerosque loquendi modos, vt eos qui propositi sunt, ac similes quos aduersarius affectare solet, agendis in stuporem imbecillibus ingeniis v.g mulierculárum, admodùm opportunos esse; à viris autem cordatis ac solidè eruditis, iure despici tanquam malæ messis sementem, & genitale virus è quo non rarò ingens errorum fœtura sobolescat: qua de re inferiùs pluscula.

Pleraque de merito, intuta.

Quo porrò loco habebimus quod autor lib. 1. cap. 9. num. 8. habet quoad meritum in bonis operibus? Argumentum ſibi ipſe obiecerat huiuſmodi, contra doctrinam quam ibi ſtabilierat de nulla in nobis libertate exercitij, circa Deum. Exercemus circa finem vltimum actus aliquos meritorios, ac proinde liberos: ergo libertas exercitij non datur tantùm circa media, ſed etiam circa Deum. Hoc argumentum ita extricat autor, vt planè ſeipſum implicet. Ait enim, actum quo Deum attingimus v. g. conuerſionem ad Deum, duo continere. Vnum eſt, pręciſa ipſa conuerſio ad Deum: alterum eſt, auerſio à creaturis, quibus vel quis iam inhæſit, vel facilè poſſet inhærere. Hæc auerſio, eſt meritoria tanquam actus noſter: Illa verò conuerſio præciſè ſumpta, non eſt meritoria prout actus noſter eſt, ſed tanquam opus Dei per Chriſtum in nobis; reperitúrque in nobis actus ille, quamuis non ſit propriè noſter: Eſt item meritorius, quamuis nos propriè tali actu non mereamur. Ex eo tamen quòd ſit meritorius, competit ei libertas aliqua, quia communis ſenſus fert, omnem actum meritorium eſſe liberum. Hactenus enodatio prædicti argumenti adhibita ab autore.

XVII. Sed in ea primùm miror, quomodò autor qui non ſolet communi ſenſu velut vulgi ſermonibus moueri, hîc præter morem agnoſcat, actus qui circa Deum verſantur eſſe liberos, quia omnes ita ſentiunt, cum eſſet in promptu ipſa ratio nouæ libertatis, ſiue

amplitudo, per quam abiecto profano vulgo exponere liceret quomodò actus ille libertatem habeat, non aliquam sed planè perfectam. Deinde quomodò monstrabit autor, actum qui liberè exercetur non esse liberum libertate exercitij, cum libertatem actualiter & per actum siue in actu exercere, nihil aliud sit, quàm exercitij libertas? Præterea quod autor, conuersioni cuiuis ad Deum adiungi vult auersionem à creaturis, falsum est si agatur de auersione non virtuali sed formali, vt videtur ferre responsio autoris ad argumentum propositum. Potest enim quis purè & præcisè ad Deum conuerti, nec auerti ab vllo alio obiecto cui priùs malè adhæserit: Et de tali actu, clarum est quòd & sit actus noster, & meritorius, ac proinde liber actuali libertate.

Quòd verò auersio cum formaliter interuenit, sit meritoria vt actus noster, non item conuersio; itémque quòd conuersio sit meritoria, nec tamen nos per eam mereamur; & denique quòd conuersio reperiatur in nobis, nec tamen sit actus noster; hæc inquam omnia sordent non vno errore, videntúrque damnata eo Tridentini canone, quo feriuntur qui dicunt, hominem in supernaturalibus actibus ac meritorijs, merè passiuè se habere. Ne verò cui videatur hæc vno in loco autori per calami exerrationem excidisse, iterat ea locis compluribus, vt lib. 1. cap. 14. num. 7. & lib. 2. cap. 19. num. 19. & lib. 2. cap. 15. num. 4. vbi ait, hominem nihil agere aliud nisi quod sinit se moueri ac pertrahi; conuersionem autem nostram, esse opus Dei in nobis sine nobis. Non lenitur porrò hoc vlcus ea di-

ſtinctione, quòd actio illa, prout eſt auerſio, ſit à nobis. Nam etiam vt conuerſio eſt, à nobis diuinitus ſollicitatis, ſed noſmetipſos determinantibus oritur. Auerſio item, eſt ſupernaturalis, æquè ac conuerſio. Eſt enim vna ſimplex entitas. Vnde ſi vna poſtulat non eſſe à nobis, idem de altera erit dicendum. Tandem quis concipere queat, vnam & eandem phyſicam entitatem, ſimul eſſe ab homine ſe determinante, & non eſſe ab eo determinante ſcipſum? Itaque omnes hæ autoris ſubtilitates, acumina ſunt ariſtarum quas inefficaces ipſa ſubtilitas reddit, vt eſt apud Ethologum.

Aliæ maculæ indicatæ; amorem omnem concupiſcentiæ, malum eſſe.

XVIII. Ex iiſdem principiis hauſtum ab autore videtur, quod lib. 2. cap. 6. num. 4. ait, operantem ex ſpiritu gratiæ, nihil ſuæ vtilitatis, etiam æternæ, gratia facere, nihil quærere niſi bonum Dei. Et lib. 1. cap. 4. num. 8. affirmat, actum rectum *elici propter finem vltimum, & ex amore Dei puro ac prorſus honeſto, ac nequaquam ex amore concupiſcentiæ.* Hæc ſi vera eſſent, actus ſpei non eſſet actus bonus, quia eſt actus amoris concupiſcentiæ erga nos ipſos; non autem puri amoris erga Deum. At actum ſpei, eſſe honeſtiſſimum & ſupernaturalem, indubitatum eſt apud Catholicos. Item iuxta autorem, inclinare cor ſuum ad faciendas iuſtificationes Dei propter retributionem, præſertim æternam, non eſſet actus ex ſpiritu gratiæ elicitus, quia

quando ita operamur, non renunciamus vtilitati nostræ, & æternum bonum nostrum captamus. Et tamen de fide est, & in Tridentina Synodo contra sectarios constitutum, talem operationem ex spiritu gratiæ elici. Quo emplastro possit huic vulneri medela fieri, viderit autor.

Hominem esse sibi finem, quia est Deus.

XIX. Liceat etiam superioribus assuere quod sequitur, nam & affine est, pertinetque ad nostram illam in Deum metamorphosim, de qua proximè. Autor lib. 1. cap. 5. n. 7. cum definisset ex Aristotele liberum, quod est sui causa, ἑαυτοῦ ἕνεκα, sibique obiecisset, ergo hominem non esse liberum, quia non est sui gratia, sed Dei, respondet his verbis. *Cum Deus sit summum & proprium eius bonum, cum sit nobis intimior intimo nostro, cum creatione & primæua institutione simus capaces eius; ideò cum Dei sumus, nostri sumus, & ad Deum referri, non est aliò referri, nec pendere ab externis, sed potiùs sui gratia esse.* Eadem repetit cap. 7. num. 4. Quod aduersarius de his suis verbis iudicium ferri velit, non admodùm refert. Ego si mea essent, non censerem fas mihi esse defugere, quominus verba tam inordinatè prolata, grauis erroris arguerentur. Quò enim deuentum est, si fas est dicere, hominem factum esse propter se? hominem ad nullum extra se finem referri? Sed vt clauus clauum, admiratio admirationem extrudat, addo & illa ex numero 12. eiusdem capitis. Homo Deo adhærens, & verè liber effectus, *ad quandam omnipoten-*

tiam peruenit, eiúsque voluntati, vt & diuinæ nihil resistit, nihil ei dominatur, nulli subijcitur, quia totus à seipso separatus in Deum transijt. Itaque eò quoque noua doctrina peruenit, vt fas sit dicere, hominem Deo non subijci, hominem Deum non agnoscere Dominum, esse hominem planè ἀδέσποτον, esse omnipotentem. Et hæc cum dicimus, hypermystici & transpirituales audimus. Non equidem inuideo, miror magis.

Iustos Christi sanctitate formaliter sancto esse.

Denique quòd autor explicans varias per libertatem deificationes, tertiam esse ait, qua sanctificamur ipsiusmet Christi sanctitate, viderit ipse quomodò ab Illyrici, Buceri, & aliorum Lutheri geniminum sensu discrepet, qui iisdem verbis dixerunt, hominem non creaturæ cuiusdam puræ sed ipsiusmet Christi sanctitate sanctum formaliter esse, nec per sese ac separatim, sed in ipso Christo iustificari. Quem errorem passim conuellunt qui de iustificatione disputant, & nominatim Bellarminus lib. 2. de Iustific. cap. 7. Ipse autor distare se plurimum ab hoc insulsissimo errore, disertè monet. Sed multi sunt qui contestantur nolle se quicquam placitis suis esse commune cum erroribus, neque tamen eorum se fuligine satis liberant. Vt minimum verò cum autoris verba illa ipsa sint quibus Bucerus & Illyricus fatuitatem suam expresserunt, considerandum illi fuit, quid iuxta vulgare effatum, ex verbis inordinatè probatis, sana licet voluntate, incurri soleat.

CAPVT VI.

Quæ in noua ſententia temeritatem redoleant.

I. A Palmaribus erroribus nouæ ſententię, (nam minutiores pleroſque ſciens prætereo, ſpicilegium in tempore facturus;) tranſeo ad temeritates: quo nomine vt docetur ſecunda ſecundæ intelliguntur peculiares ſententiæ quibus quis leuiter à communi via deſciſcit, iniens itinera non trita, nullo ineluctabilis rationis aggere obſtante? Quo in genere quàm nauus ſit aduerſarius, vniuerſum eius opus abundè docet. Vix enim eſt legere paginam, in qua communis doctrinæ conuulſio aliqua non occurrat.

Neque verò is ego ſum, cui placeat ſeruitus quorundam ingeniorum, quæ niſi apud vnum aliquem è patricijs doctoribus quem ſibi ducem delegerint, aut ab alijs delectum acceperint, ſententiam aliquam totidem verbis expreſſam legant, illico damnant vt minimùm temeritatis: Cuiuſmodi non ſemel offendimus paucarum literarum homines, in alienis cenſendis & ſuffigendis ſupra Catones cum primùm quis tantiſper ab ea ſemita deflexerit quam ipſi anticipato iudicio probauerint, tantum quia autoris eſt quem habent pro gregis ariete. Hanc eſſe verè peſtem diſciplinarum, nec ferendam vnquam eſſe eiuſmodi liberorum

ingeniorum mancipationem in seruitutem, eruditus quisque profitebitur, Senecæ auscultans cuius illa sunt in hanc rem egregia epist. 33. *Omnes istos nunquam autores, semper interpretes, sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi.* Et mox: *Isti qui nunquam tutelæ suæ fiunt, primùm in ea re sequuntur priores in qua nemo non à priore desciuit. Deinde in ea re sequuntur quæ adhuc quæritur, nunquam autem inuenietur si contenti fuerimus inuentis. Præterea qui alium sequitur nihil inuenit, imò nec quærit. Quid ergo non ibo per priorum vestigia? Ego verò vtar via veteri, sed si propiorem planiorémque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illa, etiam futuris relictum est.*

II. Quare absit vt eo nomine temeritatis dicam aduersario impactam velim, si aduersus placita in quibusdam scholis detritiora, validis adductus argumentis vindex veritatis exurgat. Hoc enim cuique liberum esse debet. Imò non adeò siccatos doctrinę fontes existimare par est, vt nihil præterquàm quod anteriores hauserint, superesse censeamus hauriendum: Atque adeò si quis nouo tantùm modo clariùs tradat, vel firmiùs muniat anteriora placita; ac etiam (dummodò extra fidei scita & Christiana dogmata, vel cum ijs nexa;) nouum aliquod placitum ipsemet, bona & valida ratione subnixus protulerit, tametsi contra torrentem recentiorum, veterum tamen nonnullis probatæ notæ, quod ferè semper continget, vel explicitè vel implicitè & virtualiter astipulantibus, cum ego neque temeritatis, neque leuitatis damnari patiar, cum sit po-

tiùs ab ingenij acumine & felicitate commendandus. Verùm nulla nisi pertenui ac adumbrata ratione quæ facillimè dispellatur, nullo idoneo autoritatis præsidio suppetente, inire sibi vias singulares; hoc verò est quod temeritatis nota meritò suffigitur: Et talia aio esse in aduersarij opere singulis propè paginis aliqua. Scio illum quo est candore & amore veritatis, idem ac etiam mitius de suis scriptis iudicium non detrectaturum, quàm sit quod de alienis prior ipse tulit. Quare rotundè ac ingenuè cum Basilio, *ficum ficum* dicam, & breuiter præcipua quædam quæ in nouæ sententiæ veluti substantia atque visceribus, temeritatis nomine improbanda videntur, hîc delibabo. Cætera verò temerè prolata, quæ ad nouæ sententiæ quasi fundum & penetralia non pertinent, reseruo racemationi suo loco instituendæ.

Noua libertatis quidditas, temerè conficta.

III. Temeritatis ergo nota, iure inprimis inurenda videtur definitioni libertatis, quam recèns cudit noua sententia. Libertatis enim notio hactenus apud scriptores omnes sacros æquè ac profanos, expressa est per potestatem agendi & non agendi, vel etiam agendi oppositum, ita vt voluntas sola quia neutri parti astricta est, determinet quid teneat, vt Diu. Anselmus egregiè dixit parte 1. concord. cap. 6. Et idcirco aliqui qui dixerunt libertatem esse principium actus sui dominum, alij esse potentiam actiuè indifferentem, alij esse potentiam sui iuris, alij esse principium quod po-

sitis omnibus prærequisitis potest agere aut non agere, vel etiam contrarium agere prout extensior vel auctior fuerit libertas pro variis obiectorum meritis. Idcirco item aliqui libræ, aut trutinæ, alij tribunali comparauere libertatem, vt fusè prosequor in Morali dist. 2. à num. 115. alij temonem vitæ nostræ eam dixerunt. Quæ omnia sapiunt vertibilitatem potentiæ per ipsam flexilis ad alterutram contradictionis vel contrarietatis partem: Eo item nomine vt suprà iam attigi, Catholicus exercitus hæreticos, & Philosophi fatarios iam olim suscepere oppugnandos, quòd talem potestatem renuentes, libertatis hostes se proderent. Contra communem igitur hominum sensum, contra receptissimam apud sapientes, Ethnicos iuxta ac Christianos notionem, contra fidem omnium Dictionariorum, nouam libertatis notionem cudere, non potest ab insigni temeritate liberari. Itaque cum vniuersa aduersarij lucubratio à capite ad calcem in eo versetur, vt noua illa libertatis notio, admittatur, illustretur, infigatur, perspicuum est quanta amplitudine (propè dixi libertate,) in eius volumine exspatietur hæc nota.

Itémque eius origo noua.

IV. Æquè temeritatis insimulanda videtur origo libertatis quam assignat noua sententia. Statuit enim libertatem deriuari ab adhæsione cum Deo, quod planè omnes hactenus latuit. Libertatis enim radicem, vt notaui in Morali dist. 2. à num. 144. antiqui iuxta ac

noui DD. vel dixerunt esse immaterialitatem; vel quod Ruardus ad artic. 7. Louan §. *huiusmodi autem*, & Pennotus lib. 1. propugn. cap. 6. latè referunt, indifferentiam iudicij, eiúsque vniuersalitatem: quæ omnia eodem recidunt, nisi quòd immaterialitas est radix remota libertatis, vniuersalitas verò & indifferentia iudicij immaterialitatem consequitur, estque libertatis radix proxima. Sanè D. Thomas quod aduersarius lib. 2. c. 10. & 11. non dissimulauit, & plene tradunt Conrad. 1. 2. q. 17. artic. 1. circa ad 1. ac Capreol. in 2. d. 24. *ad argum contra 2.* libertatis radicem esse dixit, non adhæsionem cum Deo, sed exemptionem à materia, vnde pullulat capacitas vt res fiat omnia, habeátque notitiam vniuersalem, cui appetitus quoque vniuersalis, id est non determinatus ad hoc vel illud, respondere debet. Itaque proxima radix libertatis, est indifferentia iudicij: remota autem libertatis radix ad quam proxima illa consequitur, est immaterialitas, de omnium hactenus autorum sententia, quam optimè exponit fuséque confirmat Ægidius Rom. quodl. 4. quæst. 21. docens, voluntatem ex eo quòd sit facultas naturę immaterialis, *habere primordialiter & radicaliter* quòd sit libera: Ex eo autem quòd subordinetur intellectui habenti notitiam vniuersalem, *habere de proximo* quòd potiatur libertate. Aduersarius anteriorum omnium autoritate conculcata, nouam libertatis radicem protulit, adhæsionem cum Deo. Recolat quæ sit temerarij notio, & an hac ex causa in eum cadat, me silente, ipse pronunciet.

Nec non noua partitio, explosa veteri.

V. Iam duplex libertatis diuisio inuecta per nouam sententiam, vt capite 1. retuli, vsque adeò recens est, vt nullus proferri possit antiquorum aut recentiorum qui eam vsurparit. Temeritatem ergo non modicam redolet ea nouæ diuisionis inuectio, & reiectio antiquæ, qua libertas vt est apud Angestum cap. 2. Moral. textu 2. notab. 2. & apud Conradum 1.2. q.1. art.1. notabili 3. imò & apud ipsum D. Thomam, vt autor quoque ex eo refert lib. 1. cap. 6. num. 4. distribuitur in libertatem contradictionis & contrarietatis: aut vt aliis verbis eam diuisionem exponunt nonnulli, in libertatem quoad exercitium & quoad speciem actus; vel quoad obiectum, prout hanc secundam vocat Conradus. Hæc fuit apud omnes recepta libertatis distributio. Quod enim autor lib. 1. cap. 1. num. 1. allegatis Vasque 1. p. d. 161. & Suare d. 19. Metaph. sect. 3. num. 6. libertatem contrarietatis repudiari ab eis affirmat tanquam adulterinam, tanta veritatis parcitate prolatum ab eo est in ipso propè operis limine, vt cauisse sedulò videatur, ne serus ad imponendum accederet. Certè quotquot Vasquem ac Suarem nouerunt, nusquam ab eis negari libertatem cōtrarietatis, siue quoad actus specificationem; imò disertè ab eis asseri compertissimum habent. Consulatur Vasques illa ipsa disp. 161. num. 9. & passim alibi, ac Suares ea disp. 19. s. 5. & alibi infinities. Est ergo ea libertatis distributio, ab omnibus recepta cum antiquis, tum nouis, etiam si nomina

libertatis contrarietatis, & contradictionis, à Neotericis excogitata sint, vt ait Vigner. in institut. cap. 3. §. 3. versu 1.

At aduersarius libertatem contrarietatis, expungit albo veræ libertatis lib. 1. cap. 35. num. 4. & vt sibi ac Musis canat, eo nomine non intelligit potestatem expeditam agendi vtrumlibet è contrariè oppositis, vt omnes ad hanc diem fecerunt, sed intelligit potestatem peccandi. Fortè quod is qui peccat, statuat se contrarium Deo & legi eius aduersetur. Sicut per libertatem contradictionis, autor non intelligit cum aliis potestatem agendi vel non agendi quippiam; sed vt liquet ex lib. 1. cap. 14. num. 7. intelligit potestatem agendi benè, vel benè cessandi ab agendo: Quam libertatem cótradictionis, in profundo descensu quem lib. 1. cap. 35. num. 4. adhibita operosa defossione instituit ad imum vsque creaturæ nihilum, ait esse secundam libertatem meriti, eámque seiungit à prima meriti libertate, qua creatura nondum penitus inhærens Deo, tendit in illum donec assequatur: In ea verò tendentia meritoria nullam esse libertatem exercitii, affirmat lib. 1. cap. 9. num. 8. eo quòd quamuis actus ille exerceatur liberè, tamen non sit circa creaturas sed circa Deum: cum tamen libertas exercitij, circa solas res creatas locum habeat. Quæ omnia contra communes notiones conficta, non erunt temeritatis insimulanda, si vspiam apud reliquos aliquale eorum vestigium appareat. At quod in ea doctrina, libertas contradictionis arctatur ad facultatem benè agendi, & benè ab agendo cessandi, quasi malè agere cum cessandum esset

esset ab opere, vel benè non agere cum lex ad operandum vrget, non sit aliquid liberum, & functio quædam veræ libertatis, non debet insimulari temeritatis, cum videatur error exploratus.

Iam libertatis partitio in statum & actum qualem autor proponit, sibi non constat. Autor enim vt cap. 1. retuli affirmat potẽtiam spectare ad libertatem actus; & hanc ait superstrui libertati status, quæ proximè & formaliter sumpta, est amplitudo & eminentia oriens ex adhæsione prælicita. Impossibile autem est libertatem status esse fundamentum libertatis actus & huic præsupponi; vicissim verò libertatem actus habere pro fundamento actionem potentiæ, & ab ea progerminare. At liquet actionem à potentia deriuari: ab actione autem qua Deo adhæremus, manat amplitudo & eminentia quam autor ait esse libertatem status. Quomodò ergo potentia quæ ad libertatem actus pertinet, manare potest ab amplitudine cui præsupponitur? Quomodò amplitudo principiare potest libertatem actus, cuius ipsa amplitudo siue libertas status, est veluti germen, cum ex actione resultet? Hæc tam implexa sunt, vt nulla inde Ariadne, quocunque exhibito filo Theseum educat.

Eiusdem denique obiectum, temerè nouatum.

VI. Tandem circa libertatis obiectum, indubitata hactenus Aristotelis 3. Ethic. cap. 2. & 3. omniúmque sententia fuit, circa finem vltimum non esse libertatem, sed circa media: non quòd non possimus circa fi-

nem vltimum liberè quoad actus exercitium versari, quamdiu hîc septo corporis conclusi lucem diuinam liquidò non haurimus: sed quòd beati quia Deum vident reducto sipario, eum necessariò diligunt: è viatoribus verò, Deum in se spectatum & seclusis nocumentis quę inferre potest, nemo auersari queat, sed vel abstinere actione cogatur, vel non nisi amorem erga huiusmodi finem possit elicere. Hoc volunt qui negant libertatem esse circa finem, de quo plura in Mor. d.2. à n.185.

In hac sententia quia omnium hactenus fuerat, noluit autor hærere; tantùm non illud professus, *non me cuiquàm mancipaui, nullius nomen fero.* At illud non verè ex eadem epistola 45. *multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico.* Quomodò enim multum magnorum virorum iudicijs, sibi aliquid duntaxat tribuit, qui sensum suum, aliorum omnium sensui præponit? Contra quàm ergo omnes hactenus statuerant, negantes dari libertatem circa finem, aduersarius è contra asserit, non nisi circa finem vltimum dari libertatem: nec tamen eam libertatem esse exercitij aut contradictionis, sed altiorem, & ad statum non ad actum pertinentem: id quod vt capite 1. *in fine* referebam, & autoritate & argumentis confirmat, lib.1. cap.9. Sed planè nulla est, siue autoritas siue ratio idonea, quæ huic placito astipuletur. Iocari enim videtur, quisquis ex eo quòd D. Thomas admittat necessitatem naturalem qua voluntas indeliberatè versatur circa nonnulla, non excludere libertatem voluntatis circa alia, colligit cum autore, S. Thomam censuisse nos

esse circa finem vltimum liberos. Scotus & Henricus, quos autor præterea pro se adducit, agnoscunt tantùm in actu amoris Dei erga seipsum rationem voluntarij, & expressè excludunt rationem liberi propriè accepti, quod ipsi vocant *liberum arbitrium.* Qua ergo sinceritate allegantur, quasi affirmantes libertatem nostram esse finis? Bonauentura atque Durandus, tormentis subiiciuntur, vt aliquid ad rem præsentem proferre videantur. Sed reuera muti sunt, & nihil promouent aduersarij causam. Itaque autoritas pro eo planè silet. Sed & ratio. Nam libertatem versari circa finem, dirigendo ad eum cętera, non est, libertatem esse de ipso fine immediatè, quasi scilicet qui eum clarè contuetur aut secundùm se tantùm considerat, possit illum auersari: quod vnum diffitetur communis sententia; quam proinde prima aduersarij ratio non quatit. In secunda verò latet venenum. Negat enim in ea autor dari posse amorem Dei deliberatum & ex electione profectum, verámque esse libertatem, qua peccator eligere possit Deo aut seculo seruire. Hæc cuiusmodi sint, & per se liquet, & in superioribus non est omissum. Itaque satius fuerat sobrietatem communis sententiæ adamare, nec ei adeò leuiter obstrepere.

VII. Non omitto monere, quod præterea habet communis omnium sententia, carere nos libertate circa felicitatem in communi, eo quòd nemo possit nolle esse beatus, conuelli ab autore lib. 1. cap. 4. num. 5. Diui Augustini autoritatem obtendente, in Enchir. cap. 105. Hoc est contra torrentem Doctorum, & manifestum vniuscuiusque in seipso experimentum.

Potest autem probatis tam multis apertissimis Augustini locis contrarium ferentibus euerti, vt mirer tentasse aduersarium, ex vno verbulo capitis illius 105. alia tam clara támque densa Augustini testimonia obscurare. Videatur Diuus Augustinus 13. ciuit. cap. 3. & aliis locis quæ annoto in Moral. dist. 2. num. 28. Eo autem capite 105. non affirmat Diuus Augustinus, fœlicitatem in communi liberè appeti quoad speciem, quin potiùs contrarium apertè tradit, cum negat posse quemquam velle esse infelicem, vt rectè vidit Vasques 1. p. d. 161. num. 13. Tantùm ergo vult, libertatem quoad exercitium habere locum circa felicitatem in communi, quamdiu in hac vita sumus, etiam si libertas quoad speciem non habeat locum circa illud obiectum, sed necessariò circa illud feramur quoad speciem. Ex quo optimè infertur quod ibi intendebat S. P. nempe libertatem aliquam, probè cohærere cum necessitate aliqua: libertatem scilicet beatorum quoad ea quæ non sunt cum Deo connexa, cum necessitate non peccandi: sicut necessitas quoad speciem actus, cum nostra libertate quoad exercitium circa fœlicitatem in communi.

CAPVT VII.

Vnde in fraudem actus aduerſarius, & quàm malè libertatem abuſus expertem cum libertate adæquatè ſumpta confuderit.

I. QVOD de peccato dixit Apoſtolus, vt fieret ſupra modum peccans peccatum, per rem bonam hoc eſt per legem, operatum eſſe malum, dum quæ noſtra eſt imbecillitas, rei bonæ non conſentaneo vſu in malum ferimur, hoc in quouis alio bono, vſu venire æquè poteſt.

Et ne in aliis exemplis immorer, ſcripturæ ſacræ quibus nihil ſanctius, nihil pretioſius extat, cum ſint ipſæ cœleſtis Imperatoris ad terreſtres ſubditos literæ, vt philoſophatur D. Chryſoſtomus hom. 2. in Geneſ. Tamen cum ſecus ac par eſt tractantur, omnium errorum atque hæreſum ſeminarium fiunt. Vt enim ſcitè dixit Hilarius Diacon. 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt.* Nemo inquam iacere vllius erroris fundamentum poteſt, niſi detortis & aliorſum tractis ſcripturis, & verbis Chriſti quæ in ſcripturis exhibentur. Hoc idem Hilarius latè proſequitur in cap. 3. epiſtolæ ad Titum, & optimè S. Vincentius Lyrin. in commonit. præſertim cap. 35. & infinities S. Auguſtinus, nominatimque lib. de ago. Chriſt. cap. 4. & lib. de ouibus cap. 14. & lib. 2. de

nupt. & concup. cap. 31. Præiuerat S. Irenęus, cuius illustrem sanè in hanc rem locum exscripsit verbatim S. Ephrem, decade capitum de virtute cap. 8. Ad extremum de hoc expostulant vniuersi propè Patres quod latè referunt Feüard. ad præfat. libri primi Irenæi n. 6. Medina 5. paren. cap. 1. & Canus 7. de locis cap. 3. Ipséque Apostolorum Princeps, deprauari scripturas ab instabilibus & indoctis hominibus, inde venenum pro melle legentibus, prouidè monuit. Quod verò flebilius est & miserationem mouet longè maiorem, non modò hæretici qui verè sunt bestiæ calami, vt D. Augustinus cap. illo 14. rectè vidit, (nidulantur enim in scripturis malè expositis, & ibi foueas habent;) sed etiam Catholici plerique, & ipsorum SS. Patrum non nemo, ad hunc lapidem aliquando impegerunt. Neminem latet quàm multi è priscis Patribus millenarij errorem ex quibusdam scripturis malè intellectis deprompserint. S. Cyprianus & Episcopi quàm plurimi qui cum eo ad Concilium Carthaginense conuenerunt, quàm densas scripturas pro hæreticorum baptismo irrito, per Catholicum Baptismum veluti eluendo accumularunt?

Scripturæ, fouea aduersarij.

II. Itaque non videbor in aduersarium iniurius, si quod SS. quoque Patrum nonnullis humanum accidit, eidem contigisse professus fuero; nempe eum nouam sententiam, & illi adiunctam doctrinæ peregrinitatem capite primo relatam, ex scripturis perperam

intellectis deprompsisse: quod quisquis opus eius vel oscitanter percurrerit, nullo negotio deprehendet. Imò vel ipse operis frons aperit quod dico. Exponens enim consilij sui rationem autor, post depactum ex Tertulliano, Bernardo, Damasceno, libertatis encomium, subdit; ad libertatis tantopere ijs Patribus celebratæ vocabulum, magnum se aliquid complecti animo debuisse; imò intellexisse illud esse libertatem quod Filius Dei è cœlo terris illapsus reparare venit, & de quo nos monitos voluit Ioan. 8. cum dixit. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem & veritas liberabit vos.* Et rursum. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et quod aliæ scripturæ infinities clamant; si verò à Deo recesseritis, seruietis peccato, & libertate excidetis. Idipsum à fidelissimo Christi interprete Paulo sæpissimè commemorari ac commendari, subiungit autor; qui Patres item aliquos in eam rem profert, & liceret proferre innumeros si res ferret, à quibus iustorum libertas & improborum seruitus celebratur, ex prædictis scripturis.

Indidem ergo autor colligit, solos iustos potiri libertate, & extra adhæsionem cum Deo, sanctitati comitantem, nihil vspiam cerni veræ libertatis: Illius inquam libertatis, *quæ praexigitur ad meritum siue bonum siue malum, secundùm quam præmio vel laude digni sumus, cuius defectu peccatum nullum admittitur, nullum opus moraliter bonum exercetur.* Appendo verba quibus autor lib. 1. cap. 1. num. 1. contestatur hanc esse ipsissimam libertatem proprijssimè & in rigore scholastico di-

ctam, quam contendit contineri summa amplitudine & vniuersalitate ex adhæsione ad Deum; ne quis aliò & ad improprias libertatis acceptiones initio huius opellæ memoratas, sententiam auertat.

Quomodò in scripturis vsurpetur libertas.

III. Hanc esse dico foueam in quam prolapsus est aduersarius. Scripturas enim proximè tactas, & PP. conformiter ad illas scripturas de libertate locutos, existimauit de libertate scholastica siue philosophica, moralitatem vnáque meritum ac demeritum fundante, egisse. At scripturæ illæ vt non pauci PP. accuratè explicant, libertatem aliter vsurpant quàm in Scholis vsuveniat, siue Theologorum siue Philosophorum. Hi namque agunt de libertate naturali, quę ad benè & malè operandum præexigitur, & vel benè intra nudum genus moris operatur, vel accedente auxilio indebito ad opera quoque supernaturalia assurgit; aut homine officij oblito ad illicita contra Dei præscriptum delabitur. At scripturæ & Patres, cum seruitutem peccantium memorant, agunt de morali effectu peccati, quod vinculis quibusdam atque compedibus impium constringit: cum verò iustorum libertatem celebrant, agunt de effectu morali supernaturali, consecuto redemptionem Christi, qua ex captiuitate per peccatum contracta, in libertatem Filiorum Dei asserti sumus: qui morales effectus, libertatis & seruitutis nomine donantur ob analogiam aliquam illi cum ciuili & naturali libertate intercedentem.

Eam

Eam libertatem à Christo collatam, aliqui nominant Christianam, imitati Petrum Diaconum lib. de Incarn. & grat. Christi cap. 6. Ab aliis tamen Christiana libertas sumitur latiùs; nempe prout præter libertatem à peccato, ac quasi in germine aut radice collatam libertatem à miseria, perfectè in cœlo obtinendam (vt proinde beatitudo, libertas quandoque dicatur, vt notat Guliel. Paris. lib. de retrib. SS. cap. 1.) complectitur quoque libertatem à seruitute legis Mosaicę per Christum illatam remota seruitute de qua Apostolus ad Gal. 4. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 13. & S. August. lib. de catechis. rudib. cap. 2. Denique alij minutiùs ista persecuti, Christianam libertatem ad omnes à Christo redemptos, atque adeò etiam ad PP. veteris legis extendunt. Libertatem verò quæ sita est in veteris legis excussione, quia status Euangelici propria est, vocant libertatem. Et quanquam parum referre quænam ex his appellationibus magis probetur, censuit Lensæus lib. 8. de Christ. libert. cap. 12. tamen commodiùs loqui videntur, qui libertatem omnem à Christo collatam, vocant Christianam, & libertati naturali ac philosophicæ contraponunt: quod ferè faciunt Patres, à quibus etiam Christianæ libertati opponi solet, non modò seruitus Mosaicæ legis, sed maximè seruitus peccati & germinum eius. Idcirco enim libertatis expertes pronunciant quoscunque peccatores, quòd quisquis peccatum facit, eidem seruus addicatur, de Christi oraculo. Iustos autem, profitentur esse plenè liberos, qua libertate Christus nos liberauit.

IV. Disputat plenè & optimè de peccati seruitute,

& collata ab ea per Christum libertate, S. Augustinus tract. 41. in Ioan. & mellitissimè de more Eucherius hom. 3. de Pasch. vbi seruitute multiplici peccatorum proposita, quæ eos quoque vrgeat qui liberi sunt in natura, serui in conscientia, extrinsecùs generis claritate sublimes, intrinsecùs mentis infirmitate degeneres, innocentum domini & criminum serui, quos intolerabili iugo, fœda dominatione & erubescenda subiectione premi docet; *inexcusabile malum esse* addit, *post mortem redemptoris Domini, seruum peccatis hominem se subdere:* conculcato beneficio, quo per Christi mortem à diræ iugo seruitutis in legem perfectæ libertatis traducti sumus. Illustrare pleniùs licebit iustorum per Christum libertatem, ijs ad eos aptatis, quæ Philo tradit libro quòd omnis probus liber, & Socolouius orat. 7. qua monstrat veram libertatem in eo esse, vt faciat quis, non quodlibet, sed quod licet & decet. Ex quibus etiam habetur, peccatores seruitutem seruire turpissimam simul & asperrimam. Nominatim verò quia inter improbos eminent hæretici, & moris eorum est, iactare ementitam libertatem, notant multi PP. apud Lensæum lib. 12. de Christ. libert. cap. 1. & sequ. illos maximè vrgeri seruitute. Nos cum Cassiano collat. 21. cap. 34. eorum libertatem vocare possumus *præsumptiuam ac noxiam*, longè profectò discrepantem à vera libertate iustorum, atque piorum. Quanquam S. Ambrosius omnino pulchrè, & de iustorum libertate, & de improborum seruitute disserens lib. 1. de Iacob. cap. 3. eruit ex Apostolo, libertatem iustorum non tam esse *libertatem* quàm *libertinitatem*, eo quòd omnes Chri-

sti liberti simus, nemo liber: ideóque aduertit, Apostolum non perfunctoriè, sed admodum accuratè locutum dixisse, *qui vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini; similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.* Quod tamen ea libertinitas perfectissimæ libertati respondeat, passim absolutè libertas appellatur. In summa, tropologicæ huius vel libertatis vel seruitutis frequens apud PP. & in scripturis mentio habetur, sempérque vt sciunctæ à naturali & philosophica libertate aut necessitate ei ŏpposita vsurpantur.

Nec dissimiliter Ethnici sapientes, libertatem aliquam frequenter inculcant, moralem, à ciuili & naturali longè diuersam, qua gaudeat qui rectè viuit, careat verò quilibet improbus, etiam si nulli ciuiliter seruiat, sed innumeris dominetur. Sic Dio Chrysostomus orat. 14. & 15. & sæpè aliàs. Priore loco signato, fusè persequitur, non aliud statui posse libertatem, quàm scientiam (nempe practicam & recto appetitui conformem) rerum permissarum & prohibitarum; seruitutem verò, ignorantiam eorum quæ licent & non licent. *Ex quo sermone,* inquit, *nihil prohibet, quominus & Rex magnus, magnam tiaram habens super caput, seruus sit, & nihil liceat ei facere eorum quæ facit; omnia enim damnosè & inutiliter faciet: Alius autem quispiam, qui seruus videtur & appellatur, nec semel sed sæpius, si ita fortuna ferat, venditus sit, & si hoc contingat, compedes valdè crassas habeat, magis sit liber, quàm Rex magnus.* Flaccus non dissimiliter lib. 2. Satyr. 7. qua seruus heri vitia sugillat.

Túne mihi Dominus, rerum imperijs hominúmque

Tot tantísque minor, quem ter vindicta quatérque
Imposita, haud vnquam misera formidine priuet?
Adde supradictis quod non leuius valeat: Nam
Siue vicarius est qui seruo paret, (vti mos
Vester ait;) seu conseruus; Tibi quid sum ego? nempe
Tu mihi qui imperitas, alijs seruis miser, atque
Duceris vt neruis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens sibique imperiosus
Quem neque pauperies, neque mors, neq; vincula terrent.
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus.

Apud Persium Satyra 5. Stoïcus aurem mordaci lotus aceto, egregiè in hanc rem disputat, & libertatem exoptandam, à libertate ciuili, quam vna conferebat vertigo ac pileus, multóque magis à naturali quibuslibet, eo ipso quòd homines sunt, competente, secernendam esse demonstrat. Longè igitur, non modò apud nostros, ac in Scripturis, sed etiam proportionaliter agendo, apud profanos, distat libertas ac seruitus tropologica, à naturali & philosophica.

V. Hæc duo commiscens autor, & vnam libertatem ab alia non secernens, eò deuenit, vt libertatem quamcunque propriè dictam, hoc est moralitatis fundatricem, peccantibus funditùs eriperet: iustis autem libertatem ita concederet, vt non versatili agendi vel non agendi potestate contineatur, sed amplitudine & vniuersalitate, consequente adhæsionem cum Deo: quæ amplitudo ab Apostolo dicta est libertas à peccato, multóque maior & perfectior habetur, quo quis Deo magis & perfectiùs adhæret, ac proinde in cœlis

est maxima, & in ipsomet Deo respectu sui ipsius est consummatissima, & talis, vt ne cogitatione quidem perfectiorem fingere liceat. Explicatissimè hæc tradit autor lib.1.ca.1.num.1.*in fine*, vbi distinctionem libertatis philosophicæ siue scholasticæ, & libertatis à peccato, repudiat, & vtramque vnicam esse libertatem veram contendit. Id quod iterat lib.1.cap.3.num.1.& lib. 2.cap.3.num.4. Præiuerat autori Caluinus, qui libertatem à peccato per Christum collatam, solam esse veram libertatem ex instituto tradit, iisdem planè scripturarum & Patrum testimonijs adductis, quæ dixi in fraudem egisse aduersarium. Diligenter hanc fuisse Caluini mentem monstrat Lensæus lib. 1. de libert. Christ.cap.6.& alij quos capite 5.retuli *sub initium*.

Quàm aliter in scholis.

VI. At non esse libertatem philosophicam siue scholasticam moralitatis fundatricem, commiscendam cum libertate qua Christus nos liberauit, & vnius rationem longè aliam esse quàm alterius, tradunt studiosè Patres vt Lensæus suprà cap. 7. refert. Subscribunt vnanimiter Christiani DD. posteriores. Hugo Victor. in summa sent. tract.3.cap. 9. Magister in 2.d. 25. Albertus in summa de homine quæst.3.de libertate. S.Thomas 1. Timoth. 6. lect. 1. *sub finem*, vbi disertè admonet, libertatem de qua Christus in scripturis loqui solet, non esse vulgarem libertatem de qua in scholis disseritur, & quæ est meriti ac demeriti fundamentum, sed esse libertatem tantùm spiritualem ac

myſticam, cuius diuerſiſſima ſit ratio quàm naturalis libertatis. Videndus præterea S.D.1.p.q.83.art.2.ad 3. & in 2.d.25.qu.5. & qu.24. de verit. artic. 10. ad 7. & Ioann.8.lect.3. Idem habent, eáſque libertates planè ſecernendas eſſe tradunt tanquam natura & ſpecie diſcrepantiſſimas, Scholaſtici communiter in 2.d.25.vel 24.vbi benè Durandus qu.3.num.12.Ferrar.opuſc.de Euangel.libert.cap.2.Roffenſ.art.36.*ſub initium.*Ioannes Driedo lib.1.de libert.Chriſt.cap.3.Ruardus ad artic.7. Louan. Camerar. lib.1.de grat.& lib.arbit.cap.3. Lenſæus in opere de Chriſtiana libertate paſſim, ſed nominatim ac ex inſtituto lib.1.cap.7. Stapletonius in antidot.Euangel.ad cap.8.Ioan.circa v.36. Maldonatus Ioan.8.num.75. Bellarm. lib.3. de grat. & lib. arbit. cap.4.Pennotus lib.1.propugn. cap.3. Gamachæus 1.2.qu.13.cap.3.Ægid.Coninck diſp.2.de actibus ſupernat.dub.2.& paſſim alij.

VII. Ego par amiciſſimum huc adduxiſſe contentus, cæteros miſſos faciam, Richardum dico Victorinum, & S.Bernardum. Ille lib.1. de erudit. inter. hom. cap.30.indiſtinctionem libertatis per Chriſtum collatæ, & libertatis naturalis, multos egiſſe in errorem, his verbis docet. *Scimus quis dicat*, ſine me nihil poteſtis facere. *Tantum ergo poſſumus, quantum poſſe accepimus: Quid enim habes quod non accepiſti? Nihil enim aliud eſt habere huiuſmodi poteſtatem & fortitudinem, quàm habere gratiam cooperantem. Poteſtas tua, cooperatrix gratia. Quantum habes gratiæ, tantum habes & potentiæ; & quãtum gratia accepta creſcit, tantũ & potentia tua proficit, & quantum gratia minuitur, tantũ & potentiæ tuæ detrahitur;*

& si quando subtrahitur gratia, simul perit & potẽtia. Hęc præfatus Richardus de liberi arbit. potestate ad supernaturales actus, subdit. *Patet itaque ex his, quia aliud est arbitrij potestas, & aliud est arbitrij libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber & infirmus esse potes, sicut è cõtrario, & sanus & seruus esse potes. Si sanus & robustus es, & multa & magna facere potes, veruntamen si liber es, ad nihil cogi potes vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis priorem potestatem, non tamen & libertatem. Potestatis itaque est, quod bonum facere possumus, quamdiu id facere valemus: Libertatis autem, quod ad nullum seu bonum seu malum inuiti cogi possumus. Quàm multi in definitione liberi arbitrij errant quia inter potestatem & libertatem distinguere ignorant vel dißimulant. Vide tamen quid intersit, cum potestatem homo sæpè amittat, libertatem verò nunquam amittere poßit. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem, sed omnis homo, ad omnia bona vel mala accipit libertatem. Nam vti iam dictum est, ad nullum bonum vel malum, inuitus cogi potest. Sed cum sit liber omnium, non tamen omnium potestatem habet.* Hanc arbitrij quoad supernaturalia potestatem, quam Richardus *animæ sanitatem* nominat, liquet recidere in libertatem à peccato, quę proinde de Richardi sententia, à naturali libertate plurimum differt, vt asserimus.

VIII. Nunc audiendus est Richardi æqualis & amicissimus S. Bernardus. Adeò enim explicatè has libertates distinxit, & de qua Christus in scripturis prolatis egerit, adeò perspicuè expressit, vt nihil legi accommodatius queat. Sic habet lib. de grat. & lib. arbit. non multum ab initio. *A bestijs consensus voluntarius*

nos discernit. Est enim habitus animi, liber sui. Siquidem non cogitur, non extorquetur: Est quippe voluntatis, non necessitatis. Nec negat se, nec præbet cuiquam nisi ex voluntate. Alioqui si compelli valet inuitus, violentus est, non voluntarius. Vbi autem voluntas non est, nec consensus. Non est enim consensus nisi voluntarius. Vbi ergo consensus, ibi voluntas. Porrò vbi voluntas, ibi libertas Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium. Et infra conferens hanc libertatem quæ est propriissimè dicta libertas, cum aliis, subdit. *Quapropter huiusmodi voluntarium liberúmque consensum, ex quo & omne sui ex his quæ prædicta sunt constat pendere iudicium, puto non incongruè, vt supra definiuimus, esse quod solet liberum arbitrium appellari, vt liberum referatur ad voluntatem, arbitrium ad rationem. Sed sanè liberum non illa libertate de qua dicit Apostolus,* Vbi spiritus Domini, ibi libertas: *Est enim illa libertas à peccato, sicut alibi dicit,* Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Quis verò in carne peccati à peccato sibi vendicet libertatem? Hac ergo libertate, meritò nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Est item libertas à miseria, de qua idem Apostolus,* & ipsa, *inquit*, creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Sed nunquid & istam sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Et hac itaque liberum nominari arbitrium, non immeritò abnuimus. Est verò quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eo quòd necessarium voluntario contrarium esse videatur. Siquidem quod ex necessitate fit, non*

ſit, non iam ex voluntate, & è conuerſo ſimiliter. Cum igitur prout interim potuit occurrere nobis, triplex ſit nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate, hanc vltimo loco poſitam contulit nobis in conditione naturæ, in prima reſtauramur à gratia, media nobis reſeruatur in patria. Dicatur igitur prima, libertas naturæ, ſecunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Mox etiam addit de libertate à miſeria. *De hac, & item de illa quam diximus à miſeria, puto quod Iudæis aiebat,* ſi vos filius liberauerit, verè liberi eritis. *Liberum arbitrium liberatore indigere ſignificabat ſed planè qui illud liberaret non à neceſſitate, ſed à peccato, in quo tam liberè quàm voluntariè corruerat, ſimulque à pœna peccati quam incautum incurrerat, inuitùmque ferebat. Quo vtroque malo liberari omnino non poterat, niſi per illum qui ſolus hominum factus eſt inter mortuos liber, liber videlicet à peccato inter peccatores.* Non potuit Bernardus vel ſignificantiùs vel explicatiùs exprimere quæ ſit libertas in Scripturis celebrata in actu ſignato ſub nomine libertatis; & quæ peccato erepta, & per Chriſtum præſtita dicitur. Nec item potuit diſtinctiùs aperire, quantoperè libertas per Chriſtum collata differat à libertate moralitatem fundante, quas tamen duas libertates aduerſarius conflat in vnam.

Bernardus ab autore fruſtra eluſus.

IX. Fruſtra verò quærit in plano ſalebras, vel grauare offucijs tentat loci apertiſſimi lucem, dicens lib. 1. cap. 12. num. 6. Sanctum Bernardum agnoſcentem aliquam libertatem naturæ quæ ſit libertas à neceſſitate,

distinctam à libertate gratiæ, quæ est seruitus Dei, & libertas à peccato, non egisse de libertate secundùm se, (de qua sola sibi sermonem esse profitetur autor,) sed egisse de libertate quæ communis est hominibus in præsenti statu: quæ huiusmodi est, vt sit absolutè indifferens ad multa siue benè siue malè patranda, quæ non est noua differentia vel species distincta libertatis, sed defectum tantùm illius importat. Sic aduersarius elusam à se S. Bernardi autoritatem putat.

Sed dum in declinando aut auertendo telo ex S. Patris autoritate ducto totus est, non auertit se eo confossum iacere. Nam libertas quæ communis est hominibus in præsenti statu, bonis ac malis, vel est vera libertas, vel duntaxat ementita aut nulla, eóque nomine indigna, quippe destituta germano libertatis charactere, veráque eius ratione. Si primum, habemus quod quærimus, ruítque ædificium nouæ libertatis, siue amplitudinis, adhæsioni cum Deo superstructum. Si secundum, ergo hallucinatus est S. Bernardus, qui libertatem illam à necessitate, censuit esse propriè dictam libertatem naturæ, seiunctam à metaphorica & spirituali libertate, tum à peccato, tum à miseria. Quid verò sibi vult aduersarius, cum ait se hîc agere non de libertate præsentis status, sed de libertate secundùm se? An non professus est se agere de libertate quæ ad bonum & malum præexigitur? qua præmio vel probro digni simus? sine qua nullum peccatum admittitur, nullum opus bonum exercetur? At ea (vt per se patet,) est libertas præsentis status. Tandem si libertas præsentis status, siue libertas naturæ de qua egisse dicitur S.

Bernardus,non est noua differentia nec species distincta libertatis,sed est planè eadem cum libertate secundùm se vt autor asserit; quomodò S.Bernardus libertatem à peccato secernit à libertate naturæ, & longè disparis rationis vtramque statuit? cum tamen iuxta aduersariũ, libertas à peccato sit ipsissima libertas secundùm se,nec differat à libertate naturæ , quæ eadem est præsentis status libertas. Porrò de symphonia huius loci aduersarij cum iis quæ habet lib. 1. cap. 7. num. 2. vbi libertatem à peccato , necessitate & miseria discriminat in varias species suis differentijs essentialibus distinctas,laborandum non est , in tam frequenti variorum eius locorum inter se collisione , cuius specimen exhibebo in calce operis.

Negari itaque non potest,quin S.Bernardus perspicuè placitum aduersarij exscindat:præstabátque S.Bernardum modestè deserere,quàm ei apertè illudere, adhibita distinctione quæ cum eius instituto perspicuè pugnet,séque ipsam euertat. Poterat sanè aduersarius eodem iure Bernardum hîc abiicere,quo circa libertatem à miseria.Nam lib.1.cap.3.num.2.frigiditatis damnat,& rationibus frigidissimis impugnat,quod S.Bernardus dixerat, libertatem gloriæ Filiorum Dei quam Apostolus Rom.8.memorat,esse libertatem à miseria. Sed cur Bernardo potiùs auscultemus , non est obscurum. Et auscultarunt ante nos qui eius tripartitam libertatis diuisionem,ratam habent,S.Bonau.in 2.d.25. *dub.4.literali*, & passim eadem distinctione Scholastici, Ruardus artic. 7. Driedo lib.1.de libert.Christ.cap. 3.Ferrar.opusc.de libert. Euang.cap. 2. Lensæus lib. 1.

de libert. Christian. & passim cæteri.

Origo fraudis aduersarij concluditur.

X. Videor perspicuè aperuisse, vnde in fraudem actus sit aduersarius. Nimirum ex commista duplicis libertatis in scripturis memoratæ acceptione. Dum enim considerauit loca scripturæ quibus libertas per Christum collata celebratur, nec perspexit libertatem in scripturis, in actu signato siue sub nomine libertatis commendatam, non esse illam libertatem quę est moralitatis fundamentum, sed potiùs illam esse quæ subsequitur ad moralitatem in adultis, & infantibus quoque renatis, (tametsi libertatis moralitatem fundantis incapacibus,) communis est; Hæc inquam dum minus considerat autor, nouam sententiam quam retulimus, fabricauit, séque innumeris difficultatibus implicuit, & vt alia occasione dixit S. Irenæus lib. 5 cap. 13. *coactus est tanta malè interpretari, qui vnum noluit benè intelligere.* Omnia enim loca quibus peccatores dicuntur positi in manu consilij sui, & in potestate eorum esse audire Deum & bona terræ comedere, vel ad diuinas voces obsurdescere, & in exitium ruere, & dari vnicuique optionem adhærendi Deo, eúmve abiiciendi, aliáque huiusmodi sexcenta, detorquere cogitur ad libertatem adulterinam, & negare esse verè liberos, qui ita agunt vt possent secus agere si mens non læua fuisset. Cogitur præterea negare, cadere peccatum in damnatos: insupérque admittere, vinculationem necessitatis cum libertate cohærere, quamuis libertas in omnibus di-

ctionarijs exsolutionem à necessitate sonet. Denique cogitur deuorare omnia incommoda quæ suprà demonstratum est nouæ huic sententiæ comitari. Tanti fuit, quam libertatem scripturæ à Christo reparatam commendarint; non rectè agnoscere, & à naturali libertate secernere. Nam libertas per Christum restituta, respondet proportione, non libertati philosophicæ quæ est libertas naturæ, iuxta S. Bernardum, sed libertati ciuili, qua liber dicitur quisquis alterius seruitio non mancipatur, & captiuitate solutus est si eam subiit aliquando. Sicut ergo homo ciuiliter seruus, potest esse physicè liber, eæque libertates nullo modo sunt commiscendæ; ita homo, Christiano ciuili iure, vt sic dicam, seruus, hoc est peccator, potest esse liber physicè. Nec scripturæ aut PP. cum peccatores seruos, & solos iustos, liberos statuunt, de alia libertate agunt quàm de hac Christiana quasi ciuili; quod apertè ferunt, vt cætera nunc sileam, illa Paulini epist. ad Celantiam. *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum sed animos inspicit singulorum. Seruum & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis. Summa apud Deum est nobilitas, clarere virtutibus.* Itaque concludamus cum Fausto Rhegiensi, lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. secernendam omnino esse libertatem gratię, à libertate naturę. Tam ille appositè in rem præsentem disserit, vt videatur in aduersarium agere. *Sed reuoluis*, inquit, *& dicis, quod mali & qui ad perditionem traduntur, non acceperint arbitrij libertatem. Primùm scire debemus, quia libertas arbitrij, duplici ministerio prædita est; nunc ad salutem, nunc ad*

perditionem sui, prompta est. Sed opponis, quòd voluntatis libertas solis liberandis competat, & in redemptionis beneficio constitutis. Non ita est. Liberatio ad donum gratiæ, & ad propositum consentientis pertinet vitæ: Libertas verò arbitrij, non est res accidentis munificentiæ, sed naturæ. Quærentibus illa vel tribuitur vel conseruatur: Etiam non requirentibus ista confertur. Illa renascentibus ministratur, ista nascentibus. Libertas ad solam Dei pertinet operationem: Liberatio, & ad subditi hominis seruitutem. Illa bonis confirmata, ista & malis insita est. Illa acquisitis & perseuerantibus competit, ista & perditis suppetit. Illa condentis, ista & obedientis est. Illa potentiæ, ista est misericordiæ. Illa originis & generis, ista est muneris & virtutis. Non potuit distinctiùs, luculentiùs, diligentiùs, libertatem gratiæ à naturali libertate secernere.

Quàm facile simili modo strophas nouas concinnare.

Originem fraudis in quam aduersarius actus est, satis aperuimus. Vt autem appareat quàm non fuerit idonea, imò quàm sit intutum occasione accepta ex vno vel altero scripturæ metaphorico loco, ad nouitates prorumpere, & communem sensum conuellere, expensum velim, eodem iure quo aduersarius ex locis scripturæ ac Patrum de libertate iustorum ac seruitute peccatorum, intulit libertatem propriè & presè acceptam, hoc est moralitatis fundatricem, sitam esse in amplitudine ex adhæsione cum Deo, nec extra iustos & Deo adhærentes locum habere; Eodem inquam iu-

re, exurgere posse qui contendat, probos & iustos quoscunque, esse Reges orbis terrarum in omni proprietate, potiríque Iurisdictione & dominio in omnia. Nec enim plura & speciosiora scripturæ ac Patrum loca corrogari poterunt, quibus astruatur libertatem statuendam esse in amplitudine consequente adhęsionem cum Deo, qui est scopus aduersarij; quàm quibus probetur, homines adhærendo Deo effici Reges in omni proprietate vocabuli, nec alios Reges aut dominos propriè dictos esse agnoscendos pręter iustos: quę fuit Vvicleffi hæresis, detorquens ad rigorem metaphysicum & accuratam dominij acceptionem, quæ à scripturis & PP. per aliquam extensionem ac metaphoram, prolata sunt de iustorum potestate in inferiora omnia. Alius omnes Christianos in rigore sacerdotes esse pronunciabit cum Luthero: quod & scripturæ & PP. sæpè memorent sacrificia, & aram internam, & sacerdotium cuiusuis Christiani; Imò hæc sola esse vera & Deo grata sacrificia plerunque prodant. Videsis Chrysostomum homil. 20. in ad Rom. & homil. 2. de Dauid & Saüle. & homil. 11. in ad Hebr. & in Psalm. 95. ad illud *de die in diem salutare eius*. Isidorum Pelusiotam lib. 3. epist. 75. Chrysologum serm. 108. Augustinum 10. Ciuit. cap. 4. Clementem Alexand. 7. strom. S. Ephrem tract. de pœnitentia pag. 565. vbi Vossius alios Patres similiter locutos profert. Quæ in scripturis ac Patribus spiritualiter & metaphoricè ac per extensionem dicta, æquè traduci possunt ad sensum proprium, ac quæ dicuntur de libertate spirituali torquentur ab autore ad omnem vocis proprietatem

ac metaphysicum rigorem. Negabit denique aliquis, viros probos ac vitam secundùm Deum exigentes, verè esse homines, quòd ita sonet cortex quarundam scripturarum, & ita tradere videatur S. Gregorius 18. Moral.cap.39.& S.Basilius in Psalm.115.ad illud, *omnis homo mendax*, ac Richardus Victorinus prologo in Cant.ex illis verbis Matth.18. *quem dicunt homines*, ad quæ idem habet S.Hieronymus.

Quidni verò è contra alius, omnem planè peccantem contendat ad nihilum planè redigi, quòd ita sonent nonnullæ scripturæ & pleræque Patrum sententiæ? Vide quos refero in Morali dist. 4. num.426. Erit saltem qui contendat, omnem peccantem effici propriè energumenum, quòd plerique PP. ex scripturis eruant peccatores euadere arreptitios. Retuli nonnullos lib.6. de virtut.agens de ira. Quàm multi verò & PP.& Philosophi consentaneè ad scripturas, peccatores bestijs conferunt? Multos retuli dist. illa 4.à num. 399.& dist.3.num.8.& plurimi omnino prostant in libello nuper edito, cui titulus, *Caluinismus religio bestiarum*. Dicendum ergo consequenter erit, hominem peccantem, specie physica mutata brutescere: aut abiecta hominis essentia physica, transformari in dæmonem, quòd ex scripturis ita loquatur S.Chrysostomus homil. de Canticis Dauid, & plerique PP. prolati in Morali eadem dist.4. num.401.

XII. Possum & ego in hoc campo exultare, & contendere illos peccantium motus qui voluptates & gaudia passim dicuntur, imò quæuis hîc gaudia nostra, per abusum gaudia dici, reuera autem, etiam physicè & quiddi-

quidditatiuè ſpectando motus illos, longè abeſſe à ratione gaudij & voluptatis, quòd Scripturæ negent eſſe hîc lætitiam, ſed eam omnem cœlo tranſcribant; nos autem hîc non niſi ſicut lætantes eſſe doceant, vt Diu. Auguſtinus in Pſal.86.acutè aduertit. Et quamuis aduerſarius lib.1.cap.4.num.3.etiam Phyſicè rem æſtimãdo, velit id ratum eſſe, tamen quotquot ſuauibus afficiuntur, in contraria ſunt æſtimatione, & ſtupere ſenſibus iudicant, qui ſecus opinantur. Addamus etiam, nullum eſſe obiectum quantumuis conueniens, quod boni nomine donari poſſit præter bonum moraliter honeſtum, (quicquid Metaphyſici omnes contra cenſeant:) Diuitias autem & alia quæcunque bona, non eſſe bona verè & quidditatiuè, eo quòd ſcripturæ ſpiritualiter ac myſticè loquentes, pronuncient iuſtos non defecturos omni bono; cum tamen vt S. Baſilius Pſalm.33.notauit, iuſti vt plurimum ſint ab huiuſmodi rebus malè conſtituti. Vel eo quòd ſcripturæ alibi, bona terrena dicant eſſe bona picta & in imagine. V. Auguſtinum in Pſalm.72. ad verſ.7. & Richardum Victor. lib. de exterminat. mali cap.9. Tandem (iam enim faſtidio progreſſionem in huiuſmodi gerris, & meta alicubi ponenda eſt,) fingere licebit, nihil propriè & verè exiſtere præter Deum. Nam ſcriptum eſt, *nonne tu qui ſolus es?* Ergo nemo noſtrum exiſtit verè & propriè. Alia itaque præter vulgatam exiſtentiæ definitio & notio fabricanda erit, quæ ſoli Deo quadrare poſſit, excluſis ab exiſtentium ordine creaturis.

Si ſemel hic philoſophandi modus permittatur, (qui tamen is ipſe eſt quem aduerſarius circa liberta-

tem iniuit,) nemo non videt quanta in Ecclesiam perturbatio, quanta in doctrinam Theologicam omnésque disciplinas peruersio, & clades sit inuehenda. Quare viam regiam teneamus.

CAPVT VIII.

Nouam de libertate sententiam quocunque firmamento autoritatis destitui.

I. *Arum est*, inquit S. Hilarius 1. de Trinit. in argumento octaui libri, *sola ea ad satisfactionem afferre quæ propria sunt, quia plerunque blandientes sensum fallunt dictorum nostrorum interpolatæ assertiones, nisi etiam propositionum aduersarum demonstratæ inanitates, fidem nostram in eo ipso quòd ipsæ ridiculæ esse arguantur, affirment.* Ad ea ergo quæ aduersarius pro se affert, veniendum est, vt ijs conuulsis, firmetur magis vera sententia. Commodè autem ab ijs quæ proximè constituta sunt, delabemur ad huiusmodi munimenta sententiæ aduersarij. Quod enim in ijs primum locum teneant quæ ab autoritate ducuntur, iuxta præscriptum D. Augustini lib. de ord. c. 9. mandantis aperiendam esse ab autoritate ianuam rationi: Inter autoritates autem, eæ primùm vrgeantur ab aduersario quas sacri codices suppeditant, de quorum hac in parte scopo multa pro-

ximè præmisimus, poterimus in hoc puncto esse breuiores. Insistemus autem aduersarij vestigiis, & quæ ille pro se proposuit varijs primi libri capitibus, nempe tertio quo Scripturas, quarto quo Patres, quinto quo Philosophos, sexto quo Scholasticos & cęteros recentiores digessit, hoc vno capite excutiemus, subiectis ad eius dicta responsis nostris. Nam esse hoc candidi pectoris argumentum, nec parum ad veritatis diiudicationem conferre, dixit pulcherrimè S. Eustathius, initio disputationis de engastrymitho.

Duo Scripturæ loca, pro se ab aduersario producta. Prior ex Ioan. 8.

II. Libertatem ergo veram quæ ad bonum & malum morale præexigitur, esse essentialiter sitam in amplitudine ex adhæsione cum Deo, non autem in potestate actiuè indifferente quæ subtus illam amplitudinem iacet, & potest deesse vbi est vera libertas, probat. 1. aduersarius lib. 1. cap 3. ex scripturis, quarum duo omnino loca profert. *Duobus istis locis*, vt Nouatiani verbis vtar lib de Trinit. cap. 28 *quasi quibusdam effossis luminibus orbatus, totus erit in doctrinæ suæ cæcitate superatus.*

Prior habetur Ioan. 8. vbi Christus Iudæos alloquens ait, fore vt essent verè liberi, si eos filius liberasset. Omnis, inquit, *qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* His verbis Christus iuxta autorem, libertatem aliquam insinuat seruituti

oppositam, non necessitati, aut immutabilitati. Atqui ea libertas aliud nihil esse potest, quàm voluntatis amplitudo ex adhæsione cum Deo: Ea enim amplitudo opponitur coarctationi ad res creatas, quam peccatum includit. Et hoc ipsum, ait autor, dicere teneri, quotquot eam libertatem seruituti oppositam & Christi ore laudatam, volunt esse libertatem à peccato. Nam libertas à peccato, est tantùm carentia peccati. Peccatum autem est priuatio. Ne ergo detur priuatio priuationis, sed vt ei opponatur forma positiua, necesse est vt libertas à peccato siue carentia peccati, cui celebratæ per Christum libertatis ratio competit, sit forma positiua: Ea autem forma positiua non potest alia esse quàm prædicta amplitudo. Nullam quippe aliam proferri posse censet autor. Et cum tunc liberi simus à peccato cùm circa obiecta versamur seruato ordine finis, hoc est cum rectè & honestè agimus, quo ipso collimamus in finem nostrum, profectò liberi quoque tunc sumus à necessitate, quum iuxta D. Thomam, idipsum sit liberum esse à peccato, & liberum esse à necessitate. Liberum enim à necessitate, quod est liberum Scholasticè dictum, definit S. D. operari prout Dei siue finis ordo exegerit. Hactenus argumentatio ex loco Ioannis.

Nihil iuuat amplitudinem.

III. Verùm hic locus nihil planè iuuat aduersarium. Christus enim eo loco agit de libertate quam per redemptionem erat collaturus. Ea autem libertas

longè differt à libertate cuius naturam venamur. Hæc enim vt S. Augustinus adducto hoc ipso Ioannis loco fusè disserit lib.1.contra duas epistolas cap. 2. nec peccato perierat,nec per Christum restituta est, sed tantum roborata ad bonum, atque sanata. Audi rursus S.Augustinum 14.Ciuit.cap.11. *Detrahitur malum,non aliqua natura quæ accesserat,vel vlla eius parte sublata,sed ea quæ vitiata ac deprauata fuerat, sanata atque correcta. Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs peccatísque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio,nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit.* Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.*Idipsum est autem ac si diceret,si vos filius saluos fecerit, tunc verè salui eritis. Inde quippe liberator, vnde saluator.* Vides ergo libertatem à Christo promissam Ioan.8.esse solam libertatem à peccato, atque adeò eam esse longè aliam à libertate meritum & demeritum fundante,quæ est libertas scholastica & propriè dicta.

Agnoscit hoc primùm aduersarius loco allegato, cum ait Christum eo loco Ioan. 8. non proposuisse libertatem oppositam necessitati,cuiusmodi est libertas scholastica. Mox tamen & intra paucas lineas, hoc conuellit,dicens, libertatem eo loco à Christo propositam,esse ipsammet libertatem scholasticam. Displicet prętere a quòd aduersarius assumit libertatem à peccato esse formam positiuam,nec aliam nisi amplitudinem. Ain? Quid si verò esse formam positiuam concessero, non esse amplitudinem dixero? Et ita profectò est. Ipsæ namque voces *libertas à peccato*, ferunt,

formam qua talis libertas constituitur, esse nitelam subiecti peccato vacantis, quæ in hoc statu pro peccatis lethalibus est gratia sanctificans; pro venialibus autem, & in statu naturæ puræ pro quibusuis peccatis, nihil aliud est quàm subiectum peccati, connotata diuina condonatione peccati antè admissi. Nam tale subiectum detersa omni rubigine nitens, est aliquid positiuum. Optimè autem intelligitur à peccati sordibus liberum, si vel supra connaturale debitum suum niteat per gratiam, vel nulla extrinsecus appicta labe inquinetur, sitque eatenus mundum ac sceleris purum. Tandem quod aduersarius assumit, libertatem à necessitate nihil esse nisi tendentiam ad Deum, finem vltimum; est planè falsum & intutum, vt supra demonstrauimus. Item quod assumit, peccatum quodcunque esse priuationem, id quod etiam de peccato commissionis valere, ex instituto probat lib.2.cap.17.toto, (quia id valdè intererat ad disputationem de libertate Dei & creaturæ,) reiicitur ab aliis, quos profero & sequor in Mor. dist.4.à num.271.

III. Obiter verò hîc memorandum est, & cum istis componendum, quod autor habet lib.2.cap.20.num.4.nempe priuationem illam quæ peccatum quodcunque constituit, esse priuationem Dei, saltem initialem: quod addit pro peccatis venialibus, quæ non sunt omnimoda euersio libertatis nostræ, sed tantùm commotio quædam, & decussio nonnulla ordinis animæ nostræ ad finem vltimum, siue vnionis cum Deo. Næ aduersarius, homo diuinus est, cui semper & vbique Deus ex machina. At non plus persuaserit, Deum esse

formam quam peccatum remouet, quàm solem esse formam tenebris proximè & immediatè aduersantem, siue ad quam tenebræ habeant rationem priuationis. Videat porrò Lector, quid iuxta aduersarium consequatur ex eius supermirabili & hactenus inaudito placito, quòd peccatum sit priuatio Dei. Forma positiua cum peccato pugnans qua autor vult constitui libertatem, est illa ipsa forma quam peccatum remouet. Hæc autem non est amplitudo vlla vel eminentia nostra, sed ipse Deus, cuius peccatum est priuatio iuxta autorem, vt iam vidimus. Igitur libertas hominis iuxta aduersarium, est ipse Deus, vt impleretur quod dictum est per Censorem hyperhierarchicum, *Quantus est hîc, qui vt homines faceret liberos, fecit diuinos?*

Sed neque posterior, ex 2. Corinth. 3.

IV. Alter locus scripturæ quem autor pro noua sententia profert, habetur 2. Cor. 3. vbi Apostolus ita loquitur. *Vsque in hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. Dominus autem Spiritus est: Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Auferri velamen iuxta autorem, nihil aliud est, quàm non vltra seruire Deo intuitu temporalium beneficiorum, sed deiecto eo velamento temporalium beneficiorum cuius interuentu Iudæi obsequium Deo præstabant, purè in ipsummet Deum intendere. Hoc ergo velamen, Apostolus iuxta aduersarium, affirmat à Iudæis amouendum, cum fidem in Christum suscipient, huiusque sui dicti rationem reddit verbis sequentibus:

Dominus autem ſpiritus eſt, poſita coniunctione aduerſatiua *autem*, pro cauſali *enim*; vſu (inquit autor,) ſcripturis ſatis familiari. Ita vt ſenſus Apoſtoli ſit, *à Iudæis in Chriſtum credentibus* auferetur velamen, quo Deo non purè propter Deum obſequebantur. *Dominus enim ſpiritus eſt, & vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Exclamat hîc aduerſarius. Quæ illa libertas quam ſpiritus Domini conſtituit, niſi cordis amplitudo ex adhæſione ad Deum? Niſi magnitudo & ſublimitas mentis inuictæ, omnes rerum creatarum anguſtias in gloria ſupergreſſuræ? Huic patellæ apponit hoc operculum. *Certè non puto à quoquam poſſe quicquam afferri probabilius.*

At erit qui hanc putationem amputet, & iuſtæ cenſuræ falce ſuccidat hunc loci propoſiti tam ab Apoſtolo auerſum ſenſum, qui nullius hactenus ſiue Patris ſiue interpretis animum ſubijt. Quod enim margini illinitur Beda eam interpretationem ex Auguſtino mutuatus, per veritatis in allegando prodigalitatem factum eſt: Locus Auguſtini quem ibi Beda refert, habetur 17. Ciuit. cap. 7. Ibi ne pilus quidem interpretationis ab aduerſario prolatæ comparet. S. Bernardus de grat. & lib. arbit. non multum ab initio, diſertè tradit, libertatem de qua ibi agit Apoſtolus, non eſſe libertatem arbitrij fundatricem moralitatis, ſignificátque eſſe libertatem gratiæ. Toletus Ioan. 12. putat Apoſtolum egiſſe de libertate gloriæ.

V. Genuinus tamen Apoſtoli eo loco ſenſus eſt, quem tradidit ibi plenè D. Thomas lect. 3. benéque etiam creditus Anſelmus, atque Chryſoſtomus. Dixerat Apoſtolus multa ſe libertate vſum in Euangelij prædica-

prædicatione, nihil dissimulando, nihil velando, contra quàm Moses fecerat, qui velamento obducta facie agebat ad populum: Illustri sanè typo legis, Christum velatum, & vt Rupertus scitè dixit lib. 1. in Exod. cap. 9. inclusum scirpo literę & ceremoniarum legalium proponentis, quod velamen etiam post Christi mortem, incredulorum Iudęorum oculis fuisse obductum, subdit Apostolus: retegi autem, & amoueri ait ab oculis eorum qui Christiana sacra capesserent, id præstante Spiritu sancto, qui pro sua libertate, hos illuminat & velamine liberat, illos in tenebris deserit. Vel certè (nam variant PP. & interpretes circa illa verba, *Dominus autem spiritus est*, & aliqui non ad Spiritum sanctum, sed ad Christum ea referunt;) præstante id Christo domino qui est spiritus vegetans ac viuificans, & libertatem palam contuendi veritatem disciso velo priùs obducto, libertatem quoque veritatem perspectam, intrepidè & clarè annunciandi, præstat suis. Hunc esse genuinum Apostoli sensum, perspicuè liquet ex consequentibus verbis, quibus contrapositio Christianorum cum Iudæis continetur. Iuuat eam antithesim, & quam dedimus loci huius Apostolici interpretationem, subiicere ex S. Cyrillo lib 1. de adorat. *non multum à principio*. Sic enim scribit. *Iudæorum mentes cum hebetiores adhuc essent, faciem illam legis extrinsecam facilè ferebant; ea inquam quæ per solam literam significabantur. Iisdem non ferenda & abijcienda omnino videbantur, quo interiùs latebant, atque vt ita dicam, ipsa sensuum veritas. Itaque B. quoque Paulus scribit.* Vsque in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione

veteris Testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. *Atque Iudæi quidem in hoc rerum statu versantur.* Nos verò omnes reuelata facie, *inquit*, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Dominus autem spiritus est. *Vt enim qui in speculo contemplantur, imaginem & figuram rei veræ vident, non ipsam rem; sic qui Christianæ conuersationis pulchritudinem videre desiderant, si lege tanquam speculo vtantur, optimè quod cupiunt assequentur. Ipsam enim rerum imaginem ad veritatem transferendo, liquidò perspicient, quid Deo acceptum inprimis gratúmque sit.* Vides quid eo loco apud Apostolum sit, velamen Iudæis obductum, & libertas nostra ex Euangelica reuelatione, & Christiana velamenti ablatione, vt pulchrè quoque attigit in eum Apostoli locum incidens S. Augustinus lib. de opere Monach. cap. 31. Quid hîc pro aduersarij amplitudine?

Hic est impetus primi arietis ab aduersario ad muniendam nouam sententiam adhibiti. Hæc vniuersa tela quæ è scripturarum armamentario prompsit. At liquet ex dictis, quàm à scopo in quem diriguntur auersa abeant.

Nulli Patres aduersario suffragati, ac primùm non Anselmus.

VI. Patres qui suffragati nouæ sententiæ dicuntur, adducuntur ab autore lib. 1. toto c. 4. tres tantùm, Au-

gustinus, Basilius, & Anselmus. Expendam eos ordine retrogrado, quia in Augustino præsertim sit vis, eritque cui non ita facilè expediendi videamur eius autoritate quàm cæterorum. Itaque quòd paulò longior cum eo futura sit mora, differatur in postremum locum.

Ex S. Anselmo autor cap. illo 4. num. 8. profert definitionem libertatis, quam S. P. tradit dialog. de lib. arbit. c. 13. his verbis. *Libertas est potestas seruandi rectitudinem voluntatis, propter ipsam rectitudinem*: Id est, inquit aduersarius, *agendi propter finem vltimum & ex amore Dei puro ac prorsus honesto, ac nequaquam ex amore concupiscentiæ: sic enim ipse se explicat, cum ibi, tum in lib. de concord. cap. 3. & vltimo.* Claudit autor argumentationem ex S. Anselmi autoritate, emissa hac voce exultationis: *Quid euidentius? Certè non est tantùm similis doctrina* cum nostra, *sed eadem.* Hincque lib. 1. cap. 30. castigat eos qui Anselmum obiicere consueuerunt.

VII. Respondeo. Exultatio præpropera, ruboris plerunque sementis est. Proposita certè argumentatio ex Anselmi autoritate, tantum abest vt sit euidens, vt potiùs argumentantis incogitantiam clarè exhibeat. Inprimis quia S. Anselmus, libertatem definit non per amplitudinem & eminentiam subtus quam iaceat potestas agendi vel non agendi, vt noua sententia comminiscitur, sed per ipsammet agendi potestatem, qua connotari potestatem non agendi, dictum superiùs est ex Aristotele, Didymo, S. Augustino ac S. Thoma. Deinde S. Anselmus ibi, per rectitudinem, omnem planè honestum actum intelligit. At glossa aduersarij,

inter actus honestos ibi definitos numerat tantùm actus factos propter finem vltimum, & ex puro eius amore, non ex amore concupiscentiæ; quasi nó etiam amor concupiscentiæ in Deum tendens, sanctus & rectus sit, dummodò ex libertate prodeat prout de libertate loquitur eo lóco S. Anselmus; id est dummodò propter rectitudinis & honestatis amorem fiat, nec vlla seruilitate improbata, aut proprij vitiosi amoris fœculentia sordeat. Norunt autem tyrones Theologi, de fide esse, actum spei optimum esse, quamuis sit amor concupiscentiæ in Deum, nec sit purus Dei amor, sed in nos retorqueatur, tanquam in subiecta.

Præterea autor explicationem suam definitionis à S. Anselmo propositæ, tribuit S. Anselmo, locis notatis. At nisi adhibeantur ocularia quibus aduersarius sæpè videt quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, nihil tale apud Anselmum locis illis obuersabitur. Quod enim S. Anselmus dixit, libertatem esse amorem rectitudinis propter ipsam rectitudinem, non eò pertinet, vt significetur, ad hoc vt actus sit rectus & liber ad sensum Anselmi, necesse esse vt fiat propter purum amorem amicitiæ erga finem vltimum: sed sensus illorum verborum est, vt actus materialiter ac obiectiuè honestus sit formaliter rectus, necesse esse vt non inquinetur appositione turpis finis: imò ne fidem quidem indifferentem posse tali actui præfigi ne vilescat, & destitutus bonitate inter actus indifferentes numeretur, aut etiam eo ipso sit malus, iuxta probabilem sententiam de vitiatione actuum deliberatè indifferentium. Ita seipsum fusè exponit S. Anselmus dialog. de verit. cap.

13. & breuiter dialog. de lib. arbit. cap. 3. & 8. ac 13. quo postremo loco propositam libertatis definitionem ita enucleat. *Cum dicta libertatis definitio*, potestas seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, *sit perfecta ex genere ac differentijs vt nec minus aliquid claudat, nec plus quàm illa quam quærimus libertas, nihil illi addendum aut demendum intelligi potest. Est enim potestas libertatis genus. Quod autem additum est* seruandi, *separat eam ab omni potestate quæ non est seruandi, sicut est potestas videndi aut ambulandi. Addendo verò* rectitudinem, *discernimus eam à potestate seruandi aurum, & quicquid non est rectitudo. Per additamentum* voluntatis, *segregatur à potestate seruandi rectitudinem aliarum rerum, vt virgæ aut opinionis. Per hoc autem quod dictum est,* propter rectitudinem ipsam, *diuiditur à potestate seruandi rectitudinem voluntatis propter aliud; vt cum seruatur propter pecuniam, aut naturaliter. Seruat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis cum amat catulos suos, aut dominum suum sibi benefacientem.* Vides germanum S. Anselmi sensum, nec aliò spectare eas particulas *propter ipsam rectitudinem*, quàm quò referuntur ab Aristotele, eas quoque adhibente inter explicandum conditiones actus honesti 2. Ethic. cap. 4. Sensus ergo vtriusque genuinus, est is quem trado in Moral. dist. 4. num. 187. nempe finem honestum debere appeti propter ipsum, hoc est non debere appeti propter finem extrinsecum vitiosum aut indifferentem. Quæ toto cœlo distant à falso sensu, quem glossa aduersarij quam excutimus impingebat sancto Anselmo.

VIII. Postremò, libertas cuius definitionem adversarius ex S. Anselmo protulit, non est libertas adæquatè, cuius nos naturam venamur, sed tantùm est libertas prout respicit actum bonum supernaturalem, estque fundamentum Christianæ iustitiæ, comparandæ ex opere operantis, vel interuentu liberæ dispositionis humanæ. Ita optimè hanc S. Anselmi definitionem intellexit Baconus in 4. d. 1. quæst 5. artic. 3. & Magnus Albertus in summa de homine qu. de libertate voluntatis artic. 1. *in corpore*, & Honorius Dialogo cui titulus est, *ineuitabile.* Imò idem apertè tradit ipsemet S. Anselmus in prologo Dialogi de veritate, quo argumentum quoque Dialogi de libero arbitrio, & alterius de casu diaboli complexus est. Idem habet in concord. p. 1. cap. 6. verbis illis *Non idem est arbitrium, & libertas qua dicitur liberum. In multis dicitur libertas & arbitrium, vt cum aliquem dicimus libertatem habere loquendi, aut tacendi, & in eius arbitrio esse quid horum velit. In pluribus quoque alijs similiter dicitur libertas & arbitrium, quæ non semper adsunt, aut ad salutem animæ nobis necessaria sunt. Pro illo autem arbitrio tantùm, & pro illa voluntate, ista quæstio ventilatur, sine quibus homo saluari nequit, postquam potest illis vti.* Et mox addit hanc esse libertatem, iustitiæ sedem, de qua sola ait se agere, & ibi, & in dialogo de lib. arbitrio, quámque profitetur à se definitam verbis illis; *Potestas seruandi rectitudinem, propter ipsam rectitudinem.* Rursúsque ibidem p. 3. cap. 12. repetit se non agere de alio libero arbitrio, quàm de illo sine quo nemo salutem meretur; ita vt quamuis libertas quod ipse S. Anselmus profitetur, ad alia multa

protendi queat, tamen in ea definitione sit tantùm sermo de libertate prout se disponente ad consequendam gratiam & gloriam. Est quidem eadem planè libertas, qua homo & ad huiusmodi supernaturales formas se aptat, & à recto aberrans ijsdem excidit, vt habetur dialog. de lib. arbit. cap. 13. *in fine*: Tamen quia libertas data est homini eo fine vt æternam salutem adipisceretur, disponendo se ad gratiam, idcirco S. Anselmus de gratiæ cum libertate consensu, & Christianę rectitudinis veritate disserens, contentus fuit libertatem definire inadæquatè tantùm, siue per ordinem ad eam duntaxat functionem suam primariam & à Deo autore præcipuè intentam, qua libertas diuinitùs adiuta supernaturale bonum spectat.

Hæc cum ita sint, planè extra chorum saltat, quisquis traditam à Diu. Anselmo definitionem libertatis, obtrudit tanquam astipulantem nouæ sententiæ de natura libertatis, constitutæ per amplitudinem ex adhæsione cum Deo.

Neque item Basilius.

IX. Basilius qui præterea laudatur tanquam nouæ doctrinæ suffragatus, eo loco quem autor profert, (hoc est homilia quòd Deus non sit autor malorum,) tantùm habet quòd anima sit imago Dei ratione libertatis. Neque verò id disertè ait, aut conceptis verbis, sed tantùm dicere videtur, vt autor ait; qui subdit. *Quomodò autem* erit anima ad imaginem Dei, quatenus est libera, *nisi animæ libertatem in eo ponamus quòd ad Deum*

obuersa sit, eum intueatur & referat, eius capax sit, ad eum suspiret, eo denique tanquam vnico & summo suo bono sit explenda?

Respondeo. Nullo planè horum modorum, anima quia libera est, Dei imago appellatur; sed tantùm quia sicut Deus est sui iuris, ita & homo per libertatem, statuitur dominus emancipati à Deo boni, & suorum actuum. Videsis quæ dico in Morali dist. 2. num. 119. ex Anastasio, Theodoreto, Isidoro Pelusiota, Damasceno, Tertulliano, Macario, Nysseno, Hieronymo, & ipsomet Basilio, qui sensum suum de diuina in nobis imagine per dominium in libertate fundatum, disertè aperit hom. 10. exaëm. Quare otiosè omnino, & non tam ex suspicione prorsus euanida, quàm duntaxat quia autori placuit, allegatus est pro noua doctrina S. Basilius: & eodem iure, hoc est nullo, proferri æquè pro ea potuissent alij non dissimiliter ac Basilius locuti de diuina in nobis imagine; ídque ad ostentandam suffragatorum multitudinem, & conciliandam volumini molem, fuisset non inopportunum.

Sed neque Augustinus.

X. Augustinum crepat vbique aduersarius, & vel hoc maximè nomine Pontificem ad suffragandum nouæ doctrinæ impellit, *quòd hæc ratio explicandæ libertatis, ex D. Augustini liquidissimis fontibus manifestè defluat*, qui libertatem tanto esse maiorem affirmat, quãto diuinæ gratiæ subiectior fuerit qui magnam docet esse libertatem quando possumus non peccare; maximam

mam verò cum ne peccare quidem possumus prorsus Deo subiecti. Ita habet Augustinus epist. 89. & lib. de corrept. & gratia cap. 11. & lib. 14. Ciuit. cap. 11. & ibid. lib. 21. cap. 16. & lib. 22. cap. 30. & in Enchir. cap. 30.

Respondeo, nouum non esse quod Facundus Hermianensis initio libri contra Morianum præclarè monuit, vt quæ Diu. Augustinus aptè in loco dixit, detorqueantur ad sensus à D. Augustini mente maximè alienos. Fecisse hoc Faustum Rhegiensem in qq. de libero arbitrio & detortis ac incongruè adhibitis variis Diui Augustini locis, decipulam plerisq; simplicibus adornasse, laborasséque S. Fulgentium in genuino Augustini sensu aperiendo, & Fausto reuincendo, autor est Facundus, qui addit: *Quid autem in hoc miremur? Neque enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Prophetæ, quàm Apostoli, & Euangelistæ, quorum verbis similiter malè intellectis & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores.* Hoc ille rectè & verè. Nam vt alios hæreticos taceam, Caluinus, quo vix nequiorem & virulentiorem hæreticum Tartarus vomuit, cum omnes passim Patres despuat, & impudoratè ac infrunitè abijciat, in mendacibus tamen Augustini pro se allegationibus iugis est; & quantumcunque atrocia & horrenda sint quæ effutit, semper tamen apud Augustinum scrutatur aliquid quod obtorqueat, & in erroris patrocinium trahat: & vt pippire pulli à gallina discunt, idem quàm studiosè obseruant omnes Caluinistarum poppæ, quod iugi cum eis vsu, & eorum quà concionibus quà scriptis docemur.

Certè ea D. Augustini loca, quæ apud aduersarium

constant primam aciem pro noua sententia, illa ipsa sunt quæ à Caluino eiusque combibonibus proferuntur, vt probent in hoc statu nullum esse liberum arbitrium, sed fuisse quidem in homine ante lapsum, & fore posteà in gloria, nunc autem nullum esse: quia cum statuant libertatem veram, (quod illa Augustini loca in speciem sonant,) esse solam libertatem à peccato, & hîc ea libertas pura ac plena non obtingat, videntur sibi è locis illis non modicum errori suo præsidium parauisse. Aduersarius autem eadem loca adhibet, vt probet veram libertatem moralitatis fundatricem esse libertatem à peccato; nam hoc est quod se probaturum & illustraturum vniuerso opere profitetur lib. I. cap. I. Eodemque recidit, quod ibidem & frequenter alibi ait, libertatem veram esse solam amplitudinem ex adhæsione cum Deo. Nam illa amplitudo nihil est aliud quàm extrinseca denominatio à gratia peccatum exturbante, & hominem Deo vniente: libertas autem à peccato, & libertas gratiæ idem sunt, vt benè aduertit Magnus Albertus in summa de homine quæst. 3. de libero arbitrio quæ est de diuisione libertatis, *ad penultimum argumentum.*

Prima locorum ex eo acies exarmatur.

XI. Non est tamen difficile, Augustinum ita exponere, vt neque veritati incommodet, nec falsitati astipuletur; idque diligenter iampridem præstitere Doctores in Augustino eximiè versati. Respondet ergo Hugo Victor. tomo 3. in summa sent. tract. 3. cap. 9. &

Vega lib. 15. in Conc. cap. 4. S. Augustinum, quibus locis ait, voluntatem, subiectione ad Deum liberam fieri, eóque esse liberiorem quo est Deo subiectior, & à peccato elongatior, non agere de libertate adæquatè, siue absolutè & simpliciter, sed de libertate tantùm à peccato, vel de libertate prout est potestas sufficiens ad exequendum bonum. Qua ratione liquet, maiorem fuisse in homine nondum collapso libertatem, & maximam fore in patria, vnde peccatum & peccandi potestas omnis exulabit. Ita disertissimè se exponit ipse S. Augustinus lib. 1. contra duas epist. cap. 2. & 3. vbi Iuliano Pelagiano Catholicos criminanti, quod asserenda gratiæ necessitate libertatem euerterent, respondet Augustinus calumniam esse apertissimam. Nec enim liberum arbitrium periisse per Adæ peccatum, nec Christi morte restitutum esse, sed eam tantùm libertatem periisse per Adæ peccatum, quæ summa fuerat ante peccatum, libertatem scilicet benè agendi, quæ tandem in cœlo obuentura sit perfectissima, & imperturbabilis: Hanc autem libertatem per Christum collatam, quæ est libertas à peccato, longè distare à libero arbitrio eáque libertate philosophica quæ est moralitatis fundamentum. *Quis nostrum dicat*, ait ibi præter cætera S. P. *quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periјt per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam, propter quod natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: vtique liberi ad benè iustéque viuendum. Nam liberum arbitrium vsque adeò in peccatore non periјt,*

vt per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.

Ex his verbis liquidissimum est, S. Augustinum agere duntaxat de libertate ad exequendum bonum supernaturale, quæ per Adæ peccatum deperdita, recuperatur per gratiam liberatoris Christi; qui cum nos ad eum modum liberauerit, tunc verè liberi erimus: consummabitur autem ea liberatio & libertas in cælo, cum non angemur ob metum prolapsionis in peccatum, sed indeclinabiliter viam iustitiæ tenebimus à peccati præcipitio prorsus securi. Eodem recidit quod alij dicunt, S. Augustinum distinguere libertatem à libero arbitrio. Et liberum quidem arbitrium, vocare potentiam assentiendi aut dissentiendi, libertatem verò, accipere Christianè, id est pro facultate operandi meritoriè, quam plerunque vocat *liberum arbitrium liberatum*: circa quam locutionem iocos Caluini in Augustinum memorat & refellit Camerarius lib. 1. de lib. arbit. cap. 3. Id vnum ergo ferunt tam densa Augustini loca quæ proferuntur in prima acie, suntque proinde eiusmodi, vt ad rem de qua agitur, & ad libertatem meriti ac demeriti fundatricem de qua sola disputamus, nullo modo pertineant.

XII. Aliter nonnulli ea Augustini loca exponunt, quorum interpretatione æquè contereretur vniuersa ex locis illis argumentatio aduersarij. Sed quod cum Augustini mente is duntaxat sensus quadret quem proposuimus, non placet ab eo desciscere. Azor ergo tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 9. exponens S. Anselmum, qui Augustinum de more æmulatus, maiorem beatorum

esse dixerat libertatem, quàm viatorum, ait, sensum Anselmi, atque adeò etiam Augustini, esse, quòd in beatis libertas sit maior quasi extensiuè, quatenus beati non à necessitate tantùm sicut nos, sed & à peccato & à miseria sunt liberi. Hæc propositorum B. Augustini locorum interpretatio, non est idonea, quia etiam si nihil falsi contineat, tamen non est ad mentem Augustini, qui attendit solam libertatem à peccato; & mancipationem nostram sub iugo peccati quæ hîc semper est aliqua, composuit cum exsolutione à peccato, quæ non nisi in cælo plena erit. At in prædicta interpretatione, confertur nostra sub peccato seruitus, cum nostra futura libertate & à peccato & à miseria. Similiter ab Augustini mente discrepare videtur interpretatio quam adhibet Stapletonius lib 4. de iustific. cap. 9. dicens, voluntatem iuxta Augustinum eo esse liberiorem quo est subiectior, quia voluntas per gratiam delibuta, promptiùs & ardentiùs fertur in bonum; eo quòd per gratiam aperiatur quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, vt habet Diu. Augustinus lib. de spir. & litera cap. 3. Hæc verè dici non diffiteor, Augustino tamen non quadrare in locis quæ tractamus, puto perspicuum.

Item acies secunda.

XIII. Alteram aciem locorum Augustini pro noua sententia, instruit autor cap. illo 4. num. 3. Primùm ex lib. 21. de Ciuit. cap. 16. vbi dicitur *tunc veraciter vinci vitia, cum vincuntur delectatione iustitiæ:* quod in Enchir.

cap.30.à liberaliter seruis iustitiæ præstari dicitur, ibidémque adhibetur aurea illa clausula. *Ipsa est vera libertas propter rectè facti lætitiam; simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam.* Inde autor argumentatur pro noua sententia, tam neruosè, vt existimet non posse ea duo loca in sensu probabili accipi, nisi libertas in amplitudine statuatur. Argumentum est huiusmodi. Diu. Augustinus libertatem delectatione operis definit: hoc autem fieri non potuisset, nisi libertas constitueretur amplitudine, exurgente ex adhæsione cum Deo. Nam opere suo quatenus bono delectari, indicium est amplitudinis cuiusdam atque immensitatis, nullis repagulis coërcitæ. Est enim magnitudinis animi inusitatæ, ac independentiæ ab omni commodo & incommodo, ab omni voluptate & dolore, tangi ipso honesto, eóque delectari. Adiungendus est huic aciei alter locus Augustini, quem postea educit aduersarius ex lib.3. de lib.arbit.cap.5. vbi docet, Angelos beatos, (qui certè peccare non possunt,) habere libertatem ad vtrumlibet. Quam verò nisi amplitudinis diuinæ, ad quam ipso gloriæ statu transeunt? Præterea idem S. P. cap.105. Enchir. ait, voluntatem qua expetimus fœlicitatem in communi, liberam esse, quamuis non possimus nolle esse beati. Ergo libertas illius volitionis sita est in amplitudine. Quod tandem confirmatur ex lib. 22. Ciuit. cap.30. vbi luculentissimè traditur, summitatem libertatis, indefectibilitate atque immutabilitate definiri: quod verum esse non posset, si libertas aliud non diceret quàm indifferentiam actiuam. Quid verò aliud quàm amplitudinem?

XIV. Hæc acies nullo negotio exarmabitur. Nam duobus primis locis, Diuus Augustinus agit de sola libertate à peccato, quam rectè describit per delectationem iustitiæ. Quod autem delectatio de opere prout honesto, non possit innuere libertatem à peccato, nisi libertas fundans moralitatem sita sit in amplitudine, hoc Diuus Augustinus ne somniauit quidem. Taceo vnde aduersarius tantam immensitatem & inusitatam magnitudinem in delectatione de bono opere aduertere potuerit, quantam prædicat. Iam tertius locus propositus quo Angelorum libertas citra peccatum astruitur, quid amplitudini confirmandæ inseruiat, equidem non video. Est enim verè indifferentia actiua in beatis, quoad pleraq; cum summo bono clarè percepto non connexa. Et hoc est quod S. Augustinus asserit. Quid ergo ibi pro amplitudine supra indifferentiam eminente, & superstite, ac rationem veræ libertatis retinente, quamuis indifferentia excludatur? Desiderium fœlicitatis in communi, ex quo aduersarius quarto loco argumentatur, non est liberum de sententia D. Augustini, nisi quoad exercitium. Possumus enim velle fœlicitatem & cupere beati esse, aut ea beatitudinis prosecutione abstinere. Nihil ergo inde habetur pro amplitudine constituente libertatem neglecta indifferentia. Vltimus Augustini locus allegatus, spectat ad libertatem à peccato, neque in eo quicquam metendum esset aduersario, nisi pro more suo meteret vbi non seminauit.

Quàm malè quosdam è Philosophis pro se protulerit aduersarius.

XV. Philosophos Patribus succenturiat aduersarius, & eodem quo Patres iure pro se profert. . Platonem, quia in Cratylo dixit, virtutem dici ἀρετὴν quasi ἀεὶ ῥοῦν, *eo quòd semper fluat* : vitium verò κακίαν, ἀπὸ τοῦ κακῶς ἰέναι *quia ægrè progreditur.* Item quia Plato dat alas animæ quibus in sublime tollatur. Nemesium quia virtutem vocauit ἀδέσποτον, *absque domino.* Proclum quia dixit, Deum & Angelos esse omnibus præsentes, & ab omnibus liberos, omnia implere, nulli permisceri, discurrere per orbem vniuersum, & nulli loco addici. Item quia dixit liberum arbitrium in media prouidentia contineri, & inde moueri ac determinari, nosque ex nobis ipsis electiones promere, non formari ab externis. Aristotelem, quia dixit quosdam esse natura seruos, quosdam liberos, ídque tum secundùm corpus, tum secundùm animam. Itémque quia alibi ait, hominis liberi vitam, esse herili dignitate meliorem : alibi autem liberum esse ait, quod est sui causa, ἑαυτοῦ ἕνεκα, quod nimirum aliò non refertur. Et rursus alibi, magnanimum ait esse apertum & liberum, quia est omnium contemptor & nihil admiratur, non est maledicus, tardigradus est ac barytonus, stabili & sedata oratione, aduersus fortunæ fluctus ac spumas, cautes imperturbabilis. Tandémque quia alibi affirmat, electionem esse mediorum meliorum, eámque electionem esse præstantissimam quæ facit Deum contemplari.

Tullium

Tullium præterea, Plutarchum, Epictetum, Philonem, Senecam, ac Boëtium, Philosophis annumerat, & pro se profert autor. Tullium, quia libertatem ait cum beatitate conuerti, & libertatem esse potestatem viuendi vt velis. Plutarchum, & Epictetum, quia aiunt liberum esse qui viuit vt vult, & qui nec impediri nec cogi potest eo quòd voluntatem suam Deo subiecerit. Insuper Philonem, quia dixit, liberum esse qui solum Deum sequitur. Præterea Senecam, quia dixit, neminem liberum esse qui corpori seruit, & non transcendit quæ vulgo magni fiunt. Item quia de homine modum ambitioni suæ non ponente, dixit, *non ille ire vult, sed non potest stare*. De Alexandro autem & Mario sic scripsit. *Omnes isti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta conuoluunt, sed ipsi ante voluuntur, & ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui frænum est.* Postremò quia Deum dixit liberum esse, etiamsi se negare nequeat, quia est ipse sibi sua necessitas. In extremo agmine collocat autor Boëtium, quia dixit extremam seruitutem esse, vitiis deditorum; libertatem verò esse quidem in quibuscunque inest ratio, sed in Angelis esse incorruptam, in nobis autem prout magis Deo adhæserimus, perfectiorem euadere.

Ex his omnibus concludit aduersarius, libertatem propriè dictam, hoc est fundatricem moralitatis, iuxta Philosophos constitui essentialiter per amplitudinem, ac eminentiam supra creata, consequentem ex adhæsione ad Deum.

XVI. Sed hæc conclusio vt Caietanus alia occasione dixit, nunquam trahetur ex antecedentibus positis,

etiamsi centum boum paria admoueantur. Nam si extrema autoritas quæ Boëtij est semoueatur, anteriores omnes, tantùm à cóclusione intenta elongátur, quantum distat ortus ab occidente. Licebit sanè quidlibet ex quolibet inferre, si rectè ex huiusmodi colu educatur hoc fusum. Cuilibet enim citra attentionem & expensionem liquere potest, quàm sint inconnexa & diuulsa priora illa quæ aduersarius assumit, & conclusio quam subsumit. Nec volo abuti Lectoris otio in percurrendis ac expendendis singulis propositionibus quod frustra faciendum intelligo, quantumuis ad censuram morosum & aduersarij studiosum Lectorem nanciscerer.

In postrema verò autoritate quæ est Boëtij, videri posset aduersarius non omnino extra chorum saltasse, cum probauit libertatem sitam esse in amplitudine oriunda ex adhæsione cum Deo, quia dixit Boëtius peccatorem à Deo auersum, premi seruitute, eóque hominem euadere liberiorem, quo arctiùs & perfectiùs Deo adhæserit.

XVII. Hæc tamen nullo modo suffragantur amplitudini, sed tantùm pertinent ad libertatem à peccato quæ iustis obtingit, oppositam seruituti quam contrahit quisquis à recto & honesto abducitur. Diximus de ea seruitute eique opposita libertate, superiùs nonnulla, multáque omninò ex variis corrogat Lælius Bisciola tomo 2. subsec. lib. 15. cap. 18. tractans effatum illud apud Ethnicos quoque vulgatissimum, *omnis ac solus probus liber.* Sita verò est ea libertas in eo quòd vir probus nec ad malè operandum peccati pondere abri-

pitur; (dominante enim peccato, non quod vult bonum hoc agit homo;) nec laborat ijs in bono exercendo difficultatibus quibus præpeditur peccator, qui idcirco seruus dicitur. Nam seruitus peccati in eo sita est, quod peccator peccando prauos habitus acquirit, quibus ad malum fit pronior: quantum verò in se est, abs se repellit auxilia gratiæ quibus natura in bono firmaretur. Reddit enim se cœlestibus hisce suppetijs indignum: vnde pertractio ad alia peccata, quia iuxta S. Gregorium, peccatum quod per pœnitētiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Accedit obductio visus interni per peccati nebulas. Verè enim à S. Augustino dictum est tract. 8. in epist. Ioann. *aliquos flammā intelligentiæ, peruersitate morum extinguere.* Cœcato ergo vel admodùm suppresso interno visu, appetitus autem effrœnatione roborata & aucta, infœlix quædam necessitas peccatori inijcitur parendi peccato, salua quidem naturali libertate, sed adeò debilitata, vt nisi gratia sanans & potenter roborans adueniat, vix iugum excutere & seruitium detrectare misera valeat, propéque necessitari ad malum videatur, quod egregiè expressit S. Bernardus serm. 81. in Cant. His si addas, peccatum constituere peccatorem in eo statu quo se ipse nulla sua vi eximere possit, habebitur germana notio illius seruitutis sub peccato, cui peccatorem subiacere sacræ literæ infinities produnt. Explicat eam luculenter S. Thomas in cap. 8. Ioann. lect. 4. & ibid. Franciscus Lucas, Espencæus digress. 11. in 2. ad Timoth. ac Lensæus lib. 1. de libert. Christ. *per totum*: addens lib. 2. de seruitute peccatoris sub dæmonis tyran-

nide, quæ est alia seruitus peccatoris, annexa seruituti peccati. Exponit quoque eam Andreas à Vega lib. 2. in Conc. cap. 3. & 4. Iuxta hæc ergo neque Boëtius, neque quotquot proborum libertatem, improborum verò seruitutem celebrarunt, quicquam habent quod nouę sententiæ suffragetur, & libertatem naturalem in amplitudine & eminentia adhæsionem cum Deo consequente, locandam suadeat, vt aduersarius comminiscitur.

Nemo scholasticorum pro aduersario, sed maximè S. Thomas.

XVIII. E scholasticis quos aduersarius post Philosophos educit, sex omnino pro se numerat. S. Thomam, Scotum, Radam, Henricum, Durandum, & ex recentioribus Contarenum, quibus animi gratia adiungit Suarem & Vasquem. Non quòd hi explicatissimè non sint in contraria sententia, sed quòd aliqua interdum proferant, quibus in veritatem incidere vel inuiti videantur. Vnde meritò suis ipsorum telis appetuntur. Dixeris autorem illud Eucherij homil. 2. de pasch. cogitasse. *Validis absque dubio nititur priuilegijs, qui causam de aduersarij asserit instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem cartulis suis velut proprijs laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, vt pugnatoris tui argumenta, tuis probentur vtilitatibus militare.* Attingamus sigillatim, quæ vniuersè tantùm sunt tacta.

S. Thomam 1. p. q. 62. art. 8 ad 3. tradere conceptis

verbis doctrinam quam impugnamus, & libertatem definire per ordinem ad finem vltimum, aduersarius repetit supra trigesies. Hic illi murus aheneus. Vbique enim, ob eum vnum locum quem dixi, patronum nouæ sententiæ statuit S. Thomam, à quo perspicacissimè vestigatam ait libertatis naturam, addito in definitione libertatis eo primæ partis loco assignata, ordine ad finem vltimum, tanquam essentiali & intrinseco libertati. Quare in libri primi præfatione, abigeatus reos agit recentiores, quod eam clausulam, *seruato ordine finis*, è libertatis definitione expunxerint: renouátque flebiliter admodum eas querelas lib. 1. cap. 12. num. 1. castigans incuriam aut inscitiam eorundem recentiorum, in truncanda libertatis definitione eo loco assignata à S. Thoma, & premendo ordine ad finem tam studiosè expresso per sanctum Doctorem.

XIX. Mihi verò hæc tam secura allegatio S. Doctoris, totiésque ingeminata libertatis definitio per eum tradita, addito ordine ad finem vltimum tanquam essentiali & intrinseco libertati, non potest mira non accidere, qui perspectum habeam, S. Thomam de libertate toties & tam diligenter alibi agentem, vt 1. p. qu. 83. tota, & qu. 24. de verit. & in 2. d. 24. & 25. nuspiam libertatis definitioni appinxisse ordinem illũ ad finem vltimum. Itaque si quæ culpa fuit recentiorum in earum particularum prætermissione, æquè eius culpæ insimulandus est S. Thomas, qui eas semper reticuit quibus locis ex instituto de libertate disseruit. Trahendi item in eiusdem peccati societatem erunt omnes S. Thomæ discipuli, veteres iuxta ac noui, quo-

rum nullus eas particulas memorauit, tradens libertatis quidditatem.

Vnus verò ille locus ex 1.p qu.62 art.8.ad 3. quem ad nauſeam ingerit ac regerit aduerſarius, vt quantopere ad rem faciat intelligatur, proferendus eſt, & vnde ſit depromptus, aperiendum. Quæſtionis titulus eſt, *de perfectione Angelorum in eſſe gratiæ & gloriæ.* Articuli, iſte eſt titulus. *Vtrùm Angelus beatus peccare poßit.* En quam ſollicitus ſit eo loco S. D. de libertatis definitione cudenda. In extremo illius articuli angulo, reperit foueam ericius. Argumento inquam tertio, cum obiectum fuiſſet, homines poſſe eligere bonum & malum: poſſe igitur Angelos quoque beatos peccare, cum non minuatur in eis arbitrij libertas; reſpondet S. Thomas. *Ad tertium dicendum, quòd liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea quæ ſunt ad finem, ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones. Manifeſtum eſt autem quod ad virtutem intellectus pertinet, vt in diuerſas concluſiones procedere poßit, ſecundùm principia data. Sed quod in aliquam concluſionem procedat, prætermittendo ordinem principiorum, hoc eſt ex defectu ipſius. Vnde quòd liberum arbitrium diuerſa eligere poßit ſeruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius. Sed quòd eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Vnde maior libertas arbitrij eſt in Angelis qui peccare non poſſunt, quàm in nobis qui peccare poſſumus.*

Hunc locum tanquam ipſis ſolis radijs ſcriptum, & definitionem libertatis exhibentem, expreſſo ordine ad finem vltimum, luſcioſis ac cœcutientibus recen-

tiorum oculis ostentat aduersarius singulis propè operis sui capitibus. Ego vel si Galilæi telescopium, & Batauicum speculare canaliculatum adhibeas, nuspiam in his verbis libertatis definitionem obuersaturam pronuncio. Quod enim S. D. ait, libertatem deficere cum peccat, perfici autem, ac rectè & vt par est operari, cum collimat in finem vltimum, clarum est & extra controuersiam. Ast vbi in verbis propositis tradatur à Diu. Thoma illa tam expressa, toties ab aduersario ingesta ac regesta libertatis definitio, pro qua studiosè, vel per ignorantiam, à recentioribus truncata, tot querelæ ingeminantur, non deprehendo, & deprehendi posse nego. Tot sanè tam lynceos, tam oculatos, tam perspicaces interpretes effugit, Caietanum, Bannem, Zumelem, ac (ne sigillatim alios appendam,) planè vniuersos, vt desperemus eius contuitum, nisi aduersarius sua illa conspicilla quibus videntur ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, nostris oculis admoueat.

XX. Profert præterea pro se aduersarius S. Thomam 1.p.q.82.ar.1. quia docet necessitatem naturalem non repugnare voluntati, imò ait, necessitatem qua voluntas secundùm se inhæret fini, esse originem libertatis indifferentis circa media. Additque ad.1. necessitatem naturalem ex Augustino 5. Ciuit. cap. 10. non auferre libertatem voluntatis. Tandem ad 3. negat nos esse dominos actus nostri circa finem, indicans dari libertatem quandam electione superiorem & respectu finis, quæ dominio non contineatur.

Hæc S. Doctoris loca, aduersario non suffragantur. Quod enim voluntas necessitate naturali feratur in fi-

indifferentiam actiuam erga circunſtantias, præſertimque erga motiuum, qua de re infra 2. p. Eadem indifferentia actiua reperitur in voluntate circa exercitium amoris quo amamus beatitudinem, itémque circa exercitium ac ſpeciem amoris quo alia bona proſequimur. Quare non apparet, quomodò loca ex S. Thoma adducta iuuent aduerſarium. Imò non parum ei incommodare videntur. Nam ſi Diu. Thomas cenſuiſſet libertatem non pugnare cum neceſſitate, & conſtitui amplitudine, eóque maiorem eſſe phyſicè quo maior eſt cum Deo adhæſio, perperam omnino ad modum relatum enodaſſet difficultatem propoſitam circa Chriſti libertatem, cum potuiſſet ex noua hac doctrina de natura libertatis, longè commodiùs implicatiſſimam difficultatem expedire, vt ſibi viſus eſt facere aduerſarius, locis poſtea excutiendis. Perperam item dixiſſet S. D. non dari libertatem circa finem vltimum, ſed tantùm circa media, cum tamen iuxta aduerſarium conformiter ad nouam ſententiam de libertatis natura, libertas maximè detur circa finem vltimum, & ex adhæſione ad Deum vniuerſa dimanet. Sed de D. Thomæ ſententia plus ſatis.

Obiter de reliquis malè ab aduerſario adductis.

XXII. In expendendis locis quæ aduerſarius pro ſe ex alijs ſcholaſticis allegat, quia tanti non ſunt, parcitate vtar, emedullans tamen & exſugens

quicquid inerit eis boni ſucci. Profert ergo pro ſe inſuper Scotum, & Henricum, ac Radam. Illos, quia dixerunt Deum & beatos ſe amare liberè, etiam ſi neceſſariò ſe ament. Radam verò, quia ambiguus eſt in enodanda libertatis natura, *ac ſi quaſi ad eum accedens, ſuggeras libertatem ſitam eſſe in amplitudine, id ei in manus tradere cenſearis, quod diu quæſiuiſſe & cupidè expectaſſe videatur.* Profert denique Durandum, Contarenum, Suarem, & Vaſquem. Durandum quidem, quia dixit, noſtram electionem cum habetur, non eſſe neceſſariam proſecutionem obiecti, quia nec eſt finis vltimus, nec habet neceſſariam habitudinem ad finem vltimum. Item quia dixit, Deum eſſe creaturis liberiorem, ac Angelos hominibus. Contarenum verò, quia dixit libertatem pendere ab amplitudine intellectus, & facultatis appetentis intellectui adeò amplo proportionatæ, ideóque affirmauit, hominem amplo nullíſque terminis circunſcripto arbitrio cieri; nec eſſe de ratione libertatis labi in peccatum, cum potiùs qui peccat, ſeruitute ſe irretiat. Suarem, quia dixit, libertatem cerni in Deo abſque mutabilitate interna actus volendi; ac denique Vaſquem, quia dixit, non ſolùm electionem eſſe liberam, ſed etiam intentionem: Itémque quia admiſit liberum arbitrium fuiſſe peccato attenuatum & inclinatum: & denique quia dixit, liberum opponi alligato. Sic Vaſques, qui vbiuis alibi autori ludibrium debet, hîc volens nolens veritati, (tanta eius vis eſt,) patrocinatur.

Eloquar an rideam? Omnia hæc, tantum rei de qua agitur quadrant, quantum boui clitellæ. Iudicet prudens Lector, an ex antecedentibus propositis iure inferatur hæc sequela. *Libertas non est indifferentia actiua.* vel, *non est facultas flexilis vtrolibet, sed est amplitudo & eminentia oriunda ex adhæsione cum Deo.* Ego tempus, rem omnium pretiosissimam, in his vel dissoluendis vel refellendis conterere, nec volo nec debeo. Obiter tantùm dico, quod ad Scotum attinet, aliósque asserentes Deum se liberè amarè, *liberum* apud eos accipi pro voluntario, ob rationem quam reddit Durand. in 2. d. 24. quæst. 2. num. 12. Itaque longè abest Scotus ab autore, qui amorem illum pressè ac propriè liberum statuit. Contarenus radicem & originem libertatis, deriuauit ex immaterialitate & latepatentia intellectus voluntati prælucentis, quæ communis est doctrina, nec aliud habet loco qui ex eo profertur: ac ne per somnium quidem censuit, libertatem formaliter & quidditatiuè esse amplitudinem. Imò disertè ait, libertatem ex amplitudine deriuari. Explicatissimè autem communi doctrinæ astipulatur, refellens quartum Lutheri articulum, pag. 569.

XXIII. Liquet verò quanto iudicio ac iure aduersarius suffragatores sibi asciuerit anteriores scriptores, quandoquidem inter eos quoque recensuit Suarem & Vasquem, tanquam nouæ sententiæ astipulatos, quæ quanta sit mendicitas nihil attinet dicere. Hi enim autores, adeò plenè ac dilucidè præ

cæteris tradunt antiquam ſententiam, vt eos velle pro noua referre, ſit ludere. Quæ verò ex eis prolata ſunt, aut nullo modo ad rem pertinent, aut adeò enodia ſunt, vt nihil ſit neceſſe in illis extricandis tempus conſumere. Minus porrò mirum eſſe debet, autorem hac in re, Gabrielem Vaſques malè ſibi conſtantem ac fluctuantem exhibere, qui eum vbique veluti plebeium ac minutum ſcriptorem, vel mordeat, vel vellicet. Eſt tamen Vaſques quibuſuis verè eruditis maximo in pretio, quippe *vir*, ait Baſilius Poncius Auguſtinianus relect. 1. *animi candore, morum puritate & probitate, non minus quàm ingenio, doctrina & eruditione celebris, non ſolùm Philoſophiæ & Theologiæ cognitione, ſed etiam vtrinſque iuris notitia adeò excellens, vt è Theologis non viderim quem repererim cum illo conferendum, & inter Iuriſconſultos optimos meritò annumerari queat.*

CAPVT IX.

Nullam rationem solidam nouæ sententiæ astipulari.

I. RATIONES pro noua sententia aduersarius quinq; omnino profert lib. 1. cap. 7. & 8. quæ nunc excutiendæ sunt, addita sexta quam fusè per aliam occasionem prosequitur cap. 9. Sunt autem eiusmodi, vt possim ad omnes præfari verbis Augustini serm. 11. de verb. Apost. *Videte acumen, sed vitreum; Quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate.*

Prima est. Indifferentia per quam omnium consensu explicatur libertas, sonat negationem: Dandum ergo est substratum positiuum, cui negatio illa nitatur: & hoc ipsum erit libertas, formaliter & quidditatiuè sumpta. Nam certum est libertatem esse formaliter aliquid positiuum, non autem negationem. Sed nulla potest positiua perfectio negationi illi subiacens proferri, præter amplitudinem & vniuersalitatem voluntatis ab omnibus inferioribus independentis. Ea igitur est quidditas & formalis ratio libertatis. Et nihil sanè aliud præter amplitudinem assignari potest, quo causa libera differat à naturali quæ libertate destituitur, quamuis virtute actiua polleat. At illud quo

causa libera differt à naturali, esse constitutiuum libertatis, nemo non videt.

Respondeo. Prætermissis negationibus quæ in ratione formali libertatis explicanda interseri possunt, positiuum formaliter constituens libertatem est potestas in proprium actum, siue eliciendum aut non eliciendum, siue terminandum aliquò aut non terminandum. Eóque recidunt variæ illæ libertatis descriptiones quas refero in Moral.dist.2.à num.75.& præsertim illa nunc celeberrima. *Principium liberum est, quod positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere aut non agere, vel etiam agere oppositum.* Ex qua definitione liquet, quid sit quo causæ non liberæ à liberis discrepant. Neque enim bruta, vlláve naturalia agentia, positis omnibus prærequisitis ad operationem, possunt feriari & actum suspendere, vel oppositum efficere, etiamsi merita obiecti id patiantur; sicut verè vtrumque potest causa libera, vt benè præter cæteros alibi adductos, tradit Almainus tract.1. Moral.cap.1.& Gabr.in 1.dist. 38.quæst.vnica art.1.notab.6.& conclus. 3. Quare prima hæc argumentatio, nullo modo firmat amplitudinem.

II. *Secunda ratio.* Libertas à necessitate, peccato, & miseria, debent conuenire in aliqua libertatis generali notione omnibus illis speciebus communi, quæ alia esse nequit quàm amplitudo. Et singulæ quidem illæ species libertatis, per suas differentias formaliter distinctiuas & constitutiuas secernuntur: Omnes tamen in exemptione à dependentia & alligatione, tanquam in communi libertatis ratione conueniunt. At

nihil aliud est exemptio illa, quàm amplitudo & eminentia.

Respondeo. Quas autor hoc loco ait esse plures libertatis species differentijs specificis seiunctas, alibi ait esse vnam & eandem libertatis speciem, vt videre est lib. 1. cap. 3. num. 1. & lib. 2. cap. 3. num. 4. quibus locis disertissimè tradit, libertatem à peccato esse ipsissimam libertatem à necessitate. Hac doctrinæ constantia nunc prætermissa, ad argumentum propositum dico, tres libertates enumeratas, non esse species vniuocas vnius alicuius generis, sed ob analogiam tantùm & proportionem aliquam, eodem omnes nomine donari. Ea autem proportio in eo sita est, quòd sicut libertas à necessitate, (quæ est primarium analogatum & sola propriè ac citra metaphoras est libertas,) non seruit alienę determinationi, sed ipsa sibi legem statuit, & vt D. Anselmus in concord. cap. 6. dixit, *sola determinat quid teneat*; Ita qui à peccato & miseria veriùs liberatus quàm liber est, non subiacet peccato aut miseriæ, quibus quodammodò prematur: Vt is qui alienæ necessitationi obnoxius est, eius determinatione quasi premitur, qua excutitur qui liber est.

Aliis verbis, eodem tamen sensu, idem tradidit S. Bonau. in 2. d. 25. dub. 5. *circa literam* num. 37. in secunda parte textus. *Libertas*, inquit, *opponitur seruituti. Seruitus autem duplex est, videlicet seruitus coactionis & seruitus subiectionis. Seruitus autem subiectionis, potest esse sub duplici differentia, secundùm quod duplex est malum: scilicet malum quod patimur, & hoc est malum miseriæ, & in hoc attenditur libertas à miseria; Et malum quod*

facimus, & hoc est malum culpæ, & in hoc attenditur tertia libertatis differentia. Et sic patet quòd libertas secundùm quod consideratur per comparationem ad illud à quo liberat, habet diuidi in tres differentias, quæ sunt libertas à necessitate, à culpa, & à miseria. Vides quid S. Bonauentura triplici illi libertati commune statuat, nempe exemptionem à subiectione aliqua: quæ exemptio, in libertate propriè dicta de qua agimus, est exemptio à necessitatione, siue potestas in actum suum. Aduersarius, & in hac & in aliis libertatibus, amplitudinem & eminentiam cogitat. Nos exiles ac pumili, deorsum iacere, & indifferentiam actiuam in ea propria exemptione agnoscere, contenti sumus.

III. *Tertia ratio.* In beatis iuxta B. Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 11. est libertas, & quidem arbitrij; nec qualiscunque, sed summa & consummata; neque tamen est in beatis facultas vtrolibet flexilis; cum non possint ab ordine diuinitùs præscripto tunc planè peruio, declinare tantillum. Igitur eorum libertas in amplitudine posita est, quam sortitur quisquis circa Deum occupatur, nec circa creaturas nisi secundùm Deum & in Deo distinetur.

Respondeo. Falsum est Diu. Augustinum eo loco agere de libertate arbitrij: agit enim de libertate à peccato atque miseria, vt superiùs monstratum est. Quamuis autem daremus eum egisse de vera & propriè dicta libertate, nihil inde promoueretur causa amplitudinis. Facile quippe foret, dicere beatos arbitrij libertate potiri circa ea ad quæ habent operandi potestatem in manu sua, cuiusmodi sunt pleraque de quibus

busDeus nihil illis præſcribit. Eáque eſt verè magna & ſumma in eis perfectio libertatis, quòd ſemper libertas eorum iuxta diuinas ſanctiones exeratur, nec vnquam à ſignato diuinitùs tramite exorbitet. Itaque amplitudo patrocinio libertatis beatorum deſtituitur.

IV. *Quarta ratio.* Liber eſt qui eſt ſui causâ, ex 1. Metaph.cap.2. Eſſe autem ſui causâ, ἑαυτοῦ ἕνεκα, non eſt pollere poteſtate actiuè indifferente, quæ eſt paſſim iactata liberi deſcriptio, ſed eſt, ad ſeipſum referri, & non ad aliquid extrinſecum. Et ea ratione Deus eſt liberrimus, quia ad nullum finem refertur. Creatura item, rectè operando libera eſt eodem modo, *quatenus etſi ad Deum referatur, non tamen tanquam ad aliquid externum, ſed tanquam ad id quod ſibi intimius eſt & magis proprium quàm quidvis aliud etiam quàm proprium & peculiare eſſe ſpecificum.* Fauus eſt ex autoris aluearí: qui inde infert, libertatem importare amplitudinem. Quæ enim alia eſſe perfectio poſſit, ſecundùm quam quis ad ſeipſum referatur, & ſibi ipſe verus legitimúſque finis fiat? Confirmatur, quia liberè agere dicitur, qui mouetur à ſeipſo & gratia ſui; nec formatur ab externis, ſed ex ſeipſo promit electiones ſuas: quod idem eſt ac ſi diceretur, liber eſt qui ad Deum obuertitur.

Reſpondeo. Quo ſenſu Ariſtoteles liberum dixerit eſſe ſui cauſa, ex contextu liquet. Probat eo loco Ariſtoteles, ſapientiam ſiue primam philoſophiam eſſe omnium ſcientiarum nobiliſſimam, quia *vt eum hominem liberum dicimus, qui ſui ipſius & non alterius gratia eſt: ita hæc ſola ex omnibus ſcientijs libera eſt, quòd ſola ſit*

ſui gratia. Ex his verbis liquet, libertatem de qua agit eo loco Ariſtoteles, non eſſe libertatem ſcholaſticam ſiue moralitatis fundatricem, ſed eſſe libertatem conditionis, (vt ſic dicam,) ſiue libertatem ciuilem, vt rectè notauit Dur. in 2. d. 24. qu. 3. num. 12. iuxta quam homo dicitur eſſe ſui gratia, negatiuè tantùm, quatenus ſcilicet non eſt obſtrictus alienæ voluntati, quod non habet qui ſeruus eſt, quia ſeruus eſt domini gratia, & ad eum vt ad finem poſitiuè refertur, quatenus ſeruus eſt. Itaque argumentum fundatum in loco Ariſtotelis allegato, eſt prorſus inane.

V. Sunt verò nonnulla quæ iure prætere a in eo argumento diſpliceant. Nam quod in eo aſſumitur, liberum propriè dictum conſtitui per excluſionem finis extrinſeci, inauditum ad hanc diem fuit, alioqui nihil eſſet propriè liberum infra Deum. Quòd autem homo eatenus ſit liber, quatenus ſit ſibimet ipſe finis, non modò falſum ac inauditum eſt, ſed etiam, (ſemota autoris mente, & ſumendo verba vt iacent,) blaſphemũ eſt. Deum enim gradu & ordine finis vltimi deiicere, idem eſt quod eum deitate exturbare, quę immanis eſt ac vltra omnem cumulum exaggerata improbitatis atrocitas. Non eſſet porrò Deus finis vltimus, ſi homo eſſet ſibi ipſe finis. Nec qui ſolidè pij, & iuſto titulo ſpirituales & contemplatiui audiunt, næniis illis friuolarum cogitationum diſtineri ſe ac paſci ſinunt, quod ipſimet ſint Deus, & idcirco cogitent factos ſe eſſe propter ſeipſos, quia ſunt facti propter Deum; ſed ſemper recogitantes paruitatem ſuam, permagno æſtimant noſſe, quoniam ipſe eſt dominus Deus noſter, nos au-

tem populus eius,& oues pascuæ eius. *Sana quippe opinione agimur*,inquit Eucherius in mellitissima ad Valerianum parænesi num.3. *vt eductos nos, sicut ab ipso, ita ipsi arbitremur. Vnde ille plenè magnificéque perspexit creatoris nostri in effingendo homine sententiam, quisquis ita intelligit, quod nos & ipse, & sibi fecit.* Est ergo omnino falsa,& prorsus explodenda ea libertatis propriè dictæ definitio, quæ amplitudini inædificandæ pro fundamento demittitur : Libertas est independentia à fine extrinseco. Sic enim homo,quem certum est à fine extrinseco dependere,liber non esset.

Si dicas independentiam mysticam homini iusto competere,ratione cuius liber dici possit,quatenus adhærens Deo transit in Deum, & vnus cum eo spiritus est; Occurram,essentias rerũ & quidditates metaphysicè consideratas,(vt hîc facimus libertatem,) non esse per huiusmodi mysteria exponendas : alioqui omnia ad typos & adyta reuocaremus, & nulla esset tam pinguis hæresis, quæ externam erroris professionem per verba inordinatissimè prolata, non posset similis alicuius mystici sensus interiùs latentis subdolo obtentu excusare. Quæ enim adeò inordinata & distorta locutio proferri poterit, quæ grauidari mysterio aliquo, & eatenus excusari non possit,si ista quæ(vt iacet) est hæretica, *homo est sibi ipsi finis*, mystico nescio quo sensu grauidetur,in quo Catholica habeatur, imò talis quæ ostentari debeat pro tessera spiritualitatis non vulgaris & eximiæ peritiæ diuinarũ rerum?Eo enim demum tendit affectatio illa mysticarum istiusmodi phraseon extraordinariarum, nec passim receptarum, hodie vi-

gens apud nonnullos. Adde quod tranſitus ille in Deum, cui independentia illa myſtica & in ſeipſum relatio comitatur, nullo modo, ac ne myſticè quidem, locum habet in illis imperfectis actibus quibus iuſtificationi peccatoris proluditur: cum tamen iam tunc actus illi ſint liberrimi & aliquatenus meritorij. Sed & in illo priori naturæ quo contritio vel amor perfectus antecedunt gratiam ſanctificantem, homo necdum tranſijt in Deum myſtico tranſitu, nec adhuc vnus cum eo ſpiritus euaſit, & tamen iam tunc potitur libertate. Vbi ergo tunc independentia, & ſui ad ſeipſum relatio, nouam libertatem conſtituens?

Confirmatio quæ ſubijciebatur, admodum infirma eſt. Quod enim moueri à ſeipſo tanquam à principio ſuimet determinatiuo, & domino actus ſui, quod eſt liberè agere, ſit moueri gratia ſui, & non propter aliud, eſt planè falſum: quandoquidem quiſquis rectè agit, liberè agit, & tamen non mouetur gratia ſui, ſed gratia honeſti, quod in obiecto attingendo propoſitum habet. Item quod promere electiones ſuas ex ſeipſo, idem ſit quod obuerti ad Deum, nulla nos hactenus dictionaria, noua vel antiqua docuerunt.

VI. *Quinta ratio.* Libertas non tollitur per neceſſitatem & immutabilitatem, (vt diſertè tradit Diu. Auguſtinus 5. Ciuit. cap. 10.) ſed per dependentiam & limitationem ab altero, quibus ſeruitus inducitur. Ergo independentia & illimitatio, vel quod idem eſt, amplitudo rebus creatis ſupereminens, conſtituit formaliter & quidditatiuè libertatem. Idque agnoſcunt, qui excuſare volentes libertatis carentiam cum culpam de-

precantur, dicunt, *Ignorans vel mei impotens feci*, testantes eo loquendi modo, se quidem ad aliquid amplius & eminentius contendentes, mentis obtenebratione & passionis æstu abreptos, fuisse deiectos deorsum; & ad inferiora deturbatos. Agnoscunt ergo qui eam deiectionem excusant, libertatem formaliter in amplitudine & eminentia, non autem in indifferentia sitam esse.

Respondeo. Libertatem non tolli per necessitatem aliquam & immutabilitatem, verè dicitur, & consentaneè D. Augustino. Nam præterquam quòd necessitas essendi & immutabilitas rectè cohærent cum libertate agendi aut non agendi transeuntes, vel terminandi aut non terminandi actum internum essentialiter infinitum ad obiecta externa finita; datur necessitas ex suppositione à nobis dependente, cui necessitati probè conuenit cum libertate. Et de hac expresse loquitur Diu. Augustinus loco citato, non autem de necessitate limitationis. *Non, inquit, si quod volumus, necesse est vt voluntate velimus, ideò inducitur necessitas quæ auferat libertatem.* Ea necessitas in Deo, ac suo etiam modo in nobis, coniuncta est immutabilitati. Nam id ad quod Deus semel se determinasse intelligitur, fixum immutabiliter est, quia apud Deum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; læderetúrque summa puritas diuina, si in Deo abiectionem determinationis semel positæ & nouæ subitionem agnosceremus. In nobis item, quia quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse, determinatio semel posita ex quo posita intelligitur, pro eo tempore pro quo eam ponimus,

induit immutabilitatem, ne contradictoria ſint ſimul vera, quod nulla vi effici poteſt. At neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente, (id eſt non poſita per voluntatem eius cui aduenit ſed aliunde,) libertatem peſſundat. Et idem eſt de immutabilitate actus; qui ne quoad terminationem quidem fuerit indifferens, priùs natura aut ratione quàm terminaretur ad aliquid. Huius neceſſitatis & immutabilitatis excluſio per veram libertatem, quid conferat ad probandum libertatem ſitam eſſe in amplitudine rebus creatis ſupereminente, adhuc veſtigo.

Quod item in confirmatione huius rationis addebat autor, nimirum eos qui vi aut ignoratione aliud voluerunt, quàm ſcientes ac ſui compotes vellent, deprecentur deturbationem deorſum, & defectum amplitudinis, hactenus mihi incompertum eſt & inauditum: Sed quotidianum eſt audire in eo euentu, deprecantes determinationem ab extrinſeco per vim illatam; vel præcluſam obſtructa ſcientiæ luce poteſtatem ſe determinandi, vnáque libertatem. Et hoc ſecundum excuſaſſe Æſchylum in grauiſſimo diſcrimine conſtitutum, alios verò ob adactionem prius illud excuſare, autor eſt Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 1. & ibi omnes interpretes.

VII. *Sexta ratio* ab autore proponitur lib. 1. cap. 9. num. 6. *in fine*, poſtque veluti fructus alterius probationis, qua longo ratiocinationum & verborum ductu confirmat, dari libertatem circa finem vltimum, ſiue Deum. Sic igitur argumentatur. Homo viator ſua circa Deum interiori occupatione meretur. Ergo illa

eius occupatio libera est, nullum quippe meritum absque libertate. Atqui in actu circa Deum, non potest cerni indifferentia. Vel enim. 1. cerneretur eo quod homo agat circa Deum præuia deliberatione; aut. 2. ob impotentiam prorogandi aut simpliciter ponendi actum circa Deum; aut. 3. ob dominium summum hominis in actum suum circa Deum. Nullo autem horum modorum potest indifferentia habere locum, in actu nostro circa Deum. Non enim primo, quia de Deo & eius amore deliberatio suscipi nequit sine peccato, vt proinde deliberatio de vitæ statu inita, etiam si pro Deo potiùs quàm pro seculo litem dirimat, non sit culpæ expers, vt autor expressè ait num. 7. addens nullam conuersionem ad Deum esse legitimam, nisi quæ consilia nostra & cogitationes anteuertit. Pręterquàm quòd deliberatio circa ea versatur in quibus seruari debet modus aliquis: at circa Dei amorem, nulli mensuræ aut modo locus est. Igitur Dei amor non consilio & electione suscipitur, neque is potest esse fons indifferentiæ in tali actu. Quem etiam liquet non posse statui indifferentem ratione impotentiæ & imbecillitatis nostræ, quæ operationem inhibet potiùs quàm eius libertatem promouere & fundare possit. Vnde excluditur secundus modus quo indifferentia statui posset in nostro circa Deum actu. Tertius denique modus excluditur; quia homo cum Deo tanquam Domino subsit, non habet dominium actus sui nisi Deo subordinatum, proindéque ea rubrica dirigi inter agendum debet, eamque semper habere propositam interuentu consultationis & deliberationis. At hæc non habet lo-

cum quoad actum circa Deum. Neque igitur dominium illius actus competit homini. Quid quod homo viator tenetur irrequieto motu in Deum tendere, ita vt si potens ac prudens vel tantillum ferietur, rectitudine excidat? Hæc autem tam arcta tamque vrgens & iugis obligatio Deum amandi, non cohæret cum dominio in illum actum. Quod denique excluditur, quia non dominamur actibus nisi ratione obiectorum, cum actus non sint res subsistentes, quarum duntaxat est subesse alterius dominio, & premi seruitute. At Deus qui illi actui objicitur, non potest fieri obnoxius dominio nostro. Ergo neque actus ipse. Ex hac ramosa & per plures paginas expassa ratiocinatione, infert autor num. 6. *in fine*, dari veram & propriè dictam libertatem absque omni indifferentia ac superiorem libertate contradictionis. Ita enim putat perspicuè cerni in actu nostro circa Deum, qui meritorius est ac proinde liber, nec tamen elicitur cum indifferentia. Eam autem libertatem propriè dictam, superiorem libertate contradictionis, autor vt clarum supponit, non aliam esse quàm amplitudinem. Vnde tamen habetur quod hîc quærimus, nempe veram libertatem, essentialiter sitam esse in amplitudine.

VIII. Respondeo, labare omnino amplitudinem tam ruinoso & pessimè materiato fundamento inædificatam; cum tam multa & falsa & inaudita assumantur in discursu proposito, vt indubitatum sit, amplitudinem eo subnixam non posse consistere. Aio igitur, nos hîc circa Deum liberè versari atque mereri. Idcirco autem liberè versari, quia versamur cum indifferentia, id est,

id est cum potestate agendi vel non agendi. Eam porrò indifferentiam aut potestatem obtinemus, quia dirigimur notitia vniuersali & indifferente, qua non tantùm agnoscimus quid boni sensibilis in abiectione Dei occurrat, sed etiam quid boni honesti in Dei amore cernatur. Ea enim notitia nobis prælucente, possumus in bonum illud quod non plenum ac purum sed difficultatibus admixtum ac mancum proponitur, non ferri si lubeat, vel certè ferri. Consultissimè tamen deligimus ferri, & bono adhærere, spretis illecebris boni sensibilis, quod cum bono honesto collatum, inuentum est minus habens. Itaque indifferentia locum habet circa Dei amorem, formaliter quidem, quia homo dominus est actus illius. radicaliter autem, quia consultatio proposuit illum vt indifferentem, ac talem qui & elici & refugi posset Ex quo apparet, è tribus illis inuehendæ indifferentiæ modis quos autor proposuit, extremos duos, reuera duos non esse, sed vnicum.

IX. Sunt verò non pauca quæ iure improbentur circa ea quæ de duobus illis modis autor protulit. Ac primùm, quod nulla de Dei amore consultatio institui queat, nec possit Deus ex electione deliberationem præuiam subsequente amari, est plenè falsum, & contra progessum quem in modo agendi humano, natura duce tenemus. Omnem sane actum humanum ex deliberatione præuia elici, nemo planè est Theologorum qui non affirmet. Petrus Bergomus in tabula aurea. V. *actus*, num 126. signat duodecim D. Thomæ loca quibus hoc disertè affirmat. Vel ergo actus amo-

ris Dei non est humanus, atque adeo neque moralis, vel fit ex deliberatione, & tamen peccato vacat. An verò peccauit S. Susanna, cum in grauissimo aut vitæ, & famæ, aut certè peccandi discrimine constituta, librauit vtriusque partis momenta, & consultationem clausit in honestatis ac pudicitiæ fauorem, dicens, *Angustiæ mihi sunt vndique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Danielis 13. An ad peccatum sollicitauit Elias 3. Reg. 18. cum nutantibus in veri Dei cultu Israëlitis, autor fuit, vt Deum & Baal componentes, viderent attentè, vtri digniùs & vtiliùs obsequerentur? *Vsquequo*, inquit, *claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini illum.* Id est, expendite, & non oscitanter examinate, an non vobis sit conducibilius ac melius, Deo adhærere, qui vos innumeris sibi obstrinxit beneficijs, & maiorum ac æternorum spem ostentat; an Baali, qui vobis hactenus probro & cladi, tandémque exitio erit sempiterno. An denique ad peccatum inducunt Concionatores & Confessarij, quibus nihil familiarius est, quàm vt peccatores excitent ad considerandum quanta sit bonorum sensibiliū caducitas, quàm turbida & fœculenta voluptatū inde captabiliū suauitas; quámque sit melius guttam suauitatis tot malis infossam abijcere, quàm priuari bonis purissimis, plenissimis, æternis; vt libratis vtrisque bonis, hæreant in verè bonis, à fluxis verò & impuris auertantur?

X. Falsissimum ergo est, quod autor ait, peccatores

in huiuſmodi libratione peccare; quin potiùs ſi rectè & accuratè librarent, non peccarent: quia omnis peccans, eatenus ſaltem eſt ignorans, quatenus non benè æſtimat momenta rationum à malo auertentium, ſed ea tantùm apprehendit, ſicut ebrius carmina Empedoclis, quæ eſt Philoſophi in hanc rem comparatio; id eſt tenuiter admodum & valdè perfunctoriè de eis cogitat, nec ea librat accuratè & diligenter: Vnde imponi ſibi patitur à faſcinatione nugacitatis obſcurante bona, ceditque rationibus partis oppoſitæ, ineſcantis voluntatem ad proſecutionem boni ſenſibilis. Falſiſſimum item eſt quod autor ait, peccatorem cum poſt librationem rationum vtriuſque partis, in fauorem Dei litem dirimit; aut deliberantem de vitæ ſtatu, cum præeligit abiectionem ſeculi & Dei obſequium, peccare in ea electione, quia fruitur vtendis & vtitur fruendis, quod autore D. Auguſtino, peruerſum eſt atque præpoſterum. Verùm quis poteſt eſſe fons malitiæ, eam electionem ex obiecto ac circumſtantijs optimam inquinantis? Non enim homo ſic eligens, alium ſibi finem præfigit quàm Deum, habens è contra Deum pro medio, quem præpoſterè ad aliud aliquid referat vt ad finem, in quo ſitus eſt inordinatus ille vſus fruendorum, & fruitio vtendorum à D. Auguſtino damnata; ſed quod ordinatiſſimum eſt, creaturas Deo aptat, illiſque præponit diuinum cultum, atque adeò etiam ipſum Deum.

Itaque concluſionem quam ex prætenſa in eo procedendi modo, fruitione vtendorum, & vſu fruendorum his verbis infert autor num. 7. *Nulla eſt legi-*

tima conuersio ad Deum, nisi quæ consilia nostra & cogitationes anteuertit; hanc inquam conclusionem, si mea esset, obductam vellem non atramento sed limo. Funditus enim tollit liberam conuersionem, quæ quamuis ex diuino seminio notitiæ & suauitatis indeliberatæ ortum habeat, tamen planè libera est, nec hominis consilium & cogitationem anteuertit, sed efficitur operante homine secundùm consilium voluntatis suæ. Omitto quàm solidè ac purè autor, libertatis in conuersione laudem extenuans, addat; operationem hominis esse gratiæ operationem, quæ nostra fiat, lenta & sensim procedente nostri à creaturis retractione; ita vt nostra conuersio sequens, comparetur ad eam gratiæ operationem, vt obex, non vt pars. Quomodò operatio gratiæ priùs non nostra, fit postmodum nostra? Operatio enim à nobis simul & à gratia vno impetu prodit; nec per eam paulatim à creaturis retrahimur, sed vt plurimum perbreuis est, & raptim transit, estque ipsa auulsio à creaturis & accessus ad Deum. Magis etiam lubricum est, quod dicitur, eam conuersionem prout à nobis prodit, esse obicem operationis gratiæ, non partem actus. Quomodò enim est obex, si est ipsemet effectus gratiæ liber & meritorius, qui voluntate refragante non poneretur?

XI. Quod prætereà circa primum illum excludendæ indifferentiæ fontem statuebat autor, nempe non posse de Deo iniri deliberationem quia amandus est sine mensura & modo, reijciendum est. Nam quamuis virtutes Theologicæ quibus Deus attingitur, ex parte obiecti non sint in medio, tamen ex parte actus me-

diocritatem suscipiunt; sine qua, prosecutio obiecti tametsi secundùm se honestissimi, vitiosa est. Et absque dubio, qui vellet in Deum de autoris consilio sine modo ac mensura ferri, immemor aut negligens, quid valetudo, quid aliæ hîc curæ, & proprium cuiusque munus ferat, vitiosè ageret, nec actū amoris in Deum eliceret, vtcunque ipse sibi abblādiretur de legitimi ac non ementiti amoris formatione in eo euentu. Videsis quæ de hoc Theologicarum virtutum medio attigi lib. 1. de virt. num. 36. cum Scoto, Gabriele, Durando, Angesto. Perperam igitur autor diffitetur actum amoris circa Deum, posse ex deliberatione elici, eo quòd Deus sit sine mensura ac modo amandus. Quanquam etiamsi ita esset, adhuc superesset locus deliberationi, qua concluderetur esse ei obligationi satisfaciendum, cum posset ei non satisfieri, si homo nollet, quamuis non satisfaciendo peccaret.

XII. Iam quod attinet ad illum alium indifferentiæ fontem ab autore obstructum, nempe dominium in actum, ego quidem illud non agnosco pro fonte indifferētiæ, quia censeo indifferentiam actiuam de qua hîc est sermo, & dominium in actum, esse prorsus idem. Tantum verò abest, vt hoc dominium nobis eripi possit circa actum amoris in Deum, (quod autor idcirco contendit quia talis amor est actus indeliberatus,) vt potiùs è contra statuendum sit, nos dominio in huiusmodi actum potiri, quia vt proximè constitutum est, eum elicimus deliberatè & interposita consultatione; quam esse euidens signū dominij in actum, egregiè probat Nemesius lib. de hom. cap. 40. Sanè do-

minium in actum, nihil aliud est quàm potestas profundendi illum vel non profundendi pro libito; hoc enim est plenè disponere de actu, quæ est dominij germana notio. Et quamuis dominari sit subsistentium, tamen subesse dominio, non est tantùm subsistentium, vt autor malè assumit. Multorum quippe accidentium domini sumus, etiamsi accidentia non subsistant. Nimirum idcirco subsistentium duntaxat, imò non nisi personarum est dominari, quia dispositio illa plena siue vsus perfectus rei sub dominium cadentis, supponit rationem vtentis ac disponentis, ratio autem non nisi personis atque adeò rebus subsistentibus competit. At subesse dominio siue dispositioni alterius, nihil tale exigit. Ergo possumus esse actuum domini. Neque ad id necesse est vt obiectis actuum dominemur, (vt verè non dominamur Deo, qui est nostri erga ipsum amoris obiectum,) sed satis est vt tendentia in obiectum sit in nostra potestate, possimúsque de ea disponere pro libito. Tandem quod autor dominium nobis eripit amoris nostri erga Deum, eo quòd homo viator semper & irrequietè debeat in finem tendere, & peccet si potens ac prudens cesset ad Deum properare, nulla ratione verum est. Actus namque charitatis, indicitur præcepto affirmatiuo, cuius non est tam arcta tamque vrgens obligatio ac negatiui præcepti, quod vrget semper & vbique. Itaque passim DD. agentes de actu charitatis, assignant stata tempora quibus quis obligetur tendere in Deum per amorem. Et qui omnium maximè hanc obligationem diffudit Scotus in 3. d. 27 qu. vnica ad 3. § *quantum ad se-*

cundum, neminem vrsit ad semper & irrequietè amandum Deum, sed tantùm astrinxit ad amandum festis ac dominicis diebus: in quo tamen passim deseritur, vt videre est apud Sanchem lib. 2. in decal. cap 35. Esset verò onus planè importabile, & iugum supra vires nostras graue, ita vrgeri ex obligatione ad perpetuò amandum. Quare quamdiu validum tantæ & tam duræ obligationis fundamentum non profertur, eam pro nulla habemus. Et quamuis eam agnoscere placeret, nihil tamen inferretur ad eripiendum nobis dominium amoris de quo agimus. Etsi enim astringeremur semper & irrequietè amare, ídque non præstando peccaremus, tamen eo ipso monstraremus nos esse illius nostri actus dominos; quippe quem non obstante obligatione eum ponendi, vellemus prætermissum.

Quare omnis illa substructio ratiocinationis aduersarij pessum it; concluditúrque posse Deum cum indifferentia amari, quamuis si lex amandi tunc vrgeat, & homo ferietur, peccet sic abstinendo operatione quam elicere tenebatur. Hoc autem sic constituto, ruit fundamentum amplitudinis ductum ex actu libero non indifferente; eáque libertas, libertate contradictionis superior quam autor inuehebat, euanescit.

CAPVT X.

Quæcunque autor nouæ sententiæ aduersus vulgò receptam & antiquam libertatis notionem intorsit, tela imbellia esse, sine ictu.

I. T appareat nullo iure aduersarium abiecta antiqua sententia nouam adamasse, retundenda sunt tela quibus ille veterem & longè communissimam sententiam appetijt, vel eo sanè nomine magni faciēdam, quod vt ille scitè dixit, *magnum veritatis indicium est, aliquid omnibus videri.* At ante autorem, placuisse omnibus sententiam quam tuemur, est extra controuersiam, & ex supra dictis liquet.

Quantum autem ex non indiligenti autoris peruolutatione compertū habeo, omnia eius argumenta eò pertinent, vt receptæ ac vulgares libertatis notiones, falsitatis reuincantur. Notiones dico, non quòd multiplex sit libertatis quidditas, sed quòd vna cum sit, à nobis tamen penes varia connotata, aut per varias analogias; multipliciter exprimitur vt notaui in Moral. dist. 2. num. 4 quo loco varias illas liberi principij expressiones à variis DD. vsurpatas retuli, & in idem reipsa recidere monstraui. Sunt verò ferè quæ sequuntur. 1. Principium liberum est, quod positis omnibus ad agen-

ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere, aut certè agere oppositum. 2. principium liberum est principium actiuè indifferens. 3. libertas est causa sui ipsius determinatiua, siue motiua in alterutrã partem. 4. libertas est facultas actus sui domina. Has principij liberi expressiones impugnat autor varijs locis, è quibus deprompta argumenta fideliter hîc exhibebo, & diluam.

Prima libertatis descriptio, per agendi & non agendi potestatem, quomodò ab aduersario impetita.

II. Argumentatur ergo aduersarius contra primam descriptionem propositam, quam ait esse paucorum recentiorum, nec tenuiter in eius autores concitatur lib. 1. cap. 32. num. 9. *quòd*, vt ait, *non erubescant illam omomnibus alijs præponere, cum nulla fortè ei non sit anteferenda.* Queritur autem de longo in ea verborum circuitu, cum potuisset vno verbo cum D. Thoma 1. p. q. 83. artic. 4. dici, libertatem esse *vim electiuam*. Quærit magno animi sensu, quid in illa recentiorum definitione deprehensum sit ab eis, propter quod ab illa alia quæ præstat & breuitate, & autoris dignitate, & perspicuitate discedere debuerint. Contestatur & vrget ad ingenuè confitendum quod est; nempe vitari ab eis illam à D. Thoma prolatam causæ liberæ definitionem, ne cogantur cum D. Thoma 1. p. q. 62. artic. 8. ad 3. addere illas particulas *seruato ordine finis*, quibus vniuersum arcanum doctrinæ de libertatis formalis consti-

tutione per amplitudinem continetur.

Hanc ergo definitionem tot primùm probris appetitam, his deinde plagis conficit. Primò qui ita definiunt libertatem, conuincuntur definire liberum in ea latitudine qua peccandi potentiam comprehendit; cum in ea definitione non contineatur ordo ad finem vltimum, sine quo includitur peccabilitas, quam autor sub omni interminatione à libertate exclusam vult. Deinde qui ita definiunt, *incidunt*, vt ait, *in absurdum insigne, & ridendum magis quàm refellendum*; nempe quòd homo qui actu agit, cum agit, non agat liberè, sed libertas sit tantùm respectu futurorum actuum non præsentium. Nam priusquàm quis agat, non agit, ideóque nec liberè agit. Quando autem agit, eo ipso quòd agit, non agit liberè, quia non potest non agere, quod libertate per eam definitionem expressa importatur. In hoc absurdum se induisse recentiores, affirmat autor, ob non satis penetratam libertatis definitionem à S. Thoma traditam, qua libertas fundari dicitur in adhæsione ad finem, & recessu à medijs, quæ adhæsio ac recessus, locum habent etiam cum agimus. Grauius est quod tertiò opponitur ex ea libertatis vulgari definitione sequi; nimirum gratiam minuere libertatem, gloriam verò eam prorsus consumere, quia gratia nos subijcit Deo; gloria autem efficit, vt non possimus non agere quando regula actionem indicit. Opponitur quartò, iuxta illam definitionem, sequi, refugiendam esse gratiam, eíque omni conatu obsistendum, cum inualescendo obscuret & minuat potentiã agendi & non agendi, atque adeò libertatem. Postremò

opponitur, eam libertatem non esse à Deo: neque enim ab eo esse potest peccandi potentia quæ tali libertatis definitione describitur. Concluditur autor num.16.hæc esse absurda quæ apertè consequuntur ex proposita liberi definitione, eam rursus in exitu flagellans, quod liberum statuat inalligatum Deo, & ab eius operatione independens.

Defenditur.

III. Mihi inprimis hæc exagitatio definitionis propositæ æquè videtur in omnes propè reliquas libertatis definitiones cadere, erga quas tamen aduersarius mitior esse voluit. Deinde quòd eam definitionem paucorum recentiorum esse ait, indiligentiam suam in autorum lectione prodit. Vnum supra viginti autores optimæ notæ quibus ea definitio placuit, recensui in Mor.dist.2. num. 76. quibus præiuerat Nemesius lib. de hom. cap. 35. Et addendus est qui postea prelo subiectus fuit, Gamachæus 1. 2. quæst.13.cap.3.& 4. omnium optimam eam definitionem pronuncians, quem aduersarius agnoscit præceptorem, sed maluit esse discipulus super Magistrum. Item addendus est in quem postea incidi, Alexander Aphrodiseus lib.de fato, referente Iulio Sirenio lib.3.de fato cap. 27. *in fine.* Præterea addendus est Capreolus in 1.d.38.quæst.1.art.2.& expressissimè ibid.dist.6.quæst.vnica art.3 *ad argumenta Scoti contra quartam*, vbi monet descriptionem liberæ facultatis à S.Thoma vsurpatam, recidere in istam. Item addendi sunt prædictis, Adam in 1.dist.1.qu.6.ar-

tic.1. & Gregor. in 1. dist. 10. quæst. vnica artic. 2. & eadem dist. Rubionius quæst. 2. ac in 2. dist. 25. quæst. 2. artic. 1. Fuisse suo tempore receptissimam in scholis hanc definitionem, testatur Victoria relect. de puero quæst. 1. propos. 3.

Verborum circuitus quem autor in ea definitione culpat, tantus non est, vt in plerisque receptissimis definitionibus multo vberior non feratur. Quòd autem D. Thomas libertatem definierit duobus verbis, dicens esse *vim electiuam*, gratis dato quòd ea verba apud Diu. Thomam contineant definitionem libertatis, non multum iuuat causam aduersarij. In primis quia ipse eam Diu. Thomæ definitionem non solet proponere; sed aliam, & hac D. Thomæ, & ea quam ipsemet hîc impugnat, multo copiosiorem; hanc nimirum; *libertas est quæ nullis finibus coarctata, in summa versatur amplitudine, quia Deo adhæret, & creaturas non spectat seruato ordine finis*. Et deest tamen libertatis genus, quod definitionem iam satis prolixam, plus adhuc produceret. Deinde breuitas in ea quæ tanquam D. Thomæ profertur definitione duabus contexta vocibus, obscuritate offunditur, iuxta illud Isidori Pelusiotæ lib. 2. epistol. 226. *breuiter dicere volo, quod perspicuè eloqui nolo*. Neque enim satis intelligitur libertatis ratio ex eo quòd eligat, præsertim cum electio non sit adæquatus actus libertatis, detúrque intentio libera. Quid quòd ea definitione non exprimitur ordo ad finem, quem dimisisse, aduersario piaculum est? Nec dici potest eum ordinem ipso *electionis* nomine importari; nam potest dari libera electio spectans finem malum & inde-

bitum, in qua non seruabitur ordo ille ad capessendum finem vltimum. Quare est quod aduersarium vrgeamus nos quoque, ad profitendum ingenuè, cur & quomodò, tam intrinsecam libertati particulam in illa libertatis definitione quam approbat, missam fecerit. Satis de probris & querelis.

IV. Primo vulneri facilè medemur. Quod enim autor ait, nostra libertatis definitione comprehendi potentiam peccandi, tantum abest vt reprehendendum fuerit, vt potiùs censeamus absque periculo aliter dici non posse. Et præter ea quæ superiùs cap. 4. circa hoc disputata sunt, alia in hanc rem ex S. Thoma adducit Aquarius in 2. dist. 24. conclus. 6. qua statuit libertatem esse potentiam indifferentem ad bonum & malum morale, sicut intellectus est potentia indifferens ad verum & falsum.

Secundam plagam obducimus, fatendo qui liberè agit, tunc esse liberum cum agit, non ante. Nec refert, quòd cum agit non possit componere non actionem cum actione. Satis quippe est, quòd actio quæ ponitur non nisi dependenter ab eo ponatur, qui potuisset in priori naturæ eam non ponere. Diligentiùs hoc enodaui in Mor. dist. 2. num. 354. & seqq. & egregiè Scotus in 1. dist. 39. *litera F*, ac Soncinas 9. Metaph. qu. 17. Itaque extricamur magno illo & insigni absurdo, ridendo potius quàm refellendo, quod aduersarius nobis impingebat. Viderit verò ipsemet, quomodò eo se magno absurdo liberet, nec se ridendum potiùs quàm refellendum propinet. Nam indifferentiam illam ad plures actus ex qua hoc insigne absurdum

oriri hîc dicit, ipse lib. 1. cap. 30. num. 10. fatetur in creatura rationali habere locum, quamuis neget pertinere ad libertatis rationem. Vel ergo reperitur ante actionem tantùm, vel cum ea ponitur. Vtrumuis dicatur, retorquetur argumentum aduersarij, eíque occinitur, *Medice cura teipsum.*

V. Tertiæ & quartæ plagæ, medela fiet eadem opera; negando scilicet, cum gloria superstitem esse libertatem ad amandum Deum, quod aduersarius falsò supponit. Item negando, libertatem minui per gratiam, eíque proinde esse obsistendum. Gratia enim nullo modo libertatem minuit, siue ad bonum siue ad malum, quia in promptu homini est diuinam gratiam abijcere eíque dissentire: Idque qui inficiatur, anathemate percellitur in Tridentino sess. 6. can. 4. Denique quòd libertas hac definitione descripta, non sit à Deo, falsum est. Deum quippe, potentiæ peccandi autorem esse, monstratum copiosè est superiùs.

Quare definitio proposita, optima est & vndecunque sana. Quia verò explicatissimè & aptissimè proponit quod est libertati maximè intrinsecum, nempe indifferentiam actiuam, meritò alijs omnibus præferri potest: contra quàm visum est aduersario, eam supra omnes deprecianti. Et meritò id faceret, si verum esset quod ipse extremos ei calces illidens dixit, nempe liberum arbitrium in ea definitione statui à Dei operatione independens. Sed hæc tam pinguis calumnia est, vt ridenda sit potiùs quàm refellenda, & ob quam meritò autori illud impingamus ex Augustino 16. contra Faust. capite 26. *ô hominem cogitantem se dictorem,*

& alium non cogitantem contradictorem.

Impetus aduersarij contra secundam libertatis descriptionem per indifferentiam actiuam.

VI. Argumentatur præterea aduersarius contra secundam libertatis definitionem quæ dabatur per indifferentiam actiuam. Quo nomine intelligit indifferentiam ad plures actus, indéque reijcit huiusmodi definitionem lib.1. cap.24. num.3. quòd iuxta eam, homo non esset liber cum agit, sed tantùm cum est in procinctu ad agendum, atque adeò non esset liber nisi respectu actus futuri qua futurus est. Nam indifferentia ad actus, nulla est in eo qui actu agit, sed in eo tantùm qui acturus est cum potestate non agendi. Qui enim agit, iam non est indifferens, sed determinatur ad agendum. Deinde vt autor addit eodem lib.1. cap.30. num.10. diuina libertas quæ prima est ac perfectissima, nullam talem actuum indifferentiam admittit: exscinderet enim simplicitatem. Ergo neque ad creaturæ libertatem pertinet, quamuis in creatura reperiatur ob potentialitatem eius. Certè si daretur creatura ita perfecta, vt vno solo actu varia obiecta attingere posset successiuè, (quod aduersarius negat demonstrari posse impossibile,) liberè circa varia illa obiecta versaretur, absque vlla tamen indifferentia ad actus. Quid quòd creatura, quo ad Deum magis accedit, eo est perfectior ac liberior, & tamen minus in actuum varietatem effunditur ob maiorem à potentialitate elongationem,

& accessum maiorem ad Deum, in quo quæ alibi dispersa sunt, vnitissimè conserta inueniuntur? Præterea indifferentia libertatem constituens, vel est dominiú, vel eius radix proxima. At dominium spectat obiecta non actus. Est enim planè impertinens ad dominium libertati intimum, quod vno vel pluribus actibus attingamus obiecta. Postremò indifferentia ad libertatem pertinens, non est ad plures actus positiuos, sed tantùm ad agendum & non agendum, & quidem seruato ordine finis; quæ eadem est cum indifferentia ad obiecta, quam solam in nostra libertate agnoscit aduersarius.

Repellitur.

VII. Huius arietis primus impetus proximè retusus est. Monstraui enim libertatem & indifferentiam actiuam saluam esse, etiam cum homo agit, eo quòd sublatio indeterminationis ab ipsa voluntate deriuetur, non aliunde. Quod additur de diuina libertate pluralitatem actuum excludente, verum est. Sed nego libertatem diuinam sufficienter exponi per indifferentiam terminationis simplicissimi actus diuini ad varia illa obiecta. Nego præterea libertatem creatam exponi eodem modo debere quo diuinam. Nam ob potentialitatem & finitatem actuum nostrorum, vnicus actus noster nequit terminari ad plura obiecta adæquata. éstque id tam impossibile ob specificationem actus creati penes obiectum quo actum semel constitui & specificari contigerit, vt mirum sit quomodò aduer-

aduersarius non agnouerit repugnare, vt idem actus finitus versetur successiuè circa varia obiecta; indéque argumentatus sit ad libertatem in sola obiectiua indifferentia collocandam. Actus quidem primus voluntatis nostræ, vnus & idem planéque immutatus, indifferens est ad varios actus elicitos profundendos, iure & priuilegio causæ liberæ; sed non hîc agimus de determinatione formali, & in actu secundo, quæ longè arctior est, quia actus per vnum obiectum quod semel attigit, constituitur vltimò, ita vt nequeat vlterius ad alia excurrere. Nego denique consequenter, creaturam quo in pauciores actus potest erumpere eo esse liberiorem, cum eo ipso versatilis eius natura restringatur, tollaturque facultas exporrectionis ad plura, quæ omnino est interna libertati. Ea enim exporrectio postulat plures actus in hominis dominio positos. Mirum verò est huiusmodi dominium actuum ab aduersario negari, cum tamen primum dominium nostrum, in actus quos profundimus vel inhibemus exeratur, sitque illud in plures actus dominium, essentiale libertati vt infra dicam. Nomine porrò plurium actuum quos libertatem creatam respicere dico, non intelliguntur tãtùm actus positiui, sed etiam cessatio libera ab actu, quæ vt circa voluntarij definitionem annotabam in Moral. dist. 2. num. 33. habetur pro actu. Itaque corruit quod aduersarius postremò obijcit, de libertate non plures actus, sed actum & eius negationem respiciente, & quidem seruato ordine finis, non aliter.

VIII. Hinc vides indifferentiam obiectiuam quam solam autor libertati essentialem agnoscit, longè

aliam esse ab ea indifferentia obiectiua penes quam Bannes & Zumel adducti in Natur. Theol. dist. 8. nu. 76. & in Moral. dist. 2. num. 86. exponunt libertatis quidditatem. Hi enim nomine *indifferentiæ obiectiuæ*, intelligunt mancam hîc, & non plenam obiectorum quorumcunque bonitatem, ratione cuius & à voluntate adamari possunt ob modulum aliquem boni quo potiuntur, & repudiari ob plenæ bonitatis defectum, vel etiam mali cum bono illo diluto permistionem, quæ verè est radix libertatis. Vt proinde tantùm hallucinati sint Bannes & Zumel, quia radicalem libertatem assignarunt pro formali. At autor, nomine indifferentiæ obiectorum, intelligit capacitatem vt admittantur vel dimittantur, prout finis vltimi ordo tulerit. Vnde non agnoscit eam indifferentiam nisi in obiectis honestè appetibilibus, nec nisi in obiectis creatis quæ sunt media ad vltimum finem, quorum neutrum aliis illis Doctoribus probatur.

Cæterùm indifferentia actiua absolutè dicta, nec restricta ad agendum vel non agendum seruato ordine finis, quam autor hoc loco tanto impetu quatit, & libertati extraneam monstrare contendit; ab eodem tanquam ad libertatem spectans admittitur lib. 1. cap. 19. num. 2. quæ constantis doctrinæ laus est autori per quàm familiaris.

Libertatis descriptio tertia, per sui motionem ac determinationem, impugnata.

IX. Tertiam vulgarem libertatis notionem per de-

terminationem & motionem sui ipsius, latè explicat & confirmat Ægidius quodl.3.qu.16. & benè omnino Henricus quodl.12.qu.26. & 27.& quodl. 9.qu.5. & quodl.11.qu.6.& 7.ac etiam Scotus in 2 dist.25. quæst. vnica, *litera* S. Eam quoque ex D. Anselmo eruit S. Bonau. in 2. dist.25. artic.1.qu.1.num.12. & planè germanam esse, ac libertatis propriam, notat Angelus cap.1. moral.textu 2.conclus. 2. Impugnat autem eam autor lib 1 toto cap.14. contendens finem vltimum sufficientissimè se solo determinare voluntatem, vt proinde dici non possit, hominem à seipso determinari ac moueri Malè quippe sonare dicit, asserere finem vltimum esse insufficientem ad determinandam voluntatem, nisi adiungatur ipsius voluntatis determinatio. Vel enim illam vltimi finis insufficientiam supplemus in genere finis; sicque præter iniuriam diuinæ bonitati plenissimæ & ad mouendum sufficientissimæ irrogatam, omnis intentio deberet ferri non tantùm in Deũ sed & in nos, indéque inquinari & vitium trahere. Vel eam vltimi finis ad determinandum insufficientiam supplemus efficienter: sicque agens creatum, esset primum mouens, nec subordinaretur planè & integrè fini vltimo: prout enim insufficientiam vltimi finis suppleret, eodem cum illo esset gradu, eique quasi collaterale. Vnde Deus non esset agente secundo superior; nec verum esset, omne planè agens creatum à fine moueri, contra receptissima principia. Accedit 2. quod causalitas vltimi finis est intentio. Quod si loquimur de ordine gratiæ in quo Deus secundùm se habet rationem finis vltimi, causalitas illius est amor Dei, siue

conuersio ad Deum, quam omnes planè Theologi cum S. Thoma 1.2. qu.109. artic.6. dicunt fieri à Deo in nobis sine nobis, ac proinde determinamur à Deo ad illam. Notatque autor id negari non posse, idem de quacunque intentione tradens num.7. Conuersio autem cum sit intentio efficax & perfecta, infert vi sua electionem mediorum conuenientiorum ad finem. Itaque finis vltimus non tantùm in ordine ad seipsum, sed etiam in ordine ad media se solo determinat nos in suo genere, idque absque libertatis oblęsione, cum electio quæ media spectat, sit præcipuus liberi arbitrij actus. Præterea 3. omni fini correspondere debet agens quod æquè latè pateat, quia secundùm ordinem finium est ordo agentium. Cum ergo libertas creata nequeat excludere dependentiam à primo mouente, nequit etiam excludere dependentiam à fine vltimo: præsertim cum primum illud mouens, nunquam moueat nisi conuertendo ad se. Ergo verè libertas nostra illæsa & integra, à fine vltimo determinatur, & mouetur per traductionem à potentia ad actum: (quod est ab eo fine dependere in suo esse,) & per dependentiam operationis suæ cuiuscunque ab eodem fine. Quare concludit autor, causam liberam creatam cum à Deo ita dependeat, eatenus tantùm dici posse se mouere, quod independentiam sonat, quatenus finis vltimus à quo mouetur, est summum ac proprium eius bonum, à quo proinde cum mouetur, à seipsa moueri dicitur. Et eatenus quoque libertas creata mouetur à seipsa vt ab agente, quia virtus actiua ex qua causa secunda ad agendum procedit, est finis præconceptus &

intentus, præexiſtens in illa tanquam proprium eius bonum. Iterat hæc autor euoluitque pleniùs lib. 2. cap. 14. num. 2.

Propugnatur.

X. Hîc primùm autoris conſtantiam deſidero. Nam de libertatis ratione eſſe, vt ſeipſam determinet, admittit lib. 1. cap. 24. núm. 1. & lib. 2. cap. 5. num. 5. fatetur id verum eſſe de libertate creata. Hîc verò omnia alia tradit. Deinde doctrinæ communis impugnatio, præter multam implexitatem & pleraque ad rem non pertinentia ſcatet paradoxis.

Et in primis obſcurũ eſt, quorſum autor de motione finali hîc ſermonem miſceat, cum D D. contra quos agit, tractent de ſola motione & determinatione effectiua: hæc enim eſt, quam libertati tribuunt, non motio finalis. Deinde nemo inquam adeò fungus fuit Philoſophorum aut Theologorum, vt cauſæ liberæ à Deo independentiam in genere finis voluerit aſſerere. Homo quantus quantus eſt, omnéſque eius facultates, imò & opera eius omnia quatenus à Deo pendent, ſed & omnia planè creata, Deum reſpiciunt vt finem vltimum: Et ſic datur vnus finis ſimpliciter vltimus omnium effectibilium, vt latè probo in Moral. diſt. 1. à n. 5. & 19. Quid ſibi ergo vult aduerſarius, cum expoſtulat cauſam liberam iuxta definitionem de qua agimus ſtatui indepēdentem à Deo tanquam à fine, & Deo ſuo collateralem dici? Quod tamen vel ipſe homo, vel eius libera

opera quæcunque, respectu ipsiusmet hominis, habeant Deum pro fine vltimo, falsò assumitur, cum possit dari homo qui nec se nec sua opera in Deum referat, vt liquet de iis qui Deum non norunt; ac proinde nec amant, quod ad finis motionem requiritur. Neque tamen idcirco talis homo statuitur à Deo independens, eòve superior Hoc quis vel per somnium cogitet, cum quiuis siue Deum concipiat siue non, atque adeò siue Deus eum moueat vt finis, siue non moueat, à Deo & effectiuè & finaliter pendeat, dependentia inabdicabili & quibusuis creatis essentiali? Quod verò vrgetur de fine omnia agentia creata ratione pollentia mouente, æquè obscurum est. Id quidem si sermo sit de motione formali atque directa, verum duntaxat est de fine aliquo saltem proximo: non tamen de fine vltimo aut de summo bono explicitè quatenus est Deus, tametsi vt explico in Mor. Dist. 1. n. 26. & 27. verum sit finem vltimum & bonum summum sub ratione pleni boni intendi virtualiter quatenus quædam veluti portio boni in vniuersum appetitur quoties appetitur bonum aliquod. Neque tamen homo etiamsi formaliter non semper appetat finem vltimum, exturbat Deum gradu finis vltimi: cum possit virtualis in Deum tendentia sufficere, qualis cuiuis actui honesto inest; ac ne hac quidem virtuali tendentia sublata propter malitiam actus, sequitur ea Dei quasi exturbatio & alterius finis vltimi constitutio, quia bonum malè concupitum non est finis vltimus respectu improbi nisi interpretatiuè, vt prosecutus sum loco allegato num. 39.

Tota ergo prima pars argumenti propositi, implexitatibus referta est, quia supponit principia de causatione finis vltimi, quorum aliqua planè obsoleuerunt; pleraque etiam, nulli vnquam sunt probata; affingitque communi sententiæ insufficientiam finis vltimi ad mouendum: cum tamen ratum apud omnes sit, finem vltimum ex se esse quidem sufficientissimum ad finalizandum, tamen non semper finalizare, sed plerunque solum bonum creatum mouere voluntatem creatam, & respectu eius esse primum mouens in genere finis.

II. Iam in secunda parte argumenti propositi, falsum est quod aduersarius assumit vt indubitatum. In physicis enim monstratum est, causalitatem finis non esse motionem metaphoricam siue amorem aut intentionem eius, sed esse illammet dependentiam quæ sub alio respectu potest esse causalitas omnium causarum. Malè præterea ab autore additur tanquam peculiare, Deum in ordine gratiæ habere rationem finis vltimi. Quasi verò id non sit verissimum de ordine item naturæ, si Deus purè ac secundùm se sumatur, & non vt causa ordinis toto naturæ ambitu superioris. Item falsum est, eum Dei amorem qui simpliciter appellatur conuersio, esse intentionem finis vltimi in ordine gratiæ. Nam etiam dato quod intentio seu amor esset causalitas finis, tamen potest dari amor finis simplex & imperfectus qui non dicatur absolutè conuersio. Insuper est falsum, talem conuersionem à Deo fieri in nobis sine nobis, cum id tantùm valeat de motibus gratiæ præuenientis, non autem de

conuersione quæ est actus liber, & exigit à nostra determinatione & assensu pendere. Est autem aperta veri prodigalitas, affirmare quod S. Thomas & omnes DD. asserant, conuersionem fieri à Deo in nobis sine nobis, cum de ipsa quidem conuersione, formaliter & in seipsa, id asseri nequeat sine errore, & Concilij Tridentini conuulsione. Tot falsis assumptis quid inædificari possit verum, perspicit Lector; facilèque agnoscit conclusionem quæ è principiis illis eruitur, hanc scilicet, *Ergo determinamur à Deo ad intentionem finis, non autem à nobis ipsis*, falsam esse, & tot putrium antecedentium vitium redolere.

Quod deinde subtexitur, electionem quoque mediorum à Dei determinatione pendere, quia intentio efficax inuehit electionem mediorum magis congruentium, falsum est; si media sint plura tametsi inæqualia. Intentio quippe tantùm infert electionem medij, si vnicum suppetat. Mirum verò est, quomodò electio extorta per externam determinationem, videatur autori libera; aut quomodò inde probet libertatem circa media non lædi, (non obstante forti illa & ineluctabili motione extrinseca à qua supponit prodire electionem,) quod cum sit electio non possit libertate destitui. Hoc de electione non extorta verum est. De ea verò quæ extrinsecùs extorquetur, est falsum. & talis est quam autor adducit. Quanquam sic formata electio, nomine electionis perperam insignitur.

XII. Eiusdem tertij argumenti pars tertia, iam diruta est superiùs, cum ostendimus quomodò libertas creata non sit à fine vltimo independens, quamuis seipsam

ſeipſam actiuè determinet & moueat. Quod verò finis vltimus ſiue Deus, (quem aduerſarius in ratione finis vltimi non abſque homonymia nominat *primum mouens*,) nunquam moueat niſi conuertendo ad ſe, verum duntaxat eſt de actione ipſiuſmet Dei prout ab eo prodit, quia vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Non eſt tamen verum in ſenſu in quo aduerſarius iuxta ſua principia loqui debet: nempe ſi ſenſus ſit, omnem operationem quæ ſub aliqua ratione à Deo finaliter pendet, ſub omni item alia ratione pendere finaliter à Deo. Hoc (vt dixi,) non eſt verum. Nam operatio hominis de Deo non cogitantis, vt eſt efficienter ab homine, non pendet finaliter à Deo. Et tamen eadem illa operatio, prout eſt à Deo efficienter, (quod habet omnis actio creata,) pendet quoque finaliter à Deo, ſeipſum ſemper & vbiuis intendente.

Veriſſimè igitur, quicquid è contra aduerſarius communem ea in parte ſenſum conuulſurus connitatur; veriſſime inquam dicitur, libertatem mouere ſeipſam ac determinare, nempe effectiuè: non eo tantùm tam myſtico, imò ridiculo modo, quia mouetur à Deo qui eſt ipſemet homo; aut illo alio & Philoſophicè & Theologicè paradoxiſſimo, quia virtus cauſæ liberæ eſt finis præconceptus, qui eſt ipſe homo, cum Deus & homo ſint planè vnum: Quis enim finem eſſe actiuam virtutem cauſæ, vel ſomnians fingat? Hominem verò tranſire in Deum finem ſuum, abſurdè dicitur, vt ſæpè monuimus. Non igitur his modis cauſa libera mouet & determinat ſeipſam: ſed per veram propriæ motionis liberę principiationem, à cauſa libera extrin-

secùs non determinata profectam. Et quoad eam libertas creata rectè dici potest primum mouens, quia etiamsi præcedant excitationes proportionatæ ordini intra quem exercetur libera motio & determinatio sui ipsius, quæ excitationes hominem præmouerunt & sollicitarunt ad agendum; Tamen cum deuenitur ad cudendum actum liberum, sola voluntas determinat quid teneat vt dixit S. Anselmus cap. 6. concord. Ac ne Deus quidem, quia nos cum reuerentia disponit, ad coëfficiendum voluntati se acccingit, nisi consulta libertate creata, quæ proinde priùs ratione elicit actum quàm Deus. Multa in hanc rem dixi purgádo S. Chrysostomum eo tractatu quo Valerianum Cemeliensem, nitentem ac doctrinæ integrum dedi, aduersus parcum charitatis criminatorem. Quod verò autor lib. 1. cap. 26. num. 9. & 10. ex hoc quod admittimus hominem in ratione determinátis esse primum principium actus sui, existimat planè inexplicabilem reddi modum quo Deus se applicat ad conuertendum cum caussis liberis, commodè extricabitur p. 2. cum de eo puncto ex professo disputabitur.

Quartæ libertatis descriptioni, per dominium in actum, obiecta ab aduersario.

XIII. Argumentatur denique autor contra quartam libertatis definitionem vulgatam, qua libertas definitur, *potestas actus sui domina*, consentaneè ad Diu. Thomam 1. 2. qu. 10. art. 1. ad. 1. Imò ad ipsummet aduersarium qui solita constantiæ laude lib. 2. cap. 29. n.

4. agnoſcit illud eſſe liberum, *quod eſt indifferens indifferentia actiua, quæ coincidit cum dominio & ſui poteſtate.* Aſtipulatos eſſe omnes antiquos, monſtraui latè in Moral. diſt. 2. à num. 106. ſed pulchre id tradidit S. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbit. cap. 3. ad finem, verbis illis. *Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe quod habemus.* Idem ferunt illa Arnobij lib. 2. num. 58. poſtquam dixit, Deum ſub noſtri iuris arbitrio fructum benignitatis ſuæ expoſuiſſe. *Sortem vitæ eligendi, nulli eſt (inquit Plato) Deus cauſa, neque alterius voluntas adſcribi poteſt cuiquam rectè, cum voluntatis libertas in ipſius ſit poſita poteſtate qui voluit.* Nec aliud voluit Tertullianus 2. in Marcio. cap. 6. cum hominem dixit, creatum eſſe ſui dominum. *Oportebat* (inquit,) *imaginem & ſimilitudinem Dei, liberi arbitrij & ſuæ poteſtatis inſtitui, in qua hoc ipſum imago & ſimilitudo Dei deputaretur arbitrij; ſcilicet libertas & poteſtas, in quam rem ea ſubſtantia homini accommodata eſt, quæ huius ſtatus eſſet, afflatus Dei, vtique liberi & ſuæ poteſtatis. Sed & aliàs quale erat, vt totius mundi poßidens homo, non inprimis animi ſui poſſeßione regnaret, aliorum dominus, ſui famulus?* Eo denique ſpectauit Nyſſenus in orat. Catech. cap. 30. verbis illis *Qui in vniuerſitatem liberam habebat poteſtatem, propter ſummum in homines honorem, dimiſit etiam aliquid in noſtra poteſtate cuius ſolus eſt dominus. Hoc autem eſt liberi arbitrij libera electio, res quædam minimè redacta in ſeruitutem, & quæ eſt ſui iuris: ſita in libertate mentis & cogitationis.* Vides quorum exemplo

libertas per potestatem actus sui dominam definiatur. Valdè approbat hanc definitionem, & multa ad eius illustrationem suppeditat Victoria relect. de puero, p. 1. propos. 4.

XIV. Inuenit tamen autor quod in ea definitione morderet lib. 1. cap. 9. num. 6. & cap. 7. num 1. & cap. 27 num. 4. Dominium enim actuum nostrorum, non posse esse positiuum illud quod perfectione libertatis importatur, probat, quia homo secundùm se & seorsim ab operationibus suis sumptus, est liber & sui iuris, neque tamen verè est sui dominus, quia dominium debet esse ad alterum: ergo libertas aliud est quàm dominium. Deinde dominium non est actuũ, sed rerum quibus incumbimus per actus; nec potest esse actuum dominus, nisi qui rerum dominus est; quia actus est tantùm vnio quædam ad obiectum. Atqui respectu multarum rerum erga quas liberè agimus, vt respectu Dei, omni prorsus dominio caremus. Ergo etiam respectu actuum in illas tendentium tametsi liberrimorum, caremus dominio. Non igitur potest libertas in dominio consistere.

Dissoluuntur.

Hæc argumenta rectè probant libertatem non esse quodvis dominium. Nullo tamen modo probant, libertatem non esse dominium facultatis liberæ in actus suos, quod vnum asserit vulgaris definitio quam excutimus. Quare ad primum dico, hominem secundùm se & seorsim ab actibus, liberum esse ciuiliter, nisi

ſit homo mancipium. Hæc tamen libertas, nihil refert ad præſens negotium, quo tractamus libertatem philoſophicam moralitatis fundatricem. Quod ſi autor conſentaneè ad rem præſentem, velit agere de libertate philoſophica; ſic dico, hominem ſecundùm ſe, liberum eſſe in actu primo; quia eſt dominus ſui actus ſecundi. Non enim dominium quo homo eſt liber, habet pro obiecto ipſum hominem ſecundùm ſe, ſed actum ita ab homine elicibilem vt poſſit non elici, quod eſt perfectè dominari tali actui, dèque eo diſponere plenè, ac ſummo iure importato per dominium, vt optimè attigit Conradus 1.2.q.1.art.1.§ *nota hìc.* & S. Bonau. in 2.d.25.artic.1. qu.3. num. 20. ac Heruæus quodlib.10.qu.9. *ſub finem.*

Ex his conteritur quoque ſecundum argumentum. Nam dominium non eſſe actuum, falſum eſt, vt iam dixi; Poſſumúſque etiam, actui noſtro dominari non dominando obiectis; quandoquidem conſtat nos diſponere vt libet de actu noſtro circa Deum, quod eſt tali actui dominari, etiamſi manifeſtum ſit, Deum ſubeſſe noſtro dominio non poſſe. Plerique item dominantur cupiditatibus & appetitionibus ſuis, iuxta illud, *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: & tamen obiecta illarum cupiditatum & appetitionum, plerunque nullo modo ſubiacent dominio eius qui actui ſuo circa illa obiecta elicito dominatur. Itaque licet facultas libera iuxta S. Bonauenturam in 2. d. 25. art.1. qu.1. num. 6. dici poſſit habere dominium reſpectu obiecti, quatenus poteſt obiectum reſpuere aut proſequi; tamen propriè dominium illud cadit in

actum, qui poteſt poni & non poni pro facultatis liberæ determinatione, vt idem S. D. optimè exponit ibid. quæſt. 3. num. 20.

XV. Neque verò cum homini hoc dominium cócedimus vi libertatis, obnoxij ſumus illi cenſuræ qua autor lib. 1. c. 27. n. 4. percellit eos qui homini tale dominium tribuunt in ſuos actus; dicens eos cenſere independentiam à Deo, deſiderari ad libertatem creatam: Vnde vſurpatis imò exacutis D. Auguſtini in Pelagianos vocibus lib. de ſpir. & lit. c. 30. ita in eos conclamat autor: *An verò homines ſanæ mentis, ita liberi eſſe volunt, vt nec Deum velint habere dominum?* Abſit à nobis illud cogitationis portentum. Iura diuina ſuprema & inabdicabilia, illæſa eſſe volumus. Quæ tamen Deus liberaliter homini indulſit, dignatus honoré ſuo æqualem homini impendere, vt Nyſſenus dixit orat. de mortuis, ea quoque ſeruari integra par eſt: cum iuſtum non ſit, autore Caſſiodoro lib. 12. epiſt. 11. vt quæ princeps liberaliter contulit, ſubditi minuant. At libertas iuxta Tertullianum 2. in Marcio. cap. 6. libripens eſt emancipati à Deo boni. Vide quæ protuli in Moral. diſt. 2. n. 110. vbi quomodò ea emancipatio diuinis iuribus creatam libertatem non ſubducat, breuiter ſed ſufficienter attigi.

XVI. Eſt ergo libertas, facultas actus ſui domina. Αὐτεξουσιότητα vocarunt Græci, ſignificantiſſimo nomine: vt idcirco Caluino ſtomachum mouerit, & tanquam arrogantiæ plenum reijci voluerit lib. 2. inſtit. cap. 2. n. 4. At vereor ne aliò fortaſſis Lexico vſus ſit Caluinus, quàm quod autori probatur. Nam in operis

præfatione & lib.2.c.12 n.4. αὐτεξουσιότητα interpretatur statum quo homo sui iuris est propter obuersionem ad Deum, id est statum Christianæ libertatis quasi ciuilis. Verùm Græci quos Græcarum vocum vim tenuisse par est credere, longè aliter eam vocem vsurpant, & illam ipsam notionem quam Caluinus agnoscit voci subiectam, rem auersatus, eidem subiiciunt & amplectuntur vt veram. Videsis Damascenum 2. fid. c.25 Nemesium lib.de hom.cap 39.40.& 41. & Nicetam 3.thesau.c.27. qui hanc vocem pulcherrimè enucleat verbis illis. *Αὐτεξούσιον est τὸ αὐτοδέσποτον, hoc est quod in cuiusque potestate situm est. Quod enim domino subiectum est, liberi arbitrij non est. Αὐτεξουσιότης ergo seu arbitrij libertas, propriè est, libera nec vllius dominationi subdita ad rem concupitam dominatio.* Itaque incumbit aduersario Lexicon refingere, quo noua illa αὐτεξουσίου & αὐτεξουσιότητος notio Græcis omnibus incomperta lucem videat, & omnes retrò Grammatici dedoceantur errorem.

Dicam in hac meta, nec præfidenter sed verè dicam, de aduersarij in communem & priscam sententiam argumentis, quod dixit in simili Claudianus Mamercus lib. 1. de statu animæ cap. 11. *Vide quàm paruo negotio, veritatis calor, frigentium verborum pruinas liquefecerit.*

CAPVT XI.

Vestigata germana causa, cur noua sententia caput hactenus non extulerit; reiectis quinque inanibus ab aduersario excogitatis, quibus causæ totidem nouas sententias comminiscendi subrogantur.

I. DEDI hactenus & scuto intectam, & telis exarmatam, ac etiam exungulatam amplitudinem. Nunc excutienda restat aduersarij meditatio, quam instituit lib. 1. toto cap. 36. vestigans causas cur doctrina ei quam primus ipse inuexit contraria, adeò hactenus inualuerit; noua autem adeò iacuerit, vt neque ante illam ab ipso euulgatam, quisquam in eam vltrò venerit; neque post eandem euulgationem, vllus repertus sit eorum quorum scriptis edendis prela quotidie feruent, qui eam sententiam amplexari in animum induxerit: præter vnum fortassis autoris symmisten, philosophum triobolarem, at religiosi ordinis transfugam, ac vt ad plenam Iudæ germanitatem nihil desit, ipso die cœnæ dominicæ de Apostolico quodam Collegio per posticum ad aliena castra & pultes Scoticas quas gentilem eius Pelagium prægrauasse querebatur S. Hieronymus, apostaticè transgressum. Hunc inaudio, (nam legẽdis huiusmodi scriptorum

ſcriptorum gerris tempus perdere, religio fuerit,) ſymmiſtæ poſteà ſuo ſuffratum, nouæ ſententiæ ſubſcripſiſſe: non magno ſanè eius vel præſidio vel ornamento. Aliorum omnium nemo planè à vetere ſententia deſciuit; cum tamen tam libera eſſe ſoleant æui huius (noſtratium præſertim) ingenia, tamque nouitatum amantia; nec modica complanatio ad inuia hactenus in Theologicis & Philoſophicis argumentis teſqua & prærupta, beneficio huius ſententiæ fieri videatur. Res profectò admiratione digniſſima & meritò veſtiganda.

Priſcæ libertatis retentæ, nouæ neglectæ, cauſæ quinque ex aduerſario.

II. Autor cauſas profert eius omnino quinque. Prima eſt, *amor noſtri*, quo *tuemur mores noſtros & ſententias noſtris ſenſibus & vſibus accommodatas*: adeò vt *quantumuis veritate priùs abdita vultum ſuum maieſtatémque detegente, auerſemur occurrentem, erroris noſtri INSANO AMORE correpti.* Eſt etiam eiuſdem trunci ramus *amor carnis, & quod nemo ſui abnegationem ita perfectè animo complexus eſt, vt non ſibi ſemper multum indulgeat. Amamus libertatem illam quæ diſſoluta eſt, & vaga frænique expers; ſubiectionem, etiam ad Deum reſpuit. Amamus & opere vſurpamus. Inde profectum vt defenderimus.*

Secunda eſt, *ignauia & ſocordia*, in ſententias blanda facilitate arridentes laboris odio propendens, præſertim ſi plauſibilitas accedit, & qui admodum inua-

luit placendi amor. Ita enim ferè comparati sunt, etiã qui naui & laboris amantes, vt *placentia, & ad gustum aliorum loqui præcipuè velint, nitanturque.*

Tertia est, autorum turba, quam aceruatim reliqui vt grex arietem sunt secuti, *vt proinde non pro plurimis, sed pro paucißimis numerari mereantur*, cum omnes vno quo anteoccupantur iudicio sensúque ducantur, vt serua pecora.

Quarta causa est, rubor sententiam suam tametsi falsitatis & multorum prorsus absurdorum, ne quid peius dicat, reuictam, retractandi coram vniuerso orbe, palinodiæ teste. Probat porrò se autor hanc causam proferens, schematum Tullianorum non rudem, his præter cętera. *Anticipata opinio nullis argumentorum ponderibus cedit, nullis rationum machinis excutitur, ne ipsi quidem veritati reuelata facie se ostentanti acquiescit. Si citiùs illuxisses ô veritas, fortè nostros habuisses amplexus. Quia seriùs aduenisti, repulsam patiere, & ne veritatis quidem appellationem merebere. Opinio æmula, locum quem appetis & appetiuit prior & occupauit.* Hanc figuram, loquentiæ Magistri, nominant prosopopœiam.

Quinta causa recensetur ab autore, facilitas maior obsistendi hæreticis quæ in vulgari sententia ostentatur. Metimur autem sententiarum veritatem facilitate & vtilitate, *non sine iniuria & quadam proditione veritatis*. At vel si inextricabiles consequerentur nodi, non est abijcienda veritas cognita; alioqui periclitabitur fides mysteriorum augustissimæ Trinitatis & Incarnationis. Neque tamen tot aut tam graues in Deum, in beatos, in hominem, in gratiá, in libertatem suboriun-

tur iniuriæ ex noua ſententia, quàm ex vulgata, *quæ opponit gratiam libertati; & vt hæc ſalua ſit, obſiſtendum gratiæ docet; quæ beatos libertate ſpoliat; nec homini niſi ad actus futuros, prout futuros, libertatem permittit; quæ Deum ait dare non poſſe bona opera vt autorem & dominum, ſed tantùm vt extrinſecum ſuaſorem atque tibicinem.* Quæ autor cum apertiſſimè dicat haberi ex ſententia vulgata, exclamat *nihil eſſe ea abſurdius, magiſve paradoxum, magis ridiculum, magis intolerandum.* Vt vt eius autores cauere ſibi videantur, ne Deum autorem mali faciant, interim *negantes ipſum eſſe autorem boni, & bonorum operum gloriam creaturæ deferentes.*

III. Exhibui contracta fideliter, quæ autor longiori oratione proſecutus eſt; vſupatis magnam partem ipſiuſmet verbis. Et poterant quidem vniuerſæ hæ æſtuantis præ zelo animi ſpumæ, vna illa ex Auguſtino ſpongia elui, qua confictas à Petiliano de innoxijs calumnias abſtergit lib.2. cap.14. *Hæc ſi dicam de talibus eſſe dicta quales vos eſtis; reſpondetis, proba: Quid enim tu probaſti? Aut ſi eo putas probari quo dicuntur, non opus eſt eadem repetere: Recita illa ipſa tibi, & à vobis in vos. Ecce & ego probaui, ſi hoc eſt probare.* Quæ verò intra paucas lineas per innocuos calumniam paſſos dicta repræſentat, nolo mea facere. *Non ad nos pertinet quicquid dicitis. Non vidimus, non fecimus, quid loquamini penitus ignoramus. Vos qui nihil aliud vultis quàm dicere quod probare omnino non poteſtis, quid aliud quàm os veſtrum maledictione & amaritudine plenum eſt?* Hæc vt dixi mea eſſe nolo, memor quid Chriſtiana inter Catholicos charitas quantumuis malè appetita, quid patientia,

quid humilitas edicant. Tantum ne defugere iudicium videamur, rationes propositas librare, & an non potiùs hæ ipsæ vel admodum affines causę ad nouandum propellant, considerare operæpretium est.

Æquè cadunt in omnes planè Doctores.

IV. Illud tamen ante omnia iuuat aduertere, non esse quod quisquam recentiorum solum se peti oratione proposita arbitretur, & cœnosa illa quinque prædictarum causarum sanè lutosarũ aspergine commaculari. Nam quæcunque tandem autori mens sederit, perspicuum planè est, omnes æquè peti antiquos & nouos. Omnes sanè ad vnum nouos cuiusuis instituti ac ordinis Doctores, etiam post exortum hoc nouæ sententiæ iubar, nemo nescit antiquæ sententię hactenus astipulatos esse: Ita vt quamuis circa grauissimas totóque orbe celeberrimas de diuinis auxiliis disceptationes dissidia ferueant hactenus incomposita; & commodissimum foret alteri parti quæ auxiliorum efficacium ineluctabilitatem tuetur, præcipuum quo ab aduersarijs petitur telum, temeratæ scilicet (vt putant aut timent,) eo pacto libertatis, declinare aut excipere absque noxa, obiecto hoc nouæ de libertate sententiæ scuto: Tamen nemo hactenus veterem de libertate sententiam abiicere, & nouæ albam sibi parmam obducere consilium cœperit. De anterioribus verò Doctoribus, qui superioribus seculis rem Theologicam & Philosophicam illustrarunt, perspicuum quoque est, nullum autori præiuisse, quod euidenter in superio-

ribus euici. Et quamuis vnicus è Patribus quem aduersarius pro se profert, adiunctis duobus quos vult posse videri idem sensisse; pauci etiam Philosophi summo labore emendicati; & vix senarius Scholasticorum violentissima obtorsione compulsus intrare, aduersario patrocinarentur, quod nunquam dabimus: Tamen confertissimæ Patrum, Philosophorum, Scholasticorum, turmæ à vetere sententia stant apertissimè. Quod si omnia dictionaria consulimus, nec vniuersalem in omnia hallucinationem irrepsisse hactenúsque deprehensam non esse fateri volumus, genus humanum vniuersum in eadẽ est naui: Ne Catholicæ Ecclesiæ alumnos speciatim proferam, quibus cum Caluino & nouis (vt istorum atauos vocabat Oenomaus,) *veneficis* contentio est, non de amplitudine & eminentia, pro qua Ecclesia Catholica Christo humilium principi adhærescens certare non solet, sed de potestate vtrumlibet agendi quam libertatis nomine expressam admittit Ecclesia, leno impurissimus Caluinus, & vniuersum Lemanicum prostibulum auersatur. Innumerabiles itaque cuiusuis æui DD. Patres, Philosophi, Scholastici; Innumerabiles & *Saræ* & Agar filij in libertatis notione concordes, in affectione tantùm dissidentes; Iure dixerim; Omnes quotquot ad hanc diem dulce libertatis nomen vsurparunt, & præsertim quotquot iam lucis orto sydere, & discussis antiquis tenebris vsurpare perseuerant, subiecta illi notione quæ in dictionariis omnibus prostat, & præscriptione plusquam longissima robur accepit: Omnes inquam prædicti, criminationi ab aduersario institutæ, & propositis ab

amore,in barathrum peccatorum decidiſſe, autor eſt. Nec dubium quin ſi illorum caſus attendamus qui cadentes apertos habent oculos; qui inquam non hæreſim à prima ætate combiberunt, ſed electione in erroris foueam præcipites ruunt, præſertim verò cum à religioſis ſeptis ad ſatanæ caſtra per apoſtaſiam tranſgrediuntur, omnes ex hoc capite actos in ruinam, ſimus deprehenſuri. Nam effectus conſequentes, plus ſatis hanc cauſam produnt, vt notauit S. Ambroſius in Pſ. 36. illud Pſaltis *vidi impium*,&c. iis aptans *qui de monaſterijs exierunt, & nunc luxuriæ ſunt magiſtri.*

Hæc cum ita ſint, iudicium eſto lectoris, quale ſit cœnum quo Catholicos Doctores tam multos quàm ſupra retuli, atque adeò ad vnum omnes reſpergit autor, cum quod in hæreticis lutulentiſſimum eſt, illis affricat, nimium ſui amorem, indulgentiam carni præſtitam, & amorem effrœnis libertatis, reſpuentis ſubiectionem ad Deum. Hîc ſanè autor, eorum qui honorem ipſius charum habeant, verecundiam flagellat. Quis enim non erubeſcat ad tam atrocem cenſuram, nullo planè nixam fundamento? Nam ſatis conſtat, veterem de libertate ſententiam, ab innumeris neque delicatum ac molle vitæ genus, neque carnis ſtudium, neque effrœnem libertatem conſectatis, fuiſſe probatam. Itaque primam cauſam deiectæ hactenus nouæ ſententiæ, & veteris retentæ, habemus pro nulla.

Fuligo ſecundæ detergitur.

VI. Ignauiam, quæ ſecundo loco obiiciebatur vul-

garis de libertate sententiæ assertoribus, ægrè persuadeor verè obiici, qui videam tam multos labori cùm primis deditos, & indefesso studio in scientiarum perscrutationem incumbentes, & quod Didymo cognomen fuit ob immanem studendi laborem, Calchenteros, nec de noua sententia cogitasse priusquàm ab autore cuderetur nec iam cusam approbasse. Nolo in re perspicua videri copiosus.

Vnicum tamen exemplum si protulero, non potero mensuram debitam transgressus videri. An verò ignauus iudicio autoris Franciscus Suares, quem videre memini senem adolescens, irrequieto studio literariis commentationibus incubantem, & in scientiarum scrutatione perpetuum, vsque eò vt etiam inter peregrinandum aliquid semper eius generis agitaret, quod appulsus in hospitium chartis committeret; tempus verò si quod furtim decerpere posset, incredibili parcitate sublegeret? Extant testes exquisitæ huius scriptoris diligentiæ, Tomi iustæ magnitudinis duo supra viginti præter eos qui cudendi supersunt. Vt planè ad miraculum accedat, hominem vnum de rebus altissimis, tam exquisitè, tam solidè, tanta eruditionis sacræ redundantia, scribere potuisse tam multa quibus vix legendis homo mediocriter diligens par esse queat. Omnes ille Patres immenso labore peruolutarat; omnes Doctores scholasticos, quorum non est numerus, diligenter euoluerat; in sacris interpretibus erat versatissimus; Iuris vtriusque consultos, sed Canonici maximè, ita legerat expenderátque, vt quod moralia eius scripta produnt, sententias & placita singulorum,
videre-

videretur habere in numerato; Conciliorum ſacrorum erat ſcientiſſimus, nec rudis hiſtoriæ ſacræ. Denique iubar ſacræ diſciplinæ haberi potuit, & verò habitus eſt. Nam Philoſophicam peritiam exquiſitè ſolidis, ordinatis, pereruditis voluminibus teſtatam, in tanta apud eandem diuinæ ſapientię vbertate, vt deſpicatiorem ſciens prætereo.

Hunc hominem ignauiæ nunc primùm notari, eo quò ter omnino tractata ex inſtituto libertatis natura; (primo videlicet libro operis de auxiliis, & prolegomeno. 1. de gratia, & diſp. 19. Metaph.) nuſquam in hoc negotium niſi oſcitanter incubuerit, nec peruaſerit arcanum nouæ de libertate ſententiæ; admodum veriſimile eſt non ſatis fidei apud æquos arbitros habiturum; foréque qui aduerſario illud Ammiani lib. 18. occinendum dicant: *Quis innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiat?*

Eiuſdem acceßiones abſterguntur.

VII. Plauſuum captatio, & placendi amor, quorſum cum ignauia in vnam cauſam retentæ veteris de libertate ſententiæ conflatæ ſint ab autore, dubitatio eſſe poteſt. Quanquam ſi paulò attentiùs id ſcrutamur, non eſt ea conſociatio deſtituta fundamento. Eſt enim admodum ignaui animi, à recto deficere diſplicendi metu, aut veritatis diſpendio fumum humanorum iudiciorum & marcentem illico gratiam emercari. Vt vt porrò ſe habuerit facta ab autore coniugatio, ratum eſt ac fixum apud ſapientes, placendi amorem

& humanorum plausuum captationem, fontem esse grauissimorum malorum, & rem omnium in Dei Ecclesia perniciosissimam: vt non abs re Psaltes regius, conteri à Deo dicat ossa eorum qui hominibus studiosè, & affectatè placent, ac confusos denunciet, quoniá Deus spreuit eos. Et Apostolus disertè contestetur, non fore se Christi seruum, si hominibus placeret, & eorum gratiam plausúsque captaret. Hunc inter primarios hæresum omnium fontes, numerat Anastasius Sinaita c.3. Ducis viæ. *Execrabilem cupiditatem* nominat S. Cyrillus lib. 7. de adorat. aitque hanc esse vestem ex duobus contextam & adulteratam, damnatam Deuteron. 22. tanquam *crimen grauißimum, & cui nulla reprehensio sit satis.* Hinc illa peruersitas, quæ miserrimæ faciei Ecclesiam deformantis causa est inter præcipuas primaria, quòd qui à Deo tonare, coruscare, fulminare iubentur, ad eorum se potiùs nutum fingant qui dicunt, Loquimini nobis placentia. Hinc inquam illa eneruatio dictionis Christianorum Oratorum quam masculam & torosam esse oportuerat, ita vt cum in verbis oris sui dolare & occidere audientiam deberét, fiant ei quasi carmen Musicum, quod S. Chrysostomus lib. 5. de sacerd. nec semel alibi, tanquam lutulentum turbidi huius fontis profluuium, longa oratione deplorat, & tom. 5. Græcol. serm. 58. peiores homicidiis esse huiusmodi homines dicat, qui diem hominis desiderantes, *proferunt diserta non fortia, & ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata*, vt Cyprianus quoque ad Donatum expostulauit. Nazianzenus orat. 26. has esse Ægyptiacas Ecclesiæ plagas dicit. Beda qq.

in Deuteron.c.3.idololatriæ ſpeciem aliquã hîc agnoſcit. Sed præclarè, vt cætera in hanc rem premã, S. Gregorius 16. Moral.c.28. obſeruat hanc agendi rationem vocatam ab Apoſtolo adulterationem verbi Dei, quod qui huiuſmodi ſunt, intenti in ſolam delectationem à plauſu eorum quibus placere ſatagunt, de prole Chriſto generanda non ſint ſolliciti.

Liquere puto, plauſuum captatio & placendi amor, quanto ſint probro, & in quibus meritò timeri debeant. Nempe in iis qui dicendi ad populum prouinciam ſuſtinent, aut ex officio dirigendis mouendíſve aliis debent inſiſtere. Hos enim metus iuſtus eſſe poteſt, ne placendi amor eneruet, & gratiæ eorum captatio quibuſcum ſeuerius agendum fuerat, labefactet. At in retinenda vetere libertatis notione, & noua non admittenda, quis locus eſſe plauſuum captationi, & humanæ gratiæ ſtudio queat? Cuius enim quærat fauorem, cuius plauſum ambiat, cui placere ſatagat, qui de amplitudine & eminentia non cogitat? Quare hic locus profundiorem attentiorémque autoris meditationem poſtulat, vt ea ſuæ ſententiæ aduerſariis impingat quæ poſſint credibiliora videri.

Repellitur tertia cauſa.

VIII. Tertia cauſa proferebatur, iactatio multitudinis autorum veteris ſententiæ, quos ſine penitiore examine ſecuti ſint recentiores, vt muli ſolent detritis itineribus inſiſtere, & impreſſa pridem veſtigia relegere. Non poſſumus inficiari, hinc magnam omnino

plagam disciplinis illatam, quod plerique præiudicata ex autorum numero sententia, vix percepta rationum extima facie, iis placitis adhærescunt quæ explosa oportuerat. Et verissimum est etiam quoad disciplinas, quod circa fidei scita tradit S. Hilar. initio sexti de Trinit. nempe nihil esse periculosius, quàm cum multi eodem inuoluuntur errore, nec alia ex causa quàm quod multi præïuerint, in eundem gurgitem præcipites ruunt. Est profectò disciplinis exitiale eiusmodi cósilium. *Quis enim nesciat*, vt est apud Lactantium lib. 2. instit. cap. 20. *plus esse momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis*? At multitudo præsertim copiosa, vix peritorum est. Hoc itaque fixum esto, non esse ex autorum numero, vt in tribunalibus circa suffragia assolet, de sententiarum veritate pronunciandum; præsertim cum affectus plerunque, multos temerè consociet in vnam sententiam. Quo ex capite, religiosos eiusdem instituti quantumlibet multos, cum vni omnes sententiæ adhærent, non facere numerum, dixit Maior in 2. d. 1. qu. 4.

Nihilominus, argumentum sine dubio veritatis est, nec infirmum, aliquid omnibus videri. Et capitis profectò est malè sani, abiecto omnium aliorum sensu, conculcatis cunctorum retrò Doctorum inuentis, solo suo spiculo lumine duci velle, præsertim nulla adigente tam valida rationum machina cuius impetus repelli non possit. Multitudo iure despicienda venit, cum est imperitorum; cum docti quique ex aduerso stanti cum reclamant qui sunt maturiore iudicio, pensantes damnum numeri autoritate ac dignitate. Cæte-

roqui ſpiritus eſt ſingularitatis (quem eſſe Eccleſiæ exitialem de grauium Patrum ſententia cenſuit Pſaltes) depaſtam à ſingulari fero vineam deplorans, dedignari ſequi multitudinem, & trita aliorum greſſibus itinera aſpernari. Quamuis enim quoad mores & vitæ normam, intuta planè cynoſura ſit iudicium multitudinis præcurrentis, quod Seneca epiſt. 29. & ſæpè alibi ſapienter monet; tamen in iis quæ à iudicio tantùm pendent, quia plus vident oculi quàm oculus, ſecuriùs inſiſtitur viæ quæ plurium veſtigiis ſit protrita, cum manifeſtus error non deprehenditur, nec ratio ineluctabilis aliò auertit. In hac cauſa quid profert autor huiuſmodi? Quare pace illius ſtabimus in ſemitis antiquis. Nolumus illud à Hieronymo epiſtol. 4. in ſingulares intortum, ad nos reprehendendos pertinere: *Etiam muta animalia & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus principes ſunt. Grues vnam ſequuntur ordine literato.*

Virulentia quarta cauſæ defricatur.

IX. Locum quartum inter cauſas retentæ mordicùs veteris ſententiæ, & nouæ reiectæ, aſſignat autor, ſuperbæ pertinaciæ. Hæc eſt origo exitij magnæ partis hæreticorum; præſertim eorum qui viuentes in infernum deſcendunt, id eſt interprete Nicolao 1. epiſt. ad Mich. Imperat. qui ſcientes pereunt, nec ex errore niſi fortaſſis ſtudioſe accito, à Chriſti cauſa extorres fiunt. Hinc illa S. Auguſtini ad Iulianum Pelagianum lib. 2. cap. 5. *Oſtendis quantum in malis humanis valeat, eò quem-*

quam fuisse progressum, vbi manere non libeat, vnde iam redire pudeat,&c. sed ô si pax Christi in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de mala verecundia palmam ferat! Idem in fragmento concionis de B. Paulo (est vndecimum inter fragmenta tomi decimi,) obduratorum tunc temporis Paganorum originem, refert ad superbam pertinaciam qua inuicem timebant, inuicem erubescebant. Quare paganum obstinatum in errore sic affatur. *Ne confitearis humilem, times superbos; & ei præponis superbos, qui pro te displicuit superbis.* Sed & Rusticus Diaconus in ipso fine libri contra Acephalos, hinc maximè timens obfirmationi in hæresi, ad obstruendum hunc erroris ac perditionis fontem, vrget Acephalum. Et è contrà Facundus Hermian. lib. 10. Theodorum Mopsuestenum commendat, tanquam fortissimè operatum, *cum calcans gloriam magisterio longi temporis acquisitam, ad emendationem dicti, sine confusione descendit*: longè aliter quàm subdit fecisse permultos, qui *vbi humanitùs lapsi sunt, homines se cognoscere noluerunt*, & præ pudore, quanquã conscij falsitatis, veritati cedere & errorem abijcere noluerunt. Nimirum gloriæ non parandæ modò, sed & retinendæ insanus amor, ad hæreses & formandas & fouendas, expeditissima via est. Videsis Alphonsum de Castro lib. 2. de iusta hæreticor. punit. cap. 15.

Hinc liquet, quanta sit virulentia conuitij quod quarta hac causa continetur. Nam per eam & superbiæ, & duritiei, ac obfirmationis in errore, ac posthabitæ hominum vocibus veritatis, incusantur, quotquot veteri de libertatis natura sententiæ inhærescunt. Sed

habemus inprimis *abundantissimam consolationem*, vt S. Augustinum dicere nemini lib. 3. contra lit. Petil. cap. 6. cum non dissimilia de se iudicia, & criminationes repellit, hanc subiiciens causam patienter excipiendi probra illata. *Si in eis quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, quò nullus oculus mortalis intenditur; non solùm contristari non debeo, verùm etiam gaudere & exultare, quia merces mea multa est in cælis. Neque enim intuendum est, quàm sit amarum, sed quàm falsum quod audio, & quàm verax pro cuius nomine hæc audio.* Hoc vnusquisque nostrum sibi securus ac lætus occinat, cum inuri sibi, tam sine causa, tetras illas quas dixi maculas *superbæ pertinaciæ*, experitur.

X. Autor tamen genuino sic infigendo, non leuem plagam existimationi suæ intulisse videri poterit, dum æquus Lector quinam ij sint quos autor superbæ pertinaciæ insimulat, attentiùs expendet. Nã cadat sanè in eos qui nunc veteri modo philosophantur ea accusatio, vel potiùs denigratio, si erroris conuicti perspicuè probentur. Ea quippe laude se spoliant, quam *secundam* nominat S. Augustinus lib. 3. contra Orelco. c. 5. cum ait. *Sententiam falsam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare.* Quod aliter dixit Cassianus lib. 1. de Incarn. cap. 4. *primum est, errorem penitus non incurrere; secundum, benè repudiare.* At se vel specie tenus conuictos negant, & verè negant. Sed conuicti sanè sint, atque adeò pertinaciæ, nec cuiusvis sed superbiæ rei agãtur, qui etiamnum perstant in antiqua sententia de natura libertatis. Quid tamen iis fiet, qui ante illatum

mundo nouæ sententiæ iubar, eidem antiquę sententiæ bona fide adhæserunt, ne tenui quidem cogitatione pulsati, fore vt illuceret mundo lux noua, detegendáque esset sententia non priùs audita, quam amplexari omnes abiecta vetere astringerentur? His quanto iure superbæ pertinaciæ nota inuritur? Est vnde huic negotio lucem affundam. Planetarum orbes & plures & solidos esse, peruulgata ad nostram vsque ætatem existimatio fuerat. Nuper diligentissimi Astronomi, ex diuturna phœnomenorum inspectione adhibitis telescopiis quorum vsus temporibus nostris seruatus est, demonstrasse visi sunt, vnicum esse omnium planetarum cœlum, in quo erratica sydera variis orbitis fluxis ac permeabilibus circumagantur. Quicquid de ijs statuatur qui auditis nouis phœnomenis veteri sententiæ adhuc inhærent, nemo tamen priscos illos qui de nouis phœnomenis nihil audiuerant, & idcirco cuilibet planetæ orbem proprium adscripserunt, superbæ pertinaciæ damnatos velit, quod sententiam mutare detrectarint, quam mutare cum alia de qua nulla subibat cogitatio, in eo potestate non fuit. Non secus de omnibus pronunciandum fuit, qui ante exortam orbi nouæ sententiæ lucem, id est, ante trinoctium, libertatis naturam, de sensu omnium hominum, per potestatem vtrolibet flexilem expresserunt.

XI. Desciscit sanè ab vsu cuius approbationem habemus à natura ipsa consertam & congenitam nobis, quisquis veteris placiti falsitate perspecta, hæret tamen, notari timens vel inconstantiæ, vel contracti quandoque erroris, aut adamatæ nouitatis. *Quid enim,*

enim, inquit Arnobius lib. 2. num. 60. *si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquissimis seculis, quod inuentis frugibus glandes spreuerunt, & repudiauerint arbuta? quòd corticibus contegi & amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, vsu & commoditate succinctior? Aut quod structis domibus & lautioribus successibus institutis, non antiquas adamauerint casulas, nec sub rupibus & cauernis praeoptauerint vt belluae permanere? Commune est omnibus, & ab ipsis penè incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus vtilia praeponere, & quod esse constiterit pretiosius, laetiùs id consectari & petere.* At in re praesenti nihil tale accidit, siue quoad nos quibus innotuit noua de libertate sententia, & innotuit vt planè falsa, siue quoad anteriores, quos planè latuit. Vnde neutri dici possunt veteri sententiae adhaesisse per superbam pertinaciam, ab humanis sermonibus & retractationis pudore, timentem sibi. Quod est iudicium autoris, de ijs qui illatam orbi nouam sententiam non receperunt.

Ex his perspicuum duco, cuiusmodi sit quarta causa ab aduersario proposita. Ad phaleras verò verborum quibus autor hanc quartam causam in calce exornauit, illud vnum Augustini repono ex lib. 2. contra Petil. capite 32. *Nullo modo sonat disertè quod dicitur ineptè.*

Quinta causa admittitur.

XII. In extrema causa ab aduersario prolata, herbam porrigo. Verissimum quippe duco, sequendo nouam sententiam, aegerrimè aut nullo modo posse

hæreticis obsisti, eorúmque de libertate nostra errores efficaciter conuelli. Quam enim aduersarius voluntatis nostræ necessitationem admittit, eam ipsam non aliam admittunt hæretici; hoc tantùm discrimine, quòd illi profitentur se euertere libertatem; aduersarius autem negat necessitationis inuectione, tolli libertatem; sed voluntatem etiamsi necessitate adactam negat libertate excidere, quòd illi amplitudo nescio quæ, & eminentia sit superstes. Quæ aduersario nominum duntaxat cum Caluino ac sectariis contentio est; in re autem, perspicua consensio. Perinde ac si neganti meritum bonorum operum Caluino, refragari censeretur, qui meritum admitteret verbo tenus, affirmaret tamen nullam esse in humanis operibus ex diuina gratia factis, siue condignitatem, siue congruitatem cum mercede rependenda.

Quia verò aduersarius multus est in probandis ac stabiliendis prædeterminationibus humanæ voluntatis, & quotquot eas inficiantur, tantum non habet pro Pelagianis, & quod peius etiam videtur, pro excutientibus diuinum dominium, & suprema eius in humanam voluntatem iura negantibus; monẽdus est, etiam atque etiam consideret, quò via illa deducat. Quantumvis enim contendat posita prædeterminatione tali quæ voluntatem abripiat & ineluctabiliter adigat, perstare nihilominus libertatem quamdiu voluntas Deo adhæret, (quod contingit quoties adactio illa est à Deo qui nequit aliò creaturam suam obuertere quàm ad seipsum:) Tamen viri magni, secretionem Caluiniani dogmatis de nostra libertate prorsus excisa, & placi-

ti illius quo Physica voluntatis prædeterminatio facta diuinitùs inuehitur, ferè desperarunt. Ego nihil tale dico, sed quid alij senserint, refero. Magni inquam viri, sententiam pro qua autor pugnat, germanam Caluini placito sunt arbitrati. Hoc Bellarminus Cardinalis malleus validissimus hæreticorum, hoc Thomas Stapletonius, Theologus controuersiarum fidei peritus in paucis, hoc Mascaregnas Algarbiorum Episcopus & supremus de fide in Lusitania quæsitor, hoc Odoardus Vestonus, Gabriel Pennotus, & alij complures iampridem monuerunt. Ex schediis verò Domini le Manchot, viri doctissimi, quibus non possum minus fidei adhibere quàm manuscriptis animaduersionibus Domini le Bossu, è quibus Molinæ suffixionem hausit autor, cópertum habeo, Cardinalem Perronium æternæ memoriæ Præsulem, eruditionis & ingenij miraculum, recepisse coram eo quem falsum aut illusum nollet, omnes se ad vnum Caluinianos in Gallia poppas, volentes ac lubentes, vt prædeterminationum Physicarum veritatem chirographis suis communirent, adducturum.

XIII. Et potuisse præstare quod receperat, argumento est, quòd Martinus Kemnitius inter popinæ Lutheranæ combibones strenuissimus, Colonienses Societatis IESV Patres, ob concessam libertati humanæ potestatem respuendi diuinam vocationem, tanquam apertos Pelagianos verbo ac scriptis vniuersa Germania proscidit, quod refert qui aderat Iacobus Paiua Andradius, libro de libero arbitrio, qui est Orthodoxarum eius explicationum quartus. Itaque

Kemnitio de Lutheri quidem ganea, ſed tamen in gratiæ & iuſtificationis cauſa, Caluiniſtarum germano, prædeterminationes diuinæ voluntatem abripientes, pertinent ad ſcita fidei, eius vtique quam ipſe in Germania duce ac magiſtro Luthero profitebatur. Inter ipſos verò Caluiniſtas, Paulus Ferrius Metenſis miniſter, ſcriptis pridem editis, Ieſuitas quòd ineluctabiles gratiæ prædeterminationes repudient, *ter hæreticos*; Ieſuitarum verò ea in cauſa aduerſarios, veritatis Catholicæ (eius ſcilicet quam ipſe Catholicam nominat ac profitetur,) partiarios pronunciauit. Nec ita ante multos annos Batauica Pſeudo ſynodus Dordracena, ſtricto anathematis gladio, Ieſuitarum ſententiam de gratia per voluntatem creatam repudiabili, appetiit. Nuper Petrus Paulus de bellis Italus, ex Theologo Ordinis cuiuſdam Religioſi Geneuenſis Apoſtata, in cauſa de Caluini & Banneſij diſcrimine aut concordia quoad prædeterminationes, compromiſſarius Iudex, pro vtriuſque in eo puncto concordia pronunciauit, ídque chirographo ſuo (quod ipſe legi,) teſtatum voluit. Recens Gulielmus Ameſius, Profeſſor Franekeranus apud Batauos, in opere cui titulus eſt *Bellarminus eneruatus*, tomo 4. lib. 3. cap. 3. theſi 1. & 2. adductis his verbis ex Didaco Aluares diſp. 83. de auxiliis, *Deus per auxilium efficax gratiæ Phyſicè prædeterminat arbitrium creatum.* Subdit Ameſius. *Hæc ſententia prout ibidem explicatur, eſt planè noſtra, & apertè ſatis traditur in ſacra Scriptura.* Ad Ameſium relego aduerſarium, vt omnia planè quæ pro prædeterminationibus profert, & quæ contra gratiæ eluctabilitatem opponit, fusè & explica-

tè eadem in Bellarmini ſcripta proferentem ac opponentem hæreticum inueniat; laudatis & verbatim adſcriptis, cum aliis autoribus queis in hoc puncto adhæſit aduerſarius, tum maximè Didaco Aluares, cuius allegatione, imò verò exſcriptione, ſatiari non poteſt.

XIV. Hæc ego non eo conſilio protuli, quòd vel aduerſarij vel cuiuſuis alterius de prædeterminationibus ſententiam notare velim Caluiniſmi. Scio quippe meas partes non eſſe, hanc aliámve vllam notam prædictæ ſententiæ inurere: ſed vt aduerſarius intelligat, quàm verè dixerit, cauſam retentæ per nos veteris de libertate ſententiæ & abactarum prædeterminationum, quas nó videmus quomodò cum libertate componamus, inter cęteras eſſe non poſtremam, quòd hoc pacto perſpicuè ab hæreticis libertatem eo ex capite exſcindi blaterantibus, abhorreamus: nec eam duntaxat libertatem, quam illi nobis mutato ex parte loquédi modo quem Caluinus vſurparat permiſſam volunt, retineamus, quę voluntarij rationem & coactionis excluſionem non tranſcendit; ſed & poteſtatem vtrolibet flexilem, etiam prout voluntas ſubeſt diuinæ excitationi, quam illi libertatem funditus tollunt, vt videre eſt apud Ameſium ſuprà, & apud Gloſſatorem Nicetæ Caluinianum, ad librum 3. theſauri cap. 27. pag. 602. Hanc libertatem retinere omnino volumus, & idcirco veteri ſentétiæ de libertatis natura inhæremus, iis repudiatis quæ cum illa priſca libertatis notione non cohærent, exſcindi libertatem noſtram arbitran-

tes, quantumcunque ei ab amplitudine & eminentia, falsa incolumitas ostentetur.

Neque de sententia deducimur, vel vllo pacto mouemur, grandinatione illa qua ab autore ferimur, audimúsque in Deum, in gratiam, in homines, in libertatem ipsam iniurij, & VERITATIS PRODITORES; qui norimus probra malè intorta in eos recidere qui intorserint; omnibus autem erronibus solemne esse, (quod S. Hilarius lib. 6. de Trinit. animaduertit, & S. quoque Augustinus epistol. 46. & lib. contra epist. fundam. cap. 11. annotauit,) veritatis se propolas venditare, aduersarios autem proditæ veritatis & errorum fœdissimorum insimulare: ab iisdem quoque assertioni peruersorum dogmatum diuinum honorem, contrariis placitis iniuriam numini irrogatam obtendi. *Deum* enim *destruunt, cum honorant*, vt est apud autorem epistolæ de vera Circuncis. t. 9. Hieron. quod aliter dixit Basil. ad calcem libri primi aduersus Eunom. *noua & incomparabili via vtuntur ad blasphemandum.* Specie diuini honoris aut indemnitatis diuinorum iurium, diuinam iniuriam & inhonorationem velantes; quod nouorum iuxta ac veterum hæreticorum praxi confirmatum habetur apud Valentiam lib. 4. contra Vbiquetar. cap. 1. & apud Bellarminum 3. de Euchar. cap. 10.

XV. Audio quod autor reponit. Sententiæ quidem suæ & Caluinisticæ discrepantiam non vsque adeò apertam videri posse, pręsertim obtusioribus ingeniis, & implexitates sine dubio non modicas in libertatis & necessitationis concordia, aliquibus occursuras. Nec

tamen idcirco refragandum esse veritati, quantisuis inuoluatur ambagibus: iuxta illud Augustini lib. de dono perseuer. cap. 14. *Nam ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est.*

Annuo, si (quod Augustinus ait,) aperta sint ea de quibus agitur, siue naturale lumen ita prodat, siue eam in partem cynosura Ecclesiasticæ definitionis illuceat. Imò si vel exoculari necesse fuerit, & contra apertam ex sensu proprio veritatem venire; præscribente Ecclesia, festinatò parendum. Verùm si quis suppetente ad veritates Catholicas exponendas alia ratione expeditissima, vltrò se in impeditissimam & in laqueos inextricabiles induat, quibus implicitus, ægrè aut nullo modo tueri quæ ad fidem spectant, hæreticorum verò tela retundere valeat; eum ego nec verè peritum, nec sapientem arbitrabor; ac si pernicies aliis inde creetur, etiam iniustum appellabo, qui cósultò & volens innexuerit simplicibus pedicas quibus impedirentur ac perirent. In summa mihi cum Dominico Soto cap. de quantit. quæst. 2. art. 2. fixum est, quoties ex Ecclesiæ scitis non adigar, iis tantùm assentiri quæ intelligam. Nam quod rectè obseruauit idem Soto, de iis duntaxat quæ per Ecclesiam fidei Magistram proponuntur, scriptum est, *nisi credideritis, non intelligetis.* At non existimo aduersarium suam eminentiam & amplitudinem tanquam irretractabili S. Ecclesiæ iudicio probatam obtrudere. Nullo igitur iure nos vrget, vt sententiam densissima caligine obtenebratam, abiecto communis sententiæ splendore consectemur, facti rebelles lumini, & diligentes magis tenebras quàm lucem. Me-

lancthon ſanè in locis commun. tit. de viribus hominis & libero arbitr. cum dixiſſet, Deum determinare contingentia, videretque inde euerti libertatem quam ſanior factus admittendam cenſuit: ait, credendam eſſe libertatis & externæ illius determinationis concordiam, licet non intelligatur. Quod ipſum iubet autor.

Nouandi cauſæ quinque tanguntur.

XVI. Cauſas inolitæ de libertate veteris ſententiæ, omniúmque pertinaci ſtudio retentæ, ex autore audiuimus & librauimus. Nunc viciſſim veſtigandum eſt quæ cauſæ fuerint, nouam & tam multis retrò ſeculis inuiſam de libertatis natura ſententiam fabricandi. Vnde liquidò perſpicietur, quod autori propoſitum erat quærere, cur noua ſententia caput hactenus non extulerit. Quòd tamen me iam longiùs prouectum videam, attingam potiùs quàm perſequar, cauſas item quinque quæ occurrunt, circa ſententias nouandi, quod in libertatis notione autor præſtitit. Eas ego cauſas in autorem refundere, conſilium non capio. Veritatem candidè & nudè exponam. Quare petitum ſe aut violatum, non erit quod expoſtulet. *Si enim extra conſcientiam ſuam ſunt quæcunque dico, nequaquam ad iniuriam eius ſpectant cuncta quæ dico. Si autem in ſe eſſe nouit quæ loquor, non à mea ſibi hoc lingua dici æſtimet, ſed à conſcientia ſua.* Lacinia eſt ex Saluiano lib. 4. de prouid. quæ quia vera ac prudens eſt, mea eſto.

I. Amor

I. Amor sui.

XVII. Prima nouandi causa, eaque radicalis & capitalis, est amor sui, detrectans vsum inuentorum alienorum, renuénsque finibus quos alij posuerint, coërceri. Nam habet hîc quoque locum illud Iobi, *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri, liberum se natum putat.* Si exsolutionem corporis tantoperè amamus, quanto magis sententiarum & iudiciorum, quibus pars nostri potior ac intimior sui iuris probat sese, & ingenuam prodit, ferulæque subductam, quippe nullius addictam iurare in verba Magistri. Itaque ingenuitatem hanc & libertatem ingeniorum adamantes non pauci, insano amore eius correpti, (recurrunt mihi nec cogitanti aduersarij voces,) iunicum more, aut sicut vituli de armento, excurrere nullísque contineri repagulis cupidissimè gestiunt. Et esse hunc præsertim nouellorum magistrorum genium, obseruat Maior in 2. s. nec inscita comparatione ijs dixit esse non absimiles, qui hyeme vix ad ignem accesserunt, cum *statim* (inquit) *accipiunt tenaces & aliquid mouent*, nec patiuntur factam ab alio lignorum dispositionem manere. Nolo de autoris animo ferre iudicium, eiúsve in aliorum genio rimando, & ex suis suspicionibus damnando, morem æmulari. Ipsemet an prima hæc nouandi causa quam idoneam præsto, in eum reuera cadat, iudex esto.

II. Ignauia.

XVIII. Attexo secundam, nempe ignauiam sol-

uendi difficultates in antiquis ſententiis occurrentes. Molle enim ac delicatum eſt genus noſtrum. Aſpera omnia vſque adeò refugit, vt non pauci, ipſi quoque cœleſti fœlicitati nuncium remittant, dum itinere difficili ac horrido adeundam vident. Itaque multo minùs mirum eſſe debet, in re literaria declinari procliuitate quadam naturæ ſibi indulgentis ſeque miſerantis, ardua & aſpera quæque; lubentiùs verò inſiſti iam protritis & complanatis itineribus, quæ difficultatum vacua & citra laborem decurrenda proponantur. Quia ergo nulla eſt tam liquida veritas, quin eam nebulæ aliquæ difficultatum ex aduerſo venientium offundant, qui ad eas diſcutiendas pigri ſunt, & præ ignauia atque ſocordia qualemcunque laborem ea in diſcuſſione ponendum auerſantur, ad nouas proprij aut alieni ingenij cicindelas conuertuntur, in tenui illa & euanida luce exultantes ad horam, mox denſiſſima caligine opprimendi. Antiqua de libertate ſentẽtia, clara illa quidem, ac in ſe euidẽs eſt. A b adiunctis tamen aut conſequentibus difficultatibus, videri poteſt tenebreſcere nonnihil. Quare qui has offucias diſpellere præ ignauia grauatur, & affulgens alicunde noctilucum pro ſole habere deligit, extimeſcens dubias tenebras, ſuffundetur caligine. Nam & qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix.

Nuſquam id alibi familiarius; quod mecum recognoſcet, quiſquis ad ea quæ in hoc negotio non ante exactum ſeculum ſemel iterúmque acciderunt, aduertet animum. Perſenſerat aculeos difficultatum ex natura libertatis legitimè expoſita, Doctor grauis & eru-

ditus. Viderat quam operosum esset, diuinæ libertatis indifferentiam cum immutabilitate conciliare. Penetrauerat abyssum difficultatum in consensione diuinarum motionum ineluctabilium, & libertatis quam humanæ voluntati ad supernaturales actus meritorios fides tribuit: Quàm abdita & inaccessa passim sit Christi libertas circa opera à Patre demandata, intercludente peccandi potestatem summa Christi sanctitate & diuina tutela, clarè perspexerat. Has difficultates vt leniret, visus sibi est philosophaturus non incommodè, & difficultatum illarum salebras declinaturus, si libertatem non vt ferebat antiqua sententia in potestate actiuè indifferente, sed in obiectiua indifferentia collocaret; ita vt quæcunque præcederent, aut comitarentur vel subsequerentur voluntatis actum, circa obiectum cuius indifferentia ab intellectu exhiberetur, nulla ratione libertati voluntatis officerent, quandiu indifferens illa exhibitio superstes esset.

XIX. Quod reclamasse illicò propè omnes ad eam nouitatem, videret autor cum quo agimus, & non enodari eo facili ac in speciem molli modo difficultates, sed augeri; eludi, non elidi, firmis rationibus confecisse; vt molle ipse quoque ac expeditum iter aperiret, difficultatésque illas auerteret, libertatem non in iudicij indifferentia, quod fecerat Doctor anterior, sed in indifferentia seruato ordine finis, vel potiùs in amplitudine ad eam indifferentiam consequente collocandam edixit. Neque hoc benè, vt vt facilitas difficultates grauissimas expediendi, abblandiri autori, & eius consiliis lenocinari sit visa. Eam certè facilitatis conse-

ctationem, autor in seipsum disertus, damnat ignauiæ, & exagitat elegantissimè Et meritò quidem. Nam difficultates, & operam in eis enodandis collocandam refugere, ijs ad satisfaciendum adductis quæ consistere nulla ratione queant, illaudatæ profectò est parsimoniæ; Nec secus accidit in ea operæ ac veluti impensarum deuitatione, quàm si quis parciturus sumptibus in iaciendis altè fundamentis domus quam ædificare velit, consilium ineat in terra non excauata ædificandi, ídque à parcitate commendet. Vt quid enim infodere terræ plurimam materiam, quæ tollendo sublimè ædificio idonea sit? At hanc nemo non videt inconsultissimam fore parcitatem. Vt enim liberatio ab expensis illis probari posset, constare priùs oportuerat, domum nullis introrsum iactis fundamentis stare posse. Non aliter res habet in præsentia. Difficultatibus namque expediri, optandum est; ita tamen vt expeditio forma sit, nec destituatur fundamento. Intelligit autor quid dicam, & in quem isthæc cudatur faba.

Accessiones causa secunda, captatio plausuum, aut gratiæ à diuina diuersæ.

XX. Adiungo ignauiæ quam secundam nouandi causam statuebam, captationem humanæ laudis aut gratiæ, potiore sanè iure quàm autor hæc coniuncta voluerit circa priscam de libertate sententiam. Meritò sanè laudis illecebra, & plausuum quasi titillatio, permouisse ad nouandum timeri potest, cum aliis quibusuis in rebus tum maximè in sententiis, & disquisitione

rerum abditarum. Quid enim plausibilius, quàm audire, ingenium sublime, ferax, ingenuum, non alienorum inuentorum seruum, indéque digito monstrari & dicier hic est? Quid plausibilius quàm vbi omnibus ingeniis hactenus fixa fuerit crux, aliquid excogitare quo difficultates omnes dispellantur, & veritas discussis offuciis enubilata nitescat? Est itaque in nouarum sententiarum excogitatione, captationi laudis ac plausuum locus. Nam & nouæ merces, peregrinitate sua vendibiliores sunt: & vt ex Homero prodit Lucianus Dialogo Zeuxis, *noua quæque cantilena audientibus est gratissima*: & de quo indignatum Zeuxim refert, *vincis sæpè operis diligentiam argumenti nouitas.* At in annosis iam & situ obsitis, gratia marcori ætatis non lenocinatur. Ideóque laudi minùs & commendationi patent. Hæretici sanè quos amor nominis laudúmque insana cupido plerunque dementat, pari flagrant cupiditate nouandi, quam in eis Nazianzenus orat. 41. *initio*, rectè obseruauit. Sed & iam olim S. Irenæus, Gnosticos quos in laudis escam intentissimos sæpè describit, nouitatum quoque affectatione celebrat; nominatim lib. 1. cap. 18. *Qui recentiores eorum agnoscuntur*, inquit, *affectant per singulos dies nouum aliquid adinuenire, & fructificare quod nunquam quisquam excogitarit.* Multo itaque facilius est, vt leues animæ, ad nouandum in sententiis vbi minus affulget periculi, spe laudis & obiecta plausuum esca prolectentur. Audi Sarisberiensem lib. 3. Metalogico c. 18. *De magistris, aut nullus, aut rarus est, qui Doctoris sui velit inhærere vestigijs. Vt sibi faciat nomen, quisque proprium cudit errorem.* Quid hîc non ve-

rum? Quid quod circa fabricationem nouæ de libertate sententiæ accidisse sit impossibile? Autor secum ipse reputet. Mihi ex vetere formula N. L. nec vt liqueret, iuuaret prodere.

XXI. Par esto iudicium de placendi cupiditate, & gratiæ captatione. Hanc enim esse magnam plerunque illecebram nouitatum, dubitare non licet. Nouitate enim capitur humanus animus, & antiqua vsu ac assuetudine fastidiens, gratos habet qui noua ingerunt: vt inter causas *quæ nobis merita nonnunquam maxima velant*, autore Seneca 3. de benefic. cap. 3. *prima omnium ac potissima*, ab eo proferatur, *quòd nouis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus inspicimus; non in id quod est, sed quod appetitur intenti; Quicquid enim domi est, vile est. Sequitur autem, vt vbi quod acceperis leue nouorum cupiditas fecit, autor quoque eorum non sit in pretio.* Persensit iam olim ac etiamnum persentit Ecclesia, dispendium fontis huius nouitatum. Nam hæreses, quæ vt pulcherrimè in aureo commonitorio prosequitur Vincentius Lyrinensis, puræ putę sunt nouitates, non aliunde magis ortum habent, quàm ex placendi amore quo flagrant errorum magistri & buccinatores mendacij. Quod non tacuerunt, qui hæreseon natales vestigant, Alfonsus de Castro lib. 1. contra hær. cap. 11. & Stapletonius orat. de causa grassantium hæreseon, alijque eiusdem argumenti tractatores. Idque vt illi tacuissent, euentorum series satis supérque comprobaret. Quid enim aliud quàm placere hominibus carnem sapientibus voluerunt, qui nuper & iam olim, cœlibatum, ieiunia, corporis mace-

rationes, & quicquid carni insuaue est, ab Ecclesia & Christiano vsu eliminarunt? Fuit hic semper vt grauissimè expostulat S. Hilarius initio decimi de Trinit. mendaciloquorum mos, *placita magis quàm docenda conquirere, & corrumpere sanctitatem fidei, dum secundùm desideria studiorum potiùs quàm secundùm euangelicam fidem coaceruant doctrinam. Auribus enim prurigine incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem sub nouella desiderij sui prædicatione scalpuntur, ipsi penitùs ab auditu veritatis alieni, totos se fabulis destinant, vt his quæ loquuntur veritatis speciem acquirant, dum quæ vera sunt, & loqui & audire non possunt.*

XXII. Extra res fidei, non paucæ nouitates ebulliuerunt ex hoc capite; inter Iurisconsultos præsertim, qui vt partium gratiam emerceantur, & placentia loquantur, haud ægrè nuncium veritati remittunt, maximè si principum res agatur, & spes ingentis commodi ostentetur. Tunc enim omnia audere, & nullis nouitatibus parcere, nouum non est; impendétque alioqui dispendium non captatæ nouando gratiæ: quod sibi accidisse, Bulgarus Bononiensis Iurisconsultus, non illepidè questus proditur ab Ottone Morena in Chronico Laudensi. Cum enim aliquando inter ipsum Bulgarum, & Martinum illum cuius ceruicositas apud Iurisperitos locum parœmiæ fecit, medius equitaret Fridericus Imperator, quæsissetque ab eis, vtrum de iure mundi totius dominus esset, & quidem dominio proprietatis, renuit Bulgarus eâ nouitate asserenda abblandiri Imperatori, quod cum impigrè præstitisset Martinus, eáque ex causa equo ab Imperatore dona-

tus eſſet, exclamauit Bulgarus; *Amiſi equum, quia dixi æquum, quod non fuit æquum.* Aſino melius compenſandam dixerim eam Martini aſinitatem, qua vt Imperatori aſſentaretur, & placentia loqueretur, vna nouitate effutienda tot mortalium iura violauit.

XXIII. Quid verò ſtatuemus de tanto apud aliquos ſtudio ſententias nouas cudendi, aut defoſſas educendi in apertum, ac renouandi, quibus Romani Pontificis ſupra quoſcunque Eccleſiaſticos hierarchas plena poteſtas labefactetur, ſpecie quidem firmandi Eccleſiaſticam hierarchiam, quaſi religioſorum ordinum immunitatibus per ſummos Pontifices conceſſis turbatam: reuera autem vt plena ac ſumma Chriſti Vicarij autoritas conuellatur, & ſchiſmati quod Satan pridem molitur, via muniatur? Cœteroqui enim multo magis politiam Eccleſiaſticam turbant, & hierarchiam conuellunt nouitates illæ quibus à capite membra abiunguntur, & clancularijs ſuffoſſionibus, Eccleſiæ firmitas vocatur in diſcrimen. Eſſétque id multo indignius & incongruentius, ſi qui ſudant & algent vt regularium exemptiones trahant in inuidiam apud immediatos Paſtores, eſſent ipſi irregulares id eſt merè ſeculares, & tamen Ordinariorum iuribus poteſtatíque ſubducerent ſeſe, beneficio Pontificiorum diplomatum, quorum in alijs vis ac iuſtitia tanta contentione eneruatur. Hoc verò eſt quærere hominibus placere per profanas nouitates. ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα.

An in noua libertatis notione cudenda, propoſitum autori fuerit cuipiam placere, meum non eſt veſtigare. Probandus tamen admodum eſt eius candor,

quo

quo se veteri sententiæ primùm adhæsisse, & eam habuisse indubitatam profitetur, lib. 1. capite 36. num. 4. postea tamen autoritate viri eminentissimi, qui penetrata diligenter libertatis maiestate, & vera notione eius perspecta, humilitatem ac abiectioné veteris sententiæ, amplitudine & eminentia commutauerat, ac aliis idem vt persuaderet quibuscunque poterat rationibus laborabat; adductum esse, vt pro amplitudine & eminentia staret, eáque libertatem veram, nouo quidem modo, sed magnifico & gratiæ Dei perhonorifico definiret. Hæc ex autore, ea epistola qua opus Pontifici inscribit. Et laudanda est ingenuitas, qua vnde ad has nouitates amplexandas persuasus fuerit, edocemur.

III. Spiritus singularitatis.

XXIV. Causa tertia sententiarum nouitates consectandi, spiritus est singularitatis. Sunt enim ingenia, quæ tacita naturæ dissensione ab aliis, aut genio ad nouandum facto, fastidiunt quæcunque alijs placuisse animaduertunt, nec nisi noua & aliis nunquam audita aut visa probant. Hinc illa nouarum & contra vnanimem Sanctorum Patrum consensum fabricatarum Scripturæ interpretationum inuectio, improbata in Tridentina Synodo. Hinc in ipsis quoque vocibus quibus res mysticæ exprimuntur, hodie apud pleròsque vigens insulsitas tanta, vt perinde ac si voces communiter receptæ sorderent, vel annositate situm contraxissent, abiiciantur omnino: Vsurpentur autem nouæ & insolitæ locutiones, quibus trutinandis, doctrinæ singularitas, atque adeò sensuū granditas &

profunditas prodatur. In ſcholis Theologicis, huius ſingularitatis fœtus eſt, adinuentio placitorum præter communem ſenſum: quo nomine malè apud pleroſque audiuit Durandus, quòd ingenij vim qua valuit plurimùm, & ſcribendi methodum ac pelluciditatem quæ in eo fuit eximia, intra ſepta communium ſententiarum frequenter non coërcuerit, ſed iugi in alios pugnacitate audire voluerit Scholaſticorum veluti Iſmaël, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum fixit tabernacula. Autor, & ſcripturis ad ſenſus nulli Patrum aut interpretum compertos obtorquendis, & exoticis locutionum formulis conquirendis, & placitis in ſchola planè nouis paſſim fundendis, adeò diligentiam probauit, vt poſſit ſingulariter ſe eſſe donec tranſeat, augurari.

IV. Superbia.

XV. In quarta nouandi circa ſententias cauſa, nihil aduerſario affictum volo. Ipſius erit inter explorandum cogitationum ſuarum fibras, aduocata cœleſti luce diiudicare, an hæc nouandi cauſa eum attigerit quoquomodo, cum in cudenda noua libertatis notione laboraret. Ægrè adducor, vt hanc cauſam & ſenſum de ea meum, obſtetricante calamo educam. Sed audendum eſt, & quod Philoſophus 1. Ethic. cap. 6. conteſtatur, veritatis amor cuiuis neceſſitudini anteferēdus.

Superbia plerunque ac typhus animi, ad deſpiciendas alienorum ingeniorum fruges, propria autem in-

uenta magnificienda, inconsultos animos abripit: Et quæ perbella est Synesij in hanc rem comparatio, præ superbia qua in rebus nostris diiudicandis cœcutimus, non secus circa ingeniorum quàm circa corporum fœtus accidit. Matribus enim præ amore exoculatis, proles propria quantumcunque deformis; ac vel si Thersitem, aut illum in quo Sidonius ingenium exercuit, deformitate superet, (vt proinde aliis quos amoris fascinum clara visione non prohibet, accedere ad simiolos videatur,) exquisitæ pulchritudinis ac venustatis velut paradigma existimatur. Nimirum amamus omnes insito naturæ impetu, nostra: Et quia amor in bonum & pulchrum fertur, ijs quæ amare fixum habemus, boni ac pulchri accessionem facimus, abblandientes nobis, & quæ ad nos spectant amplificantes per superbiam; à qua illa in speciem granditas, veriùs tumor inanis rerum cuique suarum, ingenij, iudicij, industriæ, & (quod nunc agimus,) inuentorum. Ea verò semel concepta & edita, obfirmatè retenta velle, eiusdem viperæ genimen est. Indidem quoque alienorum inuentorum quantumuis antiquorum deprecatio. Est in hanc rem insignis locus apud S. Gregorium 5. Mor. cap. 18 ad illud, *porrò ad me dictum est verbum absconditum*, vbi præter cætera de hypocritis ait. *Communem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur. Occulta vel noua semper exquirunt, quæ dum alij nesciunt, apud imperitorum mentes, ipsi de scientiæ singularitate gloriantur.* Abrumpo orationem, quod de inuidioso argumento, non possim videri protulisse nimis pauca.

V. Iudicij imbecillitas.

XXVI. Postremam circa sententias nouandi caussam, profero imbecillitatem & exilitatem iudicij. Paruo enim numero sunt lectæ animæ, quibus iuxta Platonem aurea materia obtigerit. Imbecillitatem porrò iudicij, consequitur existimatio de infirmitate alienarum sententiarum, & perfacili earum expugnabilitate, quia attendentes ad pauca, facilè pronunciant. E contra verò, quoad propria placita, nihil frequentius aut procliuius est, quàm vt homo spiritu pauper, (iuxta Caietani iocum,) & exiguo iudicio, sibi abblandiens & sensorum suorum venustati lenocinans, occupetur cogitatione de expedita & vix vllis difficultatibus patente eorum veritate. Vnde cuiuslibet nouæ cogitationis tanquam fungi subitò apud ipsum nati exosculatio.

Hîc autorem perstrictum nolo. His tamen verborum ampullis commentationis suæ veritatem, perspicuitatem, soliditatem celebrat, vt ipso quidem iudice, nihil contra obiici verisimiliter possit. Antiquam verò sententiam, non quassam modò, sed & funditùs euersam rationum suarum machinis arbitratur.

CAPVT XII.

Iudicium de mysterijs ortus libertatis nostræ à diuina, & regreßionis ad eam.

I. VENTVM est ad mysteria. Profanum vulgus arcetor. Epoptæ tantùm ac mystæ adsunto. Ortum creatæ libertatis à diuina, & regressum ad eam, de aduersarij mente in superioribus sæpè tetigimus; nunc demum de eo pronunciare operæpretium est. Agit autor de ortu, plenè lib. 2. cap. 12. & 13. de regressu autem ibidem & cap. 27.

Summa doctrinæ est. Antequam in nobis simus educti extra causas nostras, sumus in summa libertate: regnamus quippe in Deo, quia sine oppositione, sine contrarietate, vlláque prorsus diuisione in eo sumus: quod est esse summè vnum, & amplum, atque adeò liberrimum. Cum verò per productionis portam à Deo eximus, sicut à Deo summa vnitate & amplitudine, ita à summa quoque libertate discedimus quia desinimus vnum esse cum eo qui est omne esse, & proprium ac particulare esse adipiscentes, ad limitationem & angustias nostras à libertatis amplitudine deficientes delabimur, & quibusdam quasi compedibus finitatis constringimur. Patet tamen per aliam quasi portam regressus ad eandem libertatem, cum hinc digredientes summo & vniuersali bono perfectè sociamur, & abie-

cta particularitate ac limitatione quam contraximus in exitu à Deo, ac descensu ad proprium ordinem, transimus ad amplitudinem & vniuersalitatem ordinis diuini, *egrediendo quasi carcerem quendam, terminos proprij nostri esse, ordinisque primaui, & exiliendo ad amplitudinem summi boni, atque ad eius ordinem transeundo.* Itaque creaturæ rationales, per suum à Deo egressum desinunt vnum cum illo esse, quatenus nouum ac differens esse sortiuntur: In regressu autem & consummatione, in tantum cum illo vnum fiunt, in quantum propriam differentiam propriámque limitationem transcendunt, & ad diuinam vnitatem assumuntur, fœliciter absorptæ in Deo. *Et sicut cum creaturæ egrediuntur à Deo, manent tamen in Deo: sic cum regrediuntur ad Deum, manet tamen vnicuique proprium suum esse, sed reductum ad Deum, sed abscõditum & immensum in abysso diuinitatis: sed ita vt ipsæ quæ proprio suo esse & ordine altiores & eminentiores esse cœperunt, cum ordinem per gratiam ingressæ sunt, proprium tunc ordinem penitus supergressæ sint, & in diuino ordine omnino consummatæ.* Hæc sunt ima penetralia & adyta, eminentiæ & amplitudinis, nostræ humilitati ac nihilo communicandæ. Nam hæc est nouissima ac postrema creaturæ amplitudo, quam autor cap. illo 13. num. 3. *eandem* esse ait, *cum prima & æterna, ita tamen vt quæ ab æterno erat Dei non nostra, fiat nostra in æternum.* Sic autor de libertatis creatæ egressu à Deo, & regressu ad eum.

Aduersarius mysticus totus, atque Platonicus.

II. Deprehendo quorsum strenuus laudum aduer-

ſarij buccinator, in encomio operi præfixo, doctrinam eius neget eſſe *Peripateticam*, affirmet autem *Platonicam atque diuinam* eſſe. Verè enim non Peripatetica, id eſt expedita & nullis verborum inuolucris abdita, ſed Platonica dicenda fuit ea doctrina, quæ res clarè & apertè enunciabiles, tot myſteriis & ænigmatibus de Platonis more inuoluit. Itaque quo conſilio Ariſtoteles Platonicam de ideis philoſophiam exploſit 1. Ethic. cap. 6. ſæpéque alibi antiquos Philoſophos reprehendit, quòd adhibitis ænigmatum integumentis obſcurarent quæ perſpicuè & apertè tradi oportuerat erroris occaſione ſubducta: eodem inprimis, vt cætera deeſſent, diſplicere debet modus philoſophandi autoris, res per ſe abditas magis occultans; quæ verò apertæ erant, eas verborum ambagibus in myſteria conformans.

Annuet haud dubiè æquus Lector, ſi quantum aduerſarij doctrina ad Platonicas ideas accedat, perſpicuum fecero. Paſſim enim circa eas improbatum Platonem ſcimus, non ab Ariſtotele modò, (quem plerique aliò detorſiſſe Platonis mentem expoſtulant, vt eſſet vbi genuinum infigeret;) ſed & à grauiſſimis Patribus, quos profero in Natur. Theol. diſt. 1. num. 44. Neque tamen planè exſors veritatis eſſe videtur Platonis placitum, ſi detractis verborum inuolucris, ipſum per ſe nudúmque ſpectetur: at adeò ænigmaticè & implexè propoſitum, iure reijcitur. Non aliter de aduerſarij ſententia, ſi magnam partem in Platonis Ideas recidat, ſtatuendum erit. Hoc ergo monſtremus.

Ideas Plato, quod ex ipſomet, ac Platonicis diſt. illa

1.num.41.& seqq.apertè monstraui, non alias agnouit quàm diuinam sapientiam atque potentiam, vnde educti per creationem sumus. Ad eas hîc dum vitæ huius scamma decurrimus, aptamur morum sanctitate ac virtutibus. Tandem verò regressione ad eas, donandi beatitate, & in diuinum quasi ordinem transcribendi sumus. Hæc est mens Platonis, vt nominatim videre est apud Aristotelem 1.Ethic.cap.6.vbi eam hominis per Ideas fœlicitatem, impugnat iuxta nudum corticem verborum quibus à Platone proponebatur. At hæc ipsissima est aduersarij sententia de hominis libertate à Deo per productionem velut extracta, & hîc per tempus vitæ pro maiori vel minori adhæsione cum Deo, magis minúsve affecta; tandem verò per regressum ad Deum ac beatitudinem, planè consummata atque perfecta. Nam apud autorem, inchoata libertate frui, & Deo adhærere per gratiam; itémque perfecta libertate potiri, & beatitate donari, idem omnino sunt, vt in superioribus sæpè vidimus. Igitur quod de Platonis Ideis omnes statuunt, quicquid scilicet sit de veritate sententiæ, genus tamen illud philosophandi implexum & ænigmaticum, probari non posse; esséque auersandum vt plenum latebris & ambagibus, idipsum de modo philosophandi autoris, qui Platonico tam genuinus est, pronunciandum videtur.

Eiusdem ac Rusbrochij, in mysterijs germanitas.

III. Nec dissimiliter de sententia quadam Ioannis Rusbrochij

Rusbrochij quæ in aduersarij sententiam æquè recidit, pronunciatum video à Gersone, duplici epistola ad Bartholomæum Carthusiensem. Affirmabat Rusbrochius, vt his verbis tradit Gerso priore epistola, *quòd anima perfectè contemplans Deum*, (in hac vita quidem initialiter, perfectè verò in beatitudine,) *non solùm videt eum per claritatem quæ est diuina essentia, sed est ipsamet claritas diuina. Imaginatur enim sicut scriptura sonat, quòd anima tunc desinit esse in illa existentia quam priùs habuit in proprio genere, & conuertitur seu transformatur & absorbetur in esse diuinum, & in illud esse ideale refluit quod habuit ab æterno in essentia diuina: de quo esse dicit Ioannes in Euangelio, quod factum est in ipso vita erat. Et hoc esse præsupponit autor iste causam nostræ existentiæ temporalis, & esse vnum cum eo secundùm essentialem existentiam. Addit, quòd perditur anima contemplantis in esse tali diuino abyssali, ita vt reperibilis non sit ab aliqua creatura.*

Plagulas Rusbrochij à Gersone decerptas hîc attexere, opportunum existimo; quod pleraque Rusbrochij verba ac phrases apud autorem syllabatim habeantur, vt refossam ab eo Rusbrochij sententiam, coniectare non inuerisimiliter liceat. Sic igitur habet ex Rusbrochio Gerso. *Hæc sunt pauca de dictis suis excerpta ad literam. Ait enim* secundo capite tertiæ partis. *In ipsa quidem sui vacuitate per fruitiuum amorem, spiritus perdit semetipsum; denique claritatem nullo intermediante suscipit, ac sine intermißione, ipsa fit ea claritas quam accepit.* Et tertio capite. *Dependetque nostrum esse creatum ab esse æterno, & secundùm essentialem*

existentiam, vnum cum illo est. Sequitur. *Vniuersi super sui creationem in vitæ contemplatiuæ altitudine sublimati, vnum sunt cum hac deifica claritate, imò ipsa claritas, ipsi sunt. Vident proinde, sentiunt & inueniunt per hoc deificum lumen, se secundùm esse vitamque suam increatam, eandemque fore simplicem diuinitatis abyssum.* Sequitur. *Atque cum eo quo vident, & quod vident, lumine idem fiunt.* Et primo capite dixerat. *Vniuersi deuoti spiritus vnum cum Deo profundo amoris defluuio, sicut defecti non quomodolibet quidem vnum, sed ipsum quod est ipsa in se essentia Dei, eo modo quo beatifica beatitudo.* Et quarto capite expressiùs ait. *Illhuc spiritus est super seipsum translatus & vnificatus Deo, gustans vidensque in vnitate viuidæ abyssus in qua sese secundùm esse suum increatum possidet immensas diuitias, quæ ipsemet iuxta eum modum quo eas Deus, gustat & videt.*

IV. Vides placitum, aduersarij placito omnino genuinum; quod tametsi in Rusbrochio ab explorata hæresi liberare conati sint aliqui, vt Ioannes de Schonauia, libello qui Gersonis epistolæ subnectitur tomo 1. operum Gersonis, & Dionysius Richelius lib. 3. de vita contempl. cap. vltimo, allegantes alia Rusbrochij loca, quibus apertè dicitur, hominem post eum regressum in Deum, manere hominem verè à Deo distinctum, nec nisi similitudinariè & metaphoricè effici Deum. Ita enim habet in Opusculo quod inscripsit Samuel seu de vera contemplat. & lib. 2. de ornatu spirit. nupt. à cap 76. & lib. de septem custodijs cap. 14. Tamen omnibus eo saltem nomine displicuit Rusbrochius, quòd de re quæ dilucidè & manifestè tradi po-

terat, adeò implexè pérque tot ambages ſit locutus. Nec dubitauit Gerſo, eam Rusbrochij doctrinam, tametſi prædicta explicatione conditam, damnare inſaniæ, in opere de myſtica Theologia ſpeculat. conſiderat. 41. vbi ſuam illam epiſtolam aduerſus Rusbrochium allegat, ac proinde auditas ſibi excuſationes quæ pro Rusbrochio afferebantur, oſtendit.

De myſtico vtriuſque nouiloquio, iudicium Gerſonis.

V. Porrò quod libertatis à Deo egreſſio, & ad Deum regreſſio, de qua agimus, ad illud genus ſpectet inſolitarum loquendi formularum, quæ defigendis ſtupore rudibus adhiberi à nonnullis ſolent, & vſurpantur ab autore frequentiſſimè, iuuat non omittere quid de illa verborum nouitate in explicandis ſiue rebus Theologicis ſiue pijs, eidem Gerſoni viſum ſit. Permagni enim referre puto, abuſum hodie inualeſcentem, interpoſito hominis ſapientiſſimi iudicio, quaſi freno cohibere. Sic habet in ſecunda epiſtola ad Carthuſienſem prædictum. *Deuotio illorum culpanda eſt, qui nituntur inuoluere ſententias ſermonibus imperitis, peregrinis, & inuſitatis: vel eos qui ſic volunt laudare atque defendere & defendēdo ſeipſos magis inuoluere quàm euoluere. Adducam hoc loco ne mihi ſoli videar inniti, particulam cuiuſdam ſermonis factam in capitulo vno fratrum Carthuſienſium, anno Dom.* 1408. *cuius thema eſt*, Videamus ſi floruit vinea. *Quartam deuotionem falſam, id eſt vanam & curioſam, illi exercent, qui ſine mortificatione propriæ voluntatis, ac Zelo*

Domino seruiendi, vitam spiritualem consistere credunt in ruminatione, vel potiùs phantasiatione rerum spiritualium; æstimantes hanc ipsam phantasiationem vel saltem delectationem inde consequentem, deuotionem esse: vnde hi ad hanc ipsam consequendam, non contenti modis loquendi Scripturæ sacræ, adinueniunt sibi vel fingunt de rebus spiritualibus modos abstractiores, eo quòd tales maiorem eis delectationem generent. Plerunque etiam ob hoc, materias satis faciles obscuris modis & abstractis in quibus delectantur, obuoluentes, aut vocantes humiliationem, vel fortaßis etiam altam contemplationem, submersionem in abyssali profundo; diuinum amorem, annihilationem vel in nihilum redactionem; charitatiuum votum mentis in Deum, influxum in Deum; vocantes motus ad opus propter Deum, effluxum à Deo, & sic de aliis consimilibus, quamuis tamen Christus, Prophetæ, & Apostoli, & omnes Doctores Scripturæ sacræ tractatores, quantum poterant & expediebat, ea quæ difficilia fuerunt, per modos loquendi fecerunt facilia. Hæc reuera falsa deuotio, est religiosis periculosißima, quoniam multos, vt quotidiana heu docet, & dolenda docuit experientia, qui spirituales ac religiosi apparebant, decepit, infatuauit, vel penitus excæcauit, ita vt fierent in obseruantiis regularibus quas despexerant desides, superioribus quos rudes reputabant rebelles, etiam aliqui fugerent & apostatarent, aliqui etiam hæreticarent, vel ante tempus prophetarent, dicentes. Hæc dicit Dominus, cum Dominus non esset locutus: sed superba, vel saltem phantastica capita eorum, hæc ipsa confinxerunt. Aliqui quoque mirabiles fatuitates extrinsecùs in prætensis iubilationibus, tripudijs, saltationibus, & huiusmodi ostēderunt. Sequitur. *Quarta deuotio est, vinum valdè fumo-*

ſum, id eſt ſuperbiæ generatiuum, & eſt libidinoſum, de quo myſticè & illa fortaſsis inhibitio Apoſtolica accipi poteſt, nolite inebriari vino in quo eſt luxuria : *Et reuera in hoc ipſo eſt ſpiritualis luxuria, eo quòd ſic falsè deuoti, non Dei cultum & honorem, ſed propriam quærunt delectationem. Hæc ibi.*

VI. Subdit Gerſo continenter. *O ſi vidiſſes quiſquis autor fuiſti ſermonis illius, ſi vidiſſes epiſtolam nouiter oſtēſam mihi,* (qua locutiones Ruſbrochij ſuperiùs relatæ defendebantur,) *quid dixiſſes? quid ſtomachi habuiſſes?* Exclamē & ego potiori iure. O ſi vidiſſes & tu Gerſo, quæ & qualia hodie paſſim iactentur, etiam inter Bertas quæ ſpirituales audire volunt, anterioribus omnibus quantumuis Metaphyſiciſſimis in eo genere, Ruſbrochio inquam, Taulero, Harphio, Suſoni inaudita? O ſi audiſſes, *tranſubſtantiationes myſticas, cordis concentrationes, potentiarum annihilationem, connubium eſſentiæ creatæ & Diuinitatis, ſpirituale Sacramentum inſeparabilitatis, charitatis coëmptionem, ſomnum omnium affectionum, triplicem animæ hierarchiam, orationem in quiete paſſiua, ebrietatem ſpiritualem, cordis ſilentium, meditationes negatiuas, vniones ſupereſſentiales, puteum & gurgitem annihilationis cardiacæ, amorem deificum tranſformantem, vnientem, abyſſalem, & cum Deo identificantem: confricationem deificam, eleuationem ex ſanitate cæleſti & infernali languore, introuerſionem ſupercæleſtem, caliginem & vmbram Dei, allocutiones internas, eleuationes incognitas, animæ ſuſpenſionem, iuſtitium ratiocinij, aſſultus qui ferri nequeant, hypermyſticas animæ & Dei perychoreſes, impudentiam ſpiritualem, aſpirationes miſanthropicas, ignem ſi-*

ne carbone, flammam sine corpore, ad holocaustum meridianum in visscerali impenetrabilitate. ῥήματα, ἢ θαύματα.

Hæc sesquipedalia verba, in noua pietatis schola adeò frequenter tenero supplantantur palato, vt nihil Magistri, nihil quilibet discipuli, sed discipulę maximè ex vtroque ordine, seculari inquá ac regulari, habeant familiarius. Diceres vsitatas locutiones, quasi vltroneas merces putere, & vocibus, vt Salyorum carminibus, quæ ne ipsi quidem Sacerdotes satis intelligerent ait Fabius l. 1. cap. 11. de raritate duntaxat ac peregrinitate pretium accrescere. Longè alio sanè cósilio quàm quod in sacris libris Spiritu sancto dictante Scriptores sacri perpetuò tenuerunt, vt Theodoretus l. 9. contra Græcos pulchrè obseruauit, addens & exemplis patefaciens, pretiosorú omnium vidé esse testam; nec decedere libris sacris quicquam pretij, si vocibus pleni sint vulgaribus, ac de triuio acceptis, quas quilibet possit percipere; cum par non sit, rerum maiestatem è verbis abditis ac imperuiis petere, sed verba potiùs è rebus quas exprimunt, & modo perspicuè ac significanter exprimendi, æstimare iustum sit.

Nouiloquium mysticum, à sapientum vsu abhorret.

VII. Non aliter locutum Christum Dominum de rebus sacris quantumuis abditis accepimus; non aliter Apostolos in epistolis, non aliter sacros Doctores in homiliis, aut scriptis libris, non aliter scholasticos in disputationibus sensa sua enunciasse, certum est. Quis enim Euangélistarú aut Apostorú, vel Patrú aut scholasticorum, impeccabilitatem qua beati potiuntur in

cœlo; expreſſit nomine regreſſus libertatis noſtræ in diuinã? Quis tranſubſtantiationem ſpiritualem ac myſticam appellauit quæ dici perſpicuè poterat, charitas incenſiſſima? Sed *homines*, vt cum Gellio loquar l. 6. c. 15. *in doctrinis quaſi in præſtigijs mirifici, communiúmque vocum reſpuentes nimis & faſtidientes*, qui non habent vnde dignitatẽ ac pretium concilient rebus ſacris quas pertractant, vſurpant ſeſquipedalia hæc verba quæ dixi, & ampulloſas loquendi formulas adhibent; conſilio non abſimili ei Chymicorum induſtriæ, qua *Mercurij Saturnique fexiones, Solis ac Lunæ per piſtillum contuſiones*, pro certa argenti, auri, plumbi, & huiuſmodi metallorum applicatione vſurpant, grandiore vocum ſono, eadem ſententia, quæ ſimpliciter enunciata minus magnificentiæ habere videretur, & ſimplicem plebeculam minùs percelleret. Nec diſſimiliter Seplaſiarij, conditas melle aut ſacharo cucurbitas, *gutturis Angelici eſcas* nominant, & *lachrymas Chriſti, manus Chriſti, ſanguinem Draconis*, aliáque huiuſmodi grandia verba, vilibus materiis obducunt, vt eo ignotarum vocum apparatu, vendibiliores videri ac eſſe poſſint. *Cabaliſtæ* quoque, dum affectant admirationem concitare nouitate vocabulorum, quàm ſint ridiculi, & quanta ineptiant, fusè proſequitur Baptiſta Criſpus in opere cautionum in Platonem, diſtribut. 1. l. 2. digreſſione in eos qui ſecretiores Theologi nuncupari affectant, nempe nouarum præſertim vocum myſteriis. *Nobis* quia *antiquos ſermones vim ſuam non perdere, vt antiqua pharmaca exhalato ſpiritu faciunt*, perſuaſiſſimum eſt, cum Dione Pruſæ[illegible] [illegible]os retinendos, nec nouellis ſpecioſioribu[illegible] [illegible]tandos eſſe.

cta particularitate ac limitatione quam contraximus in exitu à Deo, ac descensu ad proprium ordinem, transimus ad amplitudinem & vniuersalitatem ordinis diuini, *egrediendo quasi carcerem quendam, terminos proprij nostri esse, ordinisque primaeui, & exiliendo ad amplitudinem summi boni, atque ad eius ordinem transeundo.* Itaque creaturæ rationales, per suum à Deo egressum desinunt vnum cum illo esse, quatenus nouum ac differens esse sortiuntur: In regressu autem & consummatione, in tantum cum illo vnum fiunt, in quantum propriam differentiam propriámque limitationem transcendunt, & ad diuinam vnitatem assumuntur, fœliciter absorptæ in Deo. *Et sicut cum creaturæ egrediuntur à Deo, manent tamen in Deo: sic cum regrediuntur ad Deum, manet tamen vnicuique proprium suum esse, sed reductum ad Deum, sed absconditum & immensum in abysso diuinitatis: sed ita vt ipsæ quæ proprio suo esse & ordine altiores & eminentiores esse cæperunt, cum ordinem per gratiam ingressæ sunt, proprium tunc ordinem penitus supergressæ sint, & in diuino ordine omnino consummatæ.* Hæc sunt ima penetralia & adyta, eminentiæ & amplitudinis, nostræ humilitati ac nihilo communicandæ. Nam hæc est nouissima ac postrema creaturæ amplitudo, quam autor cap. illo 13. num. 3. *eandem* esse ait, *cum prima & æterna, ita tamen vt quæ ab æterno erat Dei non nostra, fiat nostra in æternum.* Sic autor de libertatis creatæ egressu à Deo, & regressu ad eum.

Aduersarius mysticus totus, atque Platonicus.

II. Deprehendo quorsum strenuus laudum aduer-

ſarij buccinator, in encomio operi præfixo, doctrinam eius neget eſſe *Peripateticam*, affirmet autem *Platonicam atque diuinam* eſſe. Verè enim non Peripatetica, id eſt expedita & nullis verborum inuolucris abdita, ſed Platonica dicenda fuit ea doctrina, quæ res clarè & apertè enunciabiles, tot myſteriis & ænigmatibus de Platonis more inuoluit. Itaque quo conſilio Ariſtoteles Platonicam de ideis philoſophiam exploſit 1. Ethic. cap. 6. ſæpéque alibi antiquos Philoſophos reprehendit, quòd adhibitis ænigmatum integumentis obſcurarent quæ perſpicuè & apertè tradi oportuerat erroris occaſione ſubducta: eodem inprimis, vt cætera deeſſent, diſplicere debet modus philoſophandi autoris, res per ſe abditas magis occultans; quæ verò apertæ erant, eas verborum ambagibus in myſteria conformans.

Annuet haud dubiè æquus Lector, ſi quantum aduerſarij doctrina ad Platonicas ideas accedat, perſpicuum fecero. Paſſim enim circa eas improbatum Platonem ſcimus, non ab Ariſtotele modò, (quem plerique aliò detorſiſſe Platonis mentem expoſtulant, vt eſſet vbi genuinum infigeret;) ſed & à grauiſſimis Patribus, quos profero in Natur. Theol. diſt. 1. num. 44. Neque tamen planè exſors veritatis eſſe videtur Platonis placitum, ſi detractis verborum inuolucris, ipſum per ſe nudúmque ſpectetur: at adeò ænigmaticè & implexè propoſitum, iure reijcitur. Non aliter de aduerſarij ſententia, ſi magnam partem in Platonis Ideas recidat, ſtatuendum erit. Hoc ergo monſtremus.

Ideas Plato, quod ex ipſomet, ac Platonicis diſt. illa

1.num.41.& seqq.apertè monstraui, non alias agnouit quàm diuinam sapientiam atque potentiam, vnde educti per creationem sumus. Ad eas hîc dum vitæ huius scamma decurrimus, aptamur morum sanctitate ac virtutibus. Tandem verò regressione ad eas, donandi beatitate, & in diuinum quasi ordinem transcribendi sumus. Hæc est mens Platonis, vt nominatim videre est apud Aristotelem 1.Ethic.cap.6.vbi eam hominis per Ideas fœlicitatem, impugnat iuxta nudum corticem verborum quibus à Platone proponebatur. At hæc ipsissima est aduersarij sententia de hominis libertate à Deo per productionem velut extracta, & hîc per tempus vitæ pro maiori vel minori adhæsione cum Deo, magis minúsve affecta; tandem verò per regressum ad Deum ac beatitudinem, planè consummata atque perfecta. Nam apud autorem, inchoata libertate frui, & Deo adhærere per gratiam; itémque perfecta libertate potiri, & beatitate donari, idem omnino sunt, vt in superioribus sæpè vidimus. Igitur quod de Platonis Ideis omnes statuunt, quicquid scilicet sit de veritate sententiæ, genus tamen illud philosophandi implexum & ænigmaticum, probari non posse; esséque auersandum vt plenum latebris & ambagibus, idipsum de modo philosophandi autoris, qui Platonico tam genuinus est, pronunciandum videtur.

Eiusdem ac Rusbrochij, in mysterijs germanitas.

III. Nec dissimiliter de sententia quadam Ioannis Rusbrochij

Rusbrochij quæ in aduersarij sententiam æquè recidit, pronunciatum video à Gersone, duplici epistola ad Bartholomæum Carthusiensem. Affirmabat Rusbrochius, vt his verbis tradit Gerso priore epistola, *quòd anima perfectè contemplans Deum*, (in hac vita quidem initialiter, perfectè verò in beatitudine,) *non solùm videt eum per claritatem quæ est diuina essentia, sed est ipsamet claritas diuina. Imaginatur enim sicut scriptura sonat, quòd anima tunc desinit esse in illa existentia quam priùs habuit in proprio genere, & conuertitur seu transformatur & absorbetur in esse diuinum, & in illud esse ideale refluit quod habuit ab æterno in essentia diuina: de quo esse dicit Ioannes in Euangelio, quod factum est in ipso vita erat. Et hoc esse præsupponit autor iste causam nostræ existentiæ temporalis, & esse vnum cum eo secundùm essentialem existentiam. Addit, quòd perditur anima contemplantis in esse tali diuino abyssali, ita vt reperibilis non sit ab aliqua creatura.*

Plagulas Rusbrochij à Gersone decerptas hîc attexere, opportunum existimo; quod pleraque Rusbrochij verba ac phrases apud autorem syllabatim habeantur, vt refossam ab eo Rusbrochij sententiam, coniectare non inuerisimiliter liceat. Sic igitur habet ex Rusbrochio Gerso. *Hæc sunt pauca de dictis suis excerpta ad literam.* *Ait enim* secundo capite tertiæ partis. *In ipsa quidem sui vacuitate per fruitiuum amorem, Spiritus perdit semetipsum; denique claritatem nullo intermediante suscipit, ac sine intermissione, ipsa fit ea claritas quam accepit.* Et tertio capite. *Dependetque nostrum esse creatum ab esse æterno, & secundùm essentialem*

existentiam, vnum cum illo est. Sequitur. *Vniuersi super sui creationem in vitæ contemplatiuæ altitudine sublimati, vnum sunt cum hac deifica claritate, imò ipsa claritas, ipsi sunt. Vident proinde, sentiunt & inueniunt per hoc deificum lumen, se secundùm esse vitamque suam increatam, eandemque fore simplicem diuinitatis abyssum.* Sequitur. *Atque cum eo quo vident, & quod vident, lumine idem fiunt.* Et primo capite dixerat. *Vniuersi deuoti spiritus vnum cum Deo profundo amoris defluuio, sicut defecti non quomodolibet quidem vnum, sed ipsum quod est ipsa in se essentia Dei, eo modo quo beatifica beatitudo.* Et quarto capite expressiùs ait. *Illhuc spiritus est super seipsum translatus & vnificatus Deo, gustans vidensque in vnitate viuidæ abyssus in qua sese secundùm esse suum increatum posidet immensas diuitias, quæ ipsemet iuxta eum modum quo eas Deus, gustat & videt.*

IV. Vides placitum, aduersarij placito omnino genuinum; quod tametsi in Rusbrochio ab explorata hæresi liberare conati sint aliqui, vt Ioannes de Schonauia, libello qui Gersonis epistolæ subnectitur tomo 1. operum Gersonis, & Dionysius Richelius lib. 3. de vita contempl. cap. vltimo, allegantes alia Rusbrochij loca, quibus apertè dicitur, hominem post eum regressum in Deum, manere hominem verè à Deo distinctum, nec nisi similitudinariè & metaphoricè effici Deum. Ita enim habet in Opusculo quod inscripsit Samuel seu de vera contemplat. & lib. 2. de ornatu spirit. nupt. à cap 76. & lib. de septem custodijs cap. 14. Tamen omnibus eo saltem nomine displicuit Rusbrochius, quòd de re quæ dilucidè & manifestè tradi po-

terat, adeò implexè pérque tot ambages ſit locutus. Nec dubitauit Gerſo, eam Rusbrochij doctrinam, tametſi prædicta explicatione conditam, damnare inſaniæ, in opere de myſtica Theologia ſpeculat. conſiderat. 41. vbi ſuam illam epiſtolam aduerſus Rusbrochium allegat, ac proinde auditas ſibi excuſationes quæ pro Rusbrochio afferebantur, oſtendit.

De myſtico vtriuſque nouiloquio, iudicium Gerſonis.

V. Porrò quod libertatis à Deo egreſſio, & ad Deum regreſſio, de qua agimus, ad illud genus ſpectet inſolitarum loquendi formularum, quæ defigendis ſtupore rudibus adhiberi à nonnullis ſolent, & vſurpantur ab autore frequentiſſimè, iuuat non omittere quid de illa verborum nouitate in explicandis ſiue rebus Theologicis ſiue pijs, eidem Gerſoni viſum ſit. Permagni enim referre puto, abuſum hodie inualeſcentem, interpoſito hominis ſapientiſſimi iudicio, quaſi freno cohibere. Sic habet in ſecunda epiſtola ad Carthuſienſem prædictum. *Deuotio illorum culpanda eſt, qui nituntur inuoluere ſententias ſermonibus imperitis, peregrinis, & inuſitatis: vel eos qui ſic volunt laudare atque defendere & defendẽdo ſeipſos magis inuoluere quàm euoluere. Adducam hoc loco ne mihi ſoli videar inniti, particulam cuiuſdam ſermonis factam in capitulo vno fratrum Carthuſienſium, anno Dom.* 1408. *cuius thema eſt,* Videamus ſi floruit vinea. *Quartam deuotionem falſam, id eſt vanam & curioſam, illi exercent, qui ſine mortificatione propriæ voluntatis, ac Zelo*

Domino seruiendi, vitam spiritualem consistere credunt in ruminatione, vel potiùs phantasiatione rerum spiritualium; æstimantes hanc ipsam phantasiationem vel saltem delectationem inde consequentem, deuotionem esse: vnde hi ad hanc ipsam consequendam, non contenti modis loquendi Scripturæ sacræ, adinueniunt sibi vel fingunt de rebus spiritualibus modos abstractiores, eo quòd tales maiorem eis delectationem generent. Plerunque etiam ob hoc, materias satis faciles obscuris modis & abstractis in quibus delectantur, obuoluentes, aut vocantes humiliationem, vel fortaßis etiam altam contemplationem, submersionem in abyssali profundo; diuinum amorem, annihilationem vel in nihilum redactionem; charitatiuum votum mentis in Deum, influxum in Deum; vocantes motus ad opus propter Deum, effluxum à Deo, & sic de aliis consimilibus, quamuis tamen Christus, Prophetæ, & Apostoli, & omnes Doctores Scripturæ sacræ tractatores, quantum poterant & expediebat, ea quæ difficilia fuerunt, per modos loquendi fecerunt facilia. Hæc reuera falsa deuotio, est religiosis periculosißima, quoniam multos, vt quotidiana heu docet, & dolenda docuit experientia, qui spirituales ac religiosi apparebant, decepit, infatuauit, vel penitus excæcauit, ita vt fierent in obseruantiis regularibus quas despexerant desides, superioribus quos rudes reputabant rebelles, etiam aliqui fugerent & apostatarent, aliqui etiam hæreticarent, vel ante tempus prophetarent, dicentes. Hæc dicit Dominus, cum Dominus non esset locutus: sed superba, vel saltem phantastica capita eorum, hæc ipsa confinxerunt. Aliqui quoque mirabiles fatuitates extrinsecùs in prætensis iubilationibus, tripudijs, saltationibus, & huiusmodi ostēderunt. Sequitur. *Quarta deuotio est, vinum valdè fumo-*

ſum, id eſt ſuperbiæ generatiuum, & eſt libidinoſum, de quo myſticè & illa fortaſsis inhibitio Apoſtolica accipi poteſt, nolite inebriari vino in quo eſt luxuria : *Et reuera in hoc ipſo eſt ſpiritualis luxuria, eo quòd ſic falsè deuoti, non Dei cultum & honorem, ſed propriam quærunt delectationem. Hæc ibi.*

VI. Subdit Gerſo continenter. *O ſi vidiſſes quiſquis autor fuiſti ſermonis illius, ſi vidiſſes epiſtolam nouiter oſtēſam mihi,* (qua locutiones Ruſbrochij ſuperiùs relatæ defendebantur,) *quid dixiſſes? quid ſtomachi habuiſſes?* Exclamē & ego potiori iure. O ſi vidiſſes & tu Gerſo, quæ & qualia hodie paſſim iactentur, etiam inter Bertas quæ ſpirituales audire volunt, anterioribus omnibus quantumuis Metaphyſiciſſimis in eo genere, Ruſbrochio inquam, Taulero, Harphio, Suſoni inaudita? O ſi audiſſes, *tranſubſtantiationes myſticas, cordis concentrationes, potentiarum annihilationem, connubium eſſentiæ creatæ & Diuinitatis, ſpirituale Sacramentum inſeparabilitatis, charitatis coëmptionem, ſomnum omnium affectionum, triplicem animæ hierarchiam, orationem in quiete paſſiua, ebrietatem ſpiritualem, cordis ſilentium, meditationes negatiuas, vniones ſupereſſentiales, puteum & gurgitem annihilationis cardiacæ, amorem deificum transformantem, vnientem, abyſſalem, & cum Deo identificantem: confricationem deificam, eleuationem ex ſanitate cæleſti & infernali languore, introuerſionem ſupercæleſtem, caliginem & vmbram Dei, allocutiones internas, eleuationes incognitas, animæ ſuſpenſionem, iuſtitium ratiocinij, aſſultus qui ferri nequeant, hypermyſticas animæ & Dei perychoreſes, impudentiam ſpiritualem, aſpirationes miſanthropicas, ignem ſi-*

ne carbone, flammam sine corpore, ad holocaustum meridianum in viscerali impenetrabilitate. ῥήματα, ἢ θαύματα.

Hæc sesquipedalia verba, in noua pietatis schola adeò frequenter tenero supplantantur palato, vt nihil Magistri, nihil quilibet discipuli, sed discipulę maximè ex vtroque ordine, seculari inquã ac regulari, habeant familiarius. Diceres vsitatas locutiones, quasi vltroneas merces putere, & vocibus, vt Salyorum carminibus, quæ ne ipsi quidem Sacerdotes satis intelligerent ait Fabius l. 1. cap. 11. de raritate duntaxat ac peregrinitate pretium accrescere. Longè alio sanè cõsilio quàm quod in sacris libris Spiritu sancto dictante Scriptores sacri perpetuò tenuerunt, vt Theodoretus l. 9. contra Græcos pulchrè obseruauit, addens & exemplis patefaciens, pretiosorũ omnium vidẽ esse testam; nec decedere libris sacris quicquam pretij, si vocibus pleni sint vulgaribus, ac de triuio acceptis, quas quilibet possit percipere; cum par non sit, rerum maiestatem è verbis abditis ac imperuiis petere, sed verba potiùs è rebus quas exprimunt, & modo perspicuè ac significanter exprimendi, æstimare iustum sit.

Nouiloquium mysticum, à sapientum vsu abhorret.

VII. Non aliter locutum Christum Dominum de rebus sacris quantumuis abditis accepimus; non aliter Apostolos in epistolis, non aliter sacros Doctores in homiliis, aut scriptis libris, non aliter scholasticos in disputationibus sensa sua enunciasse, certum est. Quis enim Euangelistarũ aut Apostorũ, vel Patrũ aut scholasticorum, impeccabilitatem qua beati potientur in

cœlo, expressit nomine regressus libertatis nostræ in diuinã? Quis transubstantiationem spiritualem ac mysticam appellauit quæ dici perspicuè poterat, charitas incensissima? Sed *homines*, vt cum Gellio loquar l. 6. c. 15. *in doctrinis quasi in præstigijs mirifici, communiúmque vocum respuentes nimis & fastidientes*, qui non habent vnde dignitatē ac pretium concilient rebus sacris quas pertractant, vsurpant sesquipedalia hæc verba quæ dixi, & ampullosas loquendi formulas adhibent; consilio non absimili ei Chymicorum industriæ, qua *Mercurij Saturnique fexiones, Solis ac Lunæ per pistillum contusiones*, pro certa argenti, auri, plumbi, & huiusmodi metallorum applicatione vsurpant, grandiore vocum sono, eadem sententia, quæ simpliciter enunciata minus magnificentiæ habere videretur, & simplicem plebeculam minùs percelleret. Nec dissimiliter Seplasiarii, conditas melle aut sacharo cucurbitas, *gutturis Angelici escas* nominant, & *lachrymas Christi, manus Christi, sanguinem Draconis*, aliáque huiusmodi grandia verba, vilibus materiis obducunt, vt eo ignotarum vocum apparatu, vendibiliores videri ac esse possint. Cabalistæ quoque, dum affectant admirationem concitare nouitate vocabulorum, quàm sint ridiculi, & quanta ineptiant, fusè prosequitur Baptista Crispus in opere cautionum in Platonem, distribut. 1. l. 2. digressione in eos qui secretiores Theologi nuncupari affectant, nempe nouarum præsertim vocum mysteriis. Nobis quia *antiquos sermones vim suam non perdere, vt antiqua pharmaca exhalato spiritu faciunt*, persuasissimum est, cum Dione Prusæo orat. 13. eos retinendos, nec nouellis speciosioribus facilè commutandos esse.

Non nego quibusdam vocibus meritò nouatis, suam esse energiam ad elidendum errorem aliquem, vt de vocibus *consubstantialis*, & *transubstantiationis*, ratum est apud Catholicos: vt propterea S. Augustinus tract. 97. in Ioan. & creditus Anselmus 1. Tim. 6. obseruent Apostolum non simpliciter dixisse, *nouitatem verborum* esse defugiendam Christiano, sed id restrinxisse ad profanam nouitatem, quòd aliquæ sint verborum nouationes religioni opportunæ, à quibus abhorrere non conueniat. Latè in eam rem disserit Espencæus in Paralipom. commentar. 1. ad Timoth. digress. 5. quę est de nouis vocibus. Hoc igitur non inficior: sed dico inter Κενοφωνίας, & Καινοφωνίας, *nouiloquium* & *inaniloquiũ*, non exiguam esse affinitatem; quòdque Philo l. quòd Deus sit immutabilis, notauit de his vocibus, βίαιον & βαιὸν, quarum altera *violentum*, altera *momentaneum ac non diuturnum* designat, vt ea vocum cognatione doceremur, nullum violentum esse diuturnum; Idem in duabus vocibus propositis locum habere, earúmque cognationem posse argumento esse, quanta sit notionum subiectarum affinitas, nouitatis inquam, & inanitatis verborum.

Obscuritate fit inutile.

VIII. Sed in iis de quibus agimus ampullosis & exoticis locutionum formulis, illud insuper contingit perincommodum, quòd cum non sint in communi vsu, ingens est earum obscuritas, ita vt perpauci quid eo exrraordinario modo eloquaris percipiant, tametsi vt iocatum secum Magistrum suum S. Gregorium

Nazian-

Nazianzenum prodit S.Hieronymus, non desint qui videri velint intelligere, quod reuera non intelligunt, ne hebetes aut animales & mysteriorum rudes audiát. Reipsa autem abditæ illæ voces, feriunt vt plurimum aures non contacto intellectu, quæ est manifesta peruersio sermonis & vsus in quem conceditur. Oratio, inquit Fabius lib. 1. instit. cap. 11. *cuius summa virtus est perspicuitas, quàm fit vitiosa si egeat interprete?* Nec dissimiliter S.Hieronymus epist. 139. *initio*, huiusmodi vitium reprehendit in nonnullis interpretibus. Quare Nazianz. orat. 15 *initio*, egregiè dixit. *Prima sapientia est, sapientiam in sermone ac dictionum strophis, atque adulterinis & superuacaneis disputationibus sitam, aspernari. Mihi autem vtinam potius quinque verba cum prudentia eloqui contingat, quàm sexcenta in lingua, & voce tubæ obscura, militem meum ad spirituale bellum haudquaquam excitante. Hanc ego sapientiam laudo, hanc complector, per quam ignobiles gloriam consecuti sunt, & ob quam ij qui nullo in pretio erant, cæteris prælati sunt, & cum qua piscatores, vniuersum orbem Euangelij vinculis tanquam retibus implicuerunt, ac per consummatum & abbreuiatum verbum, sapientiam eam quæ destruitur, superarunt.* Verissimè ac optimè. Neque enim Apostoli, quod iam supra attingere memini, per gryphes & ænigmata locutionum, mysteria fidei obscurare, eóque veluti velo obducto augustiora reddere solliciti fuerunt: sed nudè ac cum maxima simplicitate res diuinas elocuti, mundanam sapientiam, Pythagoræorum præsertim ac Platonicorum, & Ægyptiorum, quæ affectata locutionum implexitate offundebatur, ex orbe depulerunt.

Perſpicuè verò in prioribus verbis Theologus alluſit ad locum Apoſtoli.1.Cor.14. quo reprehenduntur qui peregrino idiomate ex linguarum dono vtentes ad populum, fruſtra in aërem verba fundebant. Habet autem æquè hîc locum, Apoſtoli diſputatio aduerſus eam inanitatem linguis loquendi quas nemo intelligeret: Et æquè his myſticarum vocum artificibus, ingerat quis illud quod in eum Apoſtoli locum ſcribit Hilarius Diaconus apud Ambroſium. *Vt quid loquatur, quem nemo intelligit?* Aut quod apud Gellium Phauorinus l.1.c.10. inauditarum vocum affectatori prudenter obiecit. *Nonne homo inepte, vt quod vis abundè conſequaris taceres?* Sic enim nemo te intelligeret, æquè ac nunc talia verba vſurpantem. Hoc vbilibet quidem, ſed maximè tamen in ſacro tractatore eſt reprehendendum vt benè expendit Hilarius: qui mox item ſubdit, non decere Chriſti cœtum, velamina huiuſmodi verborum, eo quòd religio noſtra ſimplicitate gaudeat, & omnia ſua aperta ac nuda exhiberi velit, *non ſicut apud Pagânos, quibus velantur oculi ne quæ ſacra vocant perſpicientes, variis ſe vanitatibus cernant illudi. Omnis enim impoſtura tenebras petit* (tenebræ quoque & obductio per voces,) *& falſa pro veris oſtendit. Ideò apud nos nihil abditè, nihil ſub velamine: ſed ſimpliciter laudatur Deus.*

Eſt nouum genus politices, & ſcenica ſpiritualitas, NaZianZeno.

IX. Dubitare liceat, an huiuſmodi implexarum lo-

cutionum quasi præstigias notauerit idem Nazianzenus, verbis illis orationis 21. num. 11. *Fuit quondam tempus cum res nostræ florerent ac præclarè se haberent; cum nimirum superflua hæc, & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio, ad diuinas caulas ne aditum quidem habebat: verum idem erat calculis ludere inuersionis celeritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis & lasciuis corporis flexibus spectatores ludificari, quod noui quippiam ac curiosi de Deo vel dicere, vel audire: simplex contra ingenuáque oratio atque doctrina, pietas existimabatur.* Hæc video facilè posse aliò auerti, & dubitari posse an ad lenocinia tantùm & picturas orationis referantur à Theologo, an hanc quoque de qua agimus, grandium vocum exoticarum & à paucis perceptibilium affectatam vsurpationem comprehendant. Cur hoc secundum verisimilius ducam, facit egregius apud eundem locus orat. 27. num. 3. vbi de Catholicis quibusdam diuinarum rerum tractatoribus agens, qui captare simplicium animos nouorum fuco verborum, & spirituales audire studebant, (qui fines ferè sunt nouiloquij quod exagitamus,) ita scribit: *Non facetus quispiam ac iucundus sum, atque ita comparatus vt hominum beneuolentiam blanditijs & assentatione surripere queam; quales multos eorum video, qui hoc tempore sacerdotij munus profitentur; qui fidei nostræ pietatem quæ priùs simplex & artis expers erat, artificiosam reddiderunt, ac nouum quoddam politices genus à foro ad sancta translata, & à theatris ad sacrarium vulgi oraculis minimè inspectandum: ita vt si audacter hoc dicere oporteat, duæ iam scenæ sint, inter quas hoc duntaxat intersit, quòd illa omnibus pa-*

teat, hæc quibusdam; illa rideatur, hæc in honore sit; illa theatrica, hæc spiritualis nominetur. Vix possit in rem nostram aptius quicquam veriusve proferri.

Imò sementis hæreseon ex eodem.

X. Quod verò priore loco quem produximus ex Nazianzeno, affirmatur, excisa locutionum simplicitate, & inducta peregrinitate orationis, aditum hæresibus patefactum; hinc Arrium, hinc Macedonium, hinc errores quoscunque orsos impietatis telam texere, à Clemente Alexandrino dictum est multo ante Gregorium. Nam lib. 7. stromat. Clemens collaudatis *perfectis*, vt vocat, *gnomonibus veritatis*, qui *per communes notiones exprimunt id quod est melius*, contrarium hæreticorum vsum grauiter sugillat. Sed explicatissimè Gerso, epistola priore ad Bartholomæum Carthusianum de dictis Rusbrochij, hinc ferè fieri sementem errorum animaduertit. Ideóque grauissimè admonet, cauendum ne præsumamus *Theologicas materias nouis verbis & pro sua æstimatione affectionéque repertis pertractare. Nobis enim ad certam regulam loqui fas est, inquit Augustinus, alioqui secùs agentes, facilem sibi ad præcipitium viam sternunt.*

Non est quod longè petenda huius rei exempla existimemus. In phrasibus sæpè superiùs ex autore prolatis, licebit reperire quod quærimus. v. g. ex eo quod toties autor ingeminat, *animam transire in Deum, & effici ipsummet Deum*, (quod clarè & simpliciter diceretur animam perfectè quantum per affectum fieri potest,

coniungi Deo,) ſcribit Gerſo epiſtola 2. de dictis Ruſbrochij, *ferè in fine*, accidiſſe ſuo tempore, vt mulier quam vidiſſe ſe & allocutum eſſe ſcribit; mulier inquam quæ à nonnullis prophetiæ & miraculorum dono clara ferebatur, & maximè contemplationis gratia præfulgere credebatur, in eam deuenerit inſaniam, vt diceret ac ſcriptis commiſſum vellet, animam ſuam in ſuccenſiſſimæ contemplationis fornace, verè tranſiſſe in Deum, & annihilatione ſui eſſe creati abolitam, ipſummet Deum effectam eſſe. Hanc illi pluſquàm inſaniam, ſiue libri cuiuſpiam quo tranſitus animæ in Deum per contemplationem & amorem abſque alia explicatione tradebatur, ſiue alicuius malè feriati ſpiritus Magiſtri è numero contemplantium mirabiliorum de quibus agimus, inſtillarat. Addit Gerſo ibidem, & tract. 3. *ſuper Magnificat*; Almaricum, ex eo quòd qui adhæret Deo vnus cum eo ſpiritus eſſe dicatur, intuliſſe mentē contemplatiui vel beati, perdere ſuū eſſe in proprio genere, & redire in illud eſſe ideale quod habuit in mente diuinà. Qua potiſſimùm ex cauſa Innoc. 3. cap. *damnamus*, de ſumma Trinit. & fide Cathol. doctrinam Almarici reprobandam eſſe dixit, *non tam vt hæreticam quàm vt inſanam.* Quod verò ob hunc errorem, Almaricum ſyllabo hæreticorum ab Auguſtino inſertum ait Gerſo tract. de myſt. Theol. ſpecul. conſider. 41. pinguior anachroniſmus eſt, quàm vt de eo monere oporteat. Præterea in eadem ſecunda Epiſtola Gerſo, damnatum fuiſſe Pariſiis memorat Auguſtinianum quendam, qui locis illis ſcripturę nixus, quibus tranſitus in Deum, & in vnum cum eo ſpiritum

per charitatem factus, celebratur, verum ac realem transitum hominis in Deum commentus est. Tandem Beguardi & Beguinæ, vt est apud eundem Gersonem in proëmio, tractatus de distinctione verarum visionum à falsis, ex transitu animæ in esse quale habuit ab æterno in esse ideali diuino, quem aiebant esse *Spiritum libertatis*, infanda prorsus & æternum premenda excogitarunt.

XI. Quid si verò similiter rudior quispiam, audita quam aduersarius toties iterat, supergressione proprij ordinis, & abiectione particularis sui ac limitati esse per beatos; transformatione item nostri in Deum, & transitu in ipsum, tanta identitate, vt iam non sint sed idem ipsum, talem aliquem transitum in Deum, aut metamorphosim talem libertatis nostræ in diuinam, imaginetur, aut persuadeatur, qualem extima verborum toties ingeminatorum facies præfert? Iuuaréque non parum ad cespitandum potest, quod autor post descriptum primum statum nostrum quem in Deo ante tempora secularia perhabuimus, addat, illum ipsum esse statum quem post huius vitæ scamma decursum, denuo adipiscemur in patria. Quis enim ea locutione audita, aliud cogitet, præter regressum non metaphoricum, sed realem ac physicum in essentiam diuinam? Nec refert, quòd postea autor dicat id esse ita accipiendum, vt sensus sit essentiam quæ nos eminenter ab æterno continuit, esse tandem futuram terminum nostrum. Hoc inquam non refert. Nam hæc glossa, ægerrimè verbis illis aptari potest. Imò falsitate laborat. Ex eo enim quòd

ideale & effectiuum nostræ productionis principium, sit futurum quandoque præmium nostrum, non licet inferre, libertatem nostram consummatam, (vt autor loquitur,) id est impeccabilitatem & vnionem cum Deo nobis in cœlo obuenturam, esse illud ipsum principium ex quo tanquam ex Idea & causa efficiente prodiimus. Quare ille alius sensus verborum aduersarij propositorum, vt magis obuius, & qui solus verbis aptari possit, facilè occurret Lectoribus, poterítque simpliciores inducere in absurdissimum errorem: quod coram cœlis offendiculum non apposuisset autor, si simpliciter & nudè loqui, quod cœteri omnes in rebus præsertim scholasticis faciunt, maluisset.

XII. Perpendendum ergo autori relinquo, an in eam diuinam legem peccarit, quæ vetat defossum puteum sine operculo relinqui, aut doma construi absque peribolo, iuxta Clementis Alexandrini interpretationem lib. 5. strom. probatam sancto Gregorio 17. Moral. cap. 13. & sancto Cyrillo lib. 7. de adorat. Ego sanè semper auscultandum existimabo, prudentissimè monenti Ferrando Diacono epistola ad Anatolium *in fine*, vbi autor est, locutiones quæ sensum falsum & erroneum facilè possunt suscipere, Christiano tractatori omnino esse fugiendas, nec esse parcendum verbis, vt res vocum implexitate & breuitate malè à Lectoribus, vel ab auditoribus percipienda, fiat perspicua, nec sit Lectori vel auditori in scandalum; eo quòd non sufficiat, tractatorem verbi Dei, vel res sacras exponentem aliis, testimonio

tantùm conſcientiæ ſuæ eſſe contentum.

Dicto igitur vale ſuperuacaneis, vt cum Anaſtaſio Sinaita concludam lib. 1. de rectis fidei dogmat. ſub finem, *vocibus Sanctorum vtamur* (*id quod tutum pariter & ab omni eſt vacans periculo,*) *quæ ab ipſis ſunt nobis exhibita* Addit ipſum Deum non vti inexplicabilibus vocibus, & inutiliter plànè laboraturum Doctorem qui non communis, & receptis vocibus, ſed peregrinis & inſolitis res ſacras exprimere conſilium iniuerit. Quo fortaſſis etiam reſpexit Siracides Eccleſiaſtici 21. cum dixit, *ſcientia inſenſati, inenarrabilia verba.* Sed quod ipſum Deum inſolitis iſtiuſmodi & inexplicabilibus vocibus vſum, negat Anaſtaſius; in memoriam reuocat quod Apoſtatæ obijcit Nazianzenus orat. 3. num. 86. finxiſſe ſcilicet illum quaſdam Deorum voces, Moly, Xanthum, & Chalcidem, peruulgatis vocibus, quas & *pedeſtres* appellat, ſublimiores & præſtantiores : Deorum autem imitatione Iulianum, genus quoddam locutionum ſublimium, ad quas non niſi excellenti doctrina præditi aſpirare poſſent, affectaſſe ac celebraſſe. Ex verbis autem illis magnificis quæ Theologus in exemplum profert, apertè habetur, alludi ab eo ad Luciani Lexiphanem. Nam quædam è vocibus nouis & inauditis, quas inſulſus ille hauſto pharmaco euomuit, illæ ipſæ ſunt, quæ apud Nazianzenum producuntur in exemplum magnifici ſed ridiculi nouiloquij. Digna plane eſt, ſcurræ non raro inter iocandum vera proloquentis, diſſertatio aduerſus hoc communiũ vocum faſtidiũ, quę legatur ab iis, quibus hanc inſulſitatem, egregiè caſtigatam videre libuerit.

Et ad

Et ad hanc quidem *consuetæ atque receptæ sermonum monetæ adulterationem*, affirmat, *idiotas quidem & indoctos omnes obstupuisse præ peregrinitate perculsis atque attonitis illorum auribus: At qui docti sint, eorum amborum causa, & ipsius Lexiphanis, & eorum qui talia laudabant, effusè risisse.* Apud Athenæum quoque lib. 3. Dionysius Siculus, & Alexarchus Cassandri Macedonum Regis frater, fictores nouarum & vulgo imperuiarum vocum, ad magnificentiam, vel eruditionis reconditæ ostentationem, meritissimò subsannantur. Prudentissimè ergo monuit Varro lib. 1. de analog. referente Gellio lib. 1. cap. 10. *Habe semper in memoria atque in pectore, vt tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.*





PARS II.

DE CONSECTARIIS,

QVIBVS ILLVSTRANDIS, STABILIENDISVE, NOVA de libertate sententia excogitata est.

I. *NON in vacuum cucurrisse se tota disquisitione de libertatis natura inde ostendit aduersarius, quod implexißimi quique rei Theologicæ nodi, beneficio nouæ sententiæ expediantur nullo negotio. Estque hæc apud eum indirecta nouæ doctrinæ probatio, cui maximè nititur. Quid enim libertatis nostræ, & gratiæ efficacis ac victricis, conciliatione difficilius, si gratia illa, quod ipsa vox sonare videtur, ineluctabilis est humanæ voluntati? Et tamen ea licet ineluctabilitate gratiæ posi-*

ta, nullo modo temeratur humana libertas iuxta nouam de libertate ſententiam, quod retenta notione antiqua libertatis, viſum non nemini eſt deſperandum. Quid obſcurius diuina nobiſcum cooperatione, ſaluis item libertatis noſtræ iuribus, præſertim ſi de cooperatione ad actus moraliter malos ſit ſermo? Hæc tanta obſcuritas, noua de libertate ſententia quaſi recèns exorto iubare, potenter diſpellitur. Diuinæ autem ſanctitatis à quibuſuis noſtris ſordibus plena nitela, quamuis Deus nobis malè operantibus in ratione primæ cauſæ non deſit, dilucida eſt iuxta nouam ſententiam; obſcuriſsima iuxta antiquam, quod tam varij modi eam caliginem diſcutiendi à varijs autoribus excogitati, apertè produnt. Iam in Chriſti libertate fœderanda cum eius impeccantia, nemo neſcit fixam fuiſſe omnibus retrò Doctoribus crucem. Neque enim ſatis hactenus liquere cuiquam potuit, quomodò humana Chriſti voluntas quæ firmitate pluſquam adamantina obdurabatur in bono, poſſet à Patris præſcripto v. g. de obeunda morte deflectere, quod tamen ad liberam & merito fœtam mortis perpeſsionem, iuxta priſcam libertatis notionem, eſt neceſſarium: At non iuxta nouam, quæ proinde aliter, & quidem

facillimè, vniuersa illa difficultatum mole se liberat. De diuinæ verò libertatis inextricabili implexitate iuxta antiquam libertatis notionem, nihil attinet dicere; sufficienter enim tacta est proloqu. 1. Et eum quoque nodum aliis plusquàm Herculatum, facillimè ac promptissimè expedire licet, adhibito nouæ sententiæ subsidio. Denique vt absolutissimam Dei erga electos prouidentiam retinere possent, & cum textura diuinæ prædestinationis & æternis præfinitionibus firmissimis conciliare, adacti sunt libertatis antiquæ propugnatores, ad asylum scientiæ mediæ confugere. Eo autem intuto planè perfugio, (quòd illius scientiæ vsus ad prouidentiam plenam Deo indignus sit,) minimè indigent, qui libertatis notionem nouam vetere explosa agnoscunt legitimam. Quæ cum sint inter capitales Theologiæ vniuersæ difficultates, omnino præcipuæ, esset quod in ære aduersarij omnes se nostræ huius ac consecuturæ cuiusuis ætatis Theologi agnoscerent, si per nouam eius de libertate doctrinam plagis illis ingeniorum ad hanc diem insanabilibus, mederi liceret.

II. Sed quòd nouam illam de libertate doctrinam, nulla fulciri veritate hactenus sit demonstratũ, videbimur superuacaneo labore fa-

tigari, monstrantes sigillatim, nihilo expeditiorem esse Theologicorum illorum capitum enodationem, post illatam orbi nouam sententiam. Nam obstructo fonte, exarescere riuulos necesse est, & conuulso fundamento concidere vniuersa quæ superstructa erant, eóque nitebantur. Tamen ad pleniorem veritatis illustrationem, consultius visum est in hæc quoque sigillatim descendere: ea tamen adhibita temperatione, vt non de singulis illis capitibus iustam tractationem instituam, quod foret immensæ operæ, & à scopo nunc nostro alienæ; sed ea duntaxat attingam, quæ necessaria videbuntur, vt appareat quæcunque aduersarius retenta veteri libertatis notione censuit vix expedibilia, esse reuera saluis antiquis notionibus, alio modo vel facilia solutu, vel non ita intricata, quin æquus Lector acquiescere debeat, & sibi satisfactum putare. Quanquam vt intricatissima essent ac implexissima quæ ad prædicta Theologica capita pertinent, nec possent satis perspicuè iuxta antiquam de libertate doctrinam expediri, perperam tamen nouæ cuderentur notiones. Nam vt nos quoque Augustini verba vsurpemus, Non ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est.

CAPVT PRIMVM.

Formam prædeterminantem, nullo modo per nouam de libertate doctrinam, cum humana libertate fœderari: Iuxta priscam verò libertatis notionem perbellè voluntati liberæ cum quibusuis motionibus naturalibus quas diffiteri non liceat, conuenire.

I. VIDERI voluit autor lib.1.cap.18.nu.1.de motionibus gratiæ & auxiliorum homini per Christum diuinitùs suppeditatorum prorsus silere, reijciens eam tractationem ad opus de diuina gratia. Fortassis ne Pontificiis mandatis quibus silentium de huiusmodi disputationibus indicitur, refragatus videretur. Tamen mox, vel sui immemor, vel propositi tenax, de vocationis efficacis ineluctabilitate, eiusque concordia cum libertate, iuxta nouam libertatis notionem apertissima: inconciliabili verò earundem dissidio iuxta priscam libertatis notionem, tam plenè, támque ex instituto disputat, quàm qui maximè.

Nostra in hac parte sobrietas.

Eius ego transalpina libertate frui, nec possum, nec volo, quod ad omnes maiorum nutus fingi, & nulla ex parte ab eorum præscripto deflectere, fixum mihi

ac ratum sit. Si tamen præstare tantum vellem, quod iure naturali cuique conceditur, & idcirco à sanctissimis maiorum iussis abhorrere non posse certum est; imò quod omni iure ac lege permitti, traditur cap. *significasti* de homicid. & cap. *si verò*. 1. de sententia excommunic. repellere scilicet vim ab autore illatam communi doctrinæ hactenus receptæ, eámque munire, & quantum iustæ defensionis fines ferunt tegere, & indemnem præstare; si inquam hoc duntaxat vellem; necessario labore perfunctus potiùs, quàm in maiorum scita quoquomodo iniurius videri deberem. Et ita planè faciendum foret, si causæ quam ago planè consultum ac rectè prospectum vellem, ne prætextu illo quod aliter nequeat nodus de efficacia gratiæ & humanæ voluntatis libertate expediri, serpat noua de libertate sententia, vnáque explorati errores quos ad eam consequi demonstratum est, inualescant.

II. Ne tamen vel latum vnguem à signato tramite exerrem, ac ne in ea vllatenus excurram, quorum discussione molitus tractationem auxiliorum gratiæ, & scrutatus eorum efficacitatem videri possem; vt denique vel à specie commissæ tantillum eius obedientiæ quæ Christi vicario perfectissima debetur, purum me ac nitentem præstem, abstinebo quacunque discussione consensionis gratiæ ineluctabilis cum voluntate libera, tametsi in eam discussionem aduersarius penitissime descendit; sed malens de causæ æquitate quàm de exquisita obedientia periclitari, sistam in generali tractatione de forma prædeterminante ad quam in capitis titulo me restrinxi: nec nisi ea proferam quæ perti-

tinent ad actus nostros, naturales & purè morales: Nã ad hos quoque, motio aliqua cum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis exigitur. Eam ergo motionem, ostendam non prædeterminare voluntatem liberam ad actum cui præcurrit, vt aduersarius etiam quoad hos actus malè contendit. Idque monstrabo ea proferens quæ à gratiæ motionibus planè abstrahant: & quæ æquè vrgere possem aduersus fatarium quempiam, aut Genethliacum, ex eorũ numero quos Eusebius 6. de præpar. insectatur ob euersam per geneses prædeterminantes libertatem. Horum quippe exagitatione non interdici, certum est: Versabor itaque in puncto quod istis æquè ac autori commune est, & hoc ipsum ita ieiunè agitabo, recisis innumeris quæ proferri circa prædeterminationes possent, ijsque duntaxat tactis quæ ad næuum aliquem autoris detegendum necessaria planè fuerint, vt non dubitem constiturum cuiuis, me in hanc arenam iusta potiùs necessitate adactum descendisse, quàm sponte mea & destinato consilio.

III. Ad hanc saltem sobrietatem disputationis adigi me video, tum ne simplicibus imponatur deiectam esse ab aduersario potentiam vtrolibet flexilem, eo opere quod impune teritur omnium manibus: tum vt eadem opera, & de eadem fidelia, duos parietes dealbem: hoc est, vt plerisque improuidis aures obstruam, aduersus coaxationes ranæ quæ nunc in Batauicis paludibus strepit, aduersus Cardinalem Bellarminum, & vniuersos Societatis nostræ scriptores. Is est Gulielmus Amesius in eo opere quod inscripsit *Bellarminus enervatus*,

uatus, cuius lectione vtinam tam facilè in his regionibus omnes abstinerent, quàm est virulentus liber, & dignissimus autore Anglo, Puritano, Batauicæ Matheologiæ apud Franekeranos professore. Eo opere Societatis Patres Molina, Becanus, Suares, alij, sed maximè Cardin. Bellarminus, Pelagianismi apertissimi insimulantur, omnésque ad vnum Iesuitæ pro idolo habere liberum arbitrium, diuinæ verò gratiæ hostes infesti dicuntur; tantùm quia prædeterminationes humanæ voluntatis inficiantur. Est porrò Amesij disputatio, cum alibi tum nominatim tom. 4. lib. 4. cap. 2. thesi. 1. autoris disputationi tam germana, vt nescias quoad vniuersa prędeterminationis fundamenta, & tela quibus eorum inficiatores impetuntur, vter alterum exscripserit. Nec dubium quin Amesij editio post alias subinde auctas proximè proditura, autorem quoque, inter prædeterminationum suffragatores, Rispolim, Aluarem, & alios quos singulis paginis profert, exhibitura sit; Tam bellè in omnibus ac per omnia in hoc negotio, autori cũ Amesio conuenit.

Subuereor fore, præsertim trans Alpes & Pyrenæos, vbi huiusmodi librorum copia non est; (& vtinam nuspiam esset!) qui vix persuadeantur, sententiam in quam autor arietauit, eodem planè modo & iisdem argumentis impeti à Caluinianis, quo ab autore est impetita. Quare ne dicti mei fides vacillet, & vt iis quorũ interest, occasionem præbeam considerandi quod plerique non aduertunt, adscribo vnicum, nec admodum prolixũ Caluinistæ Amesij locum ex c. 2. citato, vbi de cõmuni combibonũ sententia, post relatam cõpendio

ſententiam Bellarmini ex lib. 4 de grat. & lib arbit. c. 5. eam impugnat. Titulus capitis eſt, de concordia prouidentiæ vel cooperationis diuinæ cum libero arbitrio. Theſis. 1. ex verbis Bellarmini ita habet. *Vna ratio ſatis accommodata ad iſtam concordiam explicandam, eſt Scoti & Gabrielis, concurſum Dei nihil imprimere aut operari in voluntatem noſtram, ſed immediatè influere in effectum. Simile eſt cum duo ferunt ingentem lapidem, quem vnus ferre non poſſet. Simul operantur Deus & voluntas in eodem prorſus momento temporis. Deus tamen operatur quia voluntas operatur, non contrà quia ad hoc ſe liberè obligauit quando liberam voluntatem creauit.* Hactenus ex Bellarmino, Theologaſter Caluiniſta: qui ſuo, & totius pupilli gregis opilionum nomine, ſubdit hanc confutationem. *Proteſt. Hæc ratio falsò dicitur accommodata. Nam. 1. ſubtrahit dominio, prouidentiæ, & gubernationi Dei efficaci, operationes omnes voluntatis humanæ, vel voluntatē quoad ſuam operationem. 2. Subordinationem primæ, & ſecundarum cauſarum in ſuis operationibus, tollit. 3. Hominem non ſubditū ſed ſociū Dei facit. 4. Gubernationem aut directionem actionum humanarum, & quæ ex iis conſequuntur, primò & primariò ex hominis arbitrio ſuſpendit 5. Deum fingit ex hominis nutu pendentem, etiam in ijs quæ præcipuam rationem habent in totius mundi procuratione. 6. Inuertit ac ſubuertit pietatem illam quam Deus nos docuit,* ſi Dominus voluerit, faciam hoc aut illud, *Iacobi 4. & Deum docet quid ille quaſi in ordinem redactus dicere debeat*, ſi homo voluerit facere hoc aut illud. *7. Aduerſatur vt Aluares diſp. 18. oſtendit non tantùm Ariſtoteli, Auguſtino, Thomæ, & Thomiſtis,*

ſed ipſi Catechiſmo Tridentino Romano in quo ad primum artic ſymb. num. 22. hac verba habentur. Deus prouidentia ſua, quæ mouentur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem impellit. Hactenus Caluiniſta, cuius prima ratio centies ab autore vſurpatur. Vide nominatim lib. 1 cap. 23. num. 1. & quod attinet ad voluntatem Deo ſubtractam quoad ſuam operationem, vide lib. 1. ca. 19. num. 5. & cap. 18. num. 2. Secunda item Caluiniſtæ ratio, eſt aduerſarij murus aheneus. Vide lib. 1. cap. 17. & ſeqq. Tertia ratio eſt illa ipſa qua hominem ſtatui à nobis collateralem Deo, queritur autor lib. 1. cap. 14. num. 3. Ratio quarta & quinta, frequenter omnino, & magno cum ſenſu adhibentur ab autore, nominatim lib. 1. cap. 23. num. 9. & cap. 18. num. 7. & ſeqq. vbi etiam vrgetur ratio ſexta, nempe quòd Deus debeat agnoſcere ſe ab hominis voluntate pendere. Tandem poſtrema probatio ex autoritate D. Auguſtini & D. Thomæ ac Thomiſtarum expaſſa habetur apud autorem lib. 1. cap. 17. & 18. ac ſeqq. Videt Lector, an iniuria dixerim, perbellè autori cum Ameſio in fundamentis & probationibus prædeterminationum conuenire. Vt ergo & Caluiniano huic Sycophantæ, & autori, remoram aliquam iniiciam, intacta gratia efficaci, diſcutiam quod propoſui, in quo æquè ab autore & à Caluiniſta Theologaſtro diſſideo.

Summella doctrinæ autoris, de prædeterminationibus.

IV. Prædeterminationem autor duplicem ſtatuit

lib. 1. cap. 22. num. 1. & 13. & cap. 27. num. 2. vnam nimirum potentiæ, alteram actus. Priorem ait esse intrinsecam impeccabilitatem ex vi & natura status, qua potentia eximitur ab omni indifferentia ad malum; cuiusmodi est prædeterminatio beatorum, & Christi Domini, atque Deiparæ; non item Adami, etiam cum adhuc in florentissimo innocentiæ statu, integer vitæ scelerisque purus perstaret. Posterior prędeterminatio quæ est quoad actus, supponit quidem manere vertibilitatem potentiæ ad vtramque contradictionis partem, quæ vertibilitas vi prioris determinationis aufertur; tamen infert actum prædeterminatum, quia facultas efficaciter ad eum trahitur, ita vt idem actus prout à Deo est, infallibiliter & immutabiliter ponatur; prout autem est à potentia creata, ponatur mutabiliter, & contingenter, & cum potentia aliter se habendi. Nam quod Deus facultati creatæ immittit, saltem per modum fluentis, vt eam quopiam trahat, non est eiusmodi vt ei obsisti non possit. Quod autor confirmat ex Tridentino sess. 6. can. 4. vbi motionem quæ ad communem fidelium sortem pertinet, definitur talem esse vt ei obsisti ab homine possit; quamuis id ad pręcellentiores sanctos extendi non debere, affirmet autor, n. 4. eo quòd *nemo pius cogitarit, Christum, Deiparam, & sanctos præcellentiores dissentire potuisse Deo mouenti; nec id definire de omnibus voluerit Concilium, quippe de quo non agebatur.* Communes tamen iusti possunt Deo excitanti dissentire. Quamuis non vna Deo pateat via, qua efficiat vt indeclinabiliter, & insuperabiliter, ac inuictissimè, (verba sunt D. August. l. de corrept. & grat. c. 12)

agantur ad bonum, salua contingentia & mutabilitate voluntatis. Sicut enim causæ naturales, salua contingẽtia sua qua aliter & aliter se habere possunt, etiam dum sic agũt, effectus suos per ordinẽ ad causam primã immutabiliter expromũt, & ita vt aliter omnino euenire nequeat; sic causę morales ac liberę, posũt iuuãte Deo erumpere in opera, quę respectu quidem ipsarum causarũ contingentia sint, possintq; aliter accidere, respectu tamen Dei hoc habeant, vt impediri non possint.

Modum porrò quo Deus humanę voluntatis mutabilitatem cum indeclinabili ad bonum adhęsione coniũgit, autor omninò duplicem proponit. Prior est, per validam persuasionem, qua hominem quantumuis induratum inflectat in eam quam volet partem: non (vt hominibus persuadentibus euenit,) explorãdo quę cogitationes & motiones homini pelliciendo sint accõmodatæ; ne fortè si aliter faciat, & temerè se gerat, & sua expectatione frustretur; sed promendo è thesauris suis, cogitationem ac motionem flectendæ dispositioni animæ quãtumuis profligatæ accommodatã. Alter modus quẽ autor ait esse Deo digniorẽ, & ei peculiarem, & quem solum agnoscit esse aptum ad causandã perfectam hominis conuersionem, continetur via supremæ potestatis, secundùm quam Deus qua Deus est, & totus naturę autor ac dominus, voluntatem humanam intacta eius libertate ducit quò vult, vt tradit Diu. Thom. 1. 2. q. 10. ar. 4. ad 1. & 3. post S. Aug. l. de correp. & grat. c. 14. & lib. de grat. & lib. arbit. c. 20. & 21. Imò apertè idem expressit Spiritus sanctus Prouerb. 21. verbis illis, *sicut diuisiones aquarum, sic cor Regis*

in manu Dei est; quocunque voluerit, inclinabit illud. Hortulanus siquidem cuius exemplum ibi adhibetur, via potestatis, non autem persuasionis, deriuat aquam in riuulos quò expedire iudicarit. Similiter ergo Deus, quia Deus est, & omnipotens, humanam voluntatem potentiæ suæ veluti manu admota, inflectit ac circumagit quò lubet.

V. His iactis fundamentis, autor rationem conciliandæ libertatis creatæ cum forma prædeterminante init in hunc modum. Si forma prædeterminans, potentiam prædeterminet, (quod communiter non contingit,) tollitur quidem potestas peccandi, tamen ea potestas, neque est libertas, neque pars libertatis. Germana verò libertas quæ in adhæsione ad Deum cernitur, tunc maximè efflorescit: tantùm abest vt periclitetur eius incolumitas. Si verò forma prædeterminans, duntaxat prædeterminet actum, tunc etiam libertas peccantium salua est, quia non obstante tali prædeterminatione, & siue Deus via persuasionis, siue via supremæ potestatis procedat, manet voluntati potentia ad abiiciendam motionem diuinam, deficiendúmque à recto ordine. Atque ita autor iuxta suam nouam de libertate sententiam, nullo negotio conciliat libertatem creatam, cum prædeterminatione quacunque.

At iuxta vulgarem libertatis notionem, prior prædeterminatio quæ est potentiæ, non potest cum libertate cohærere; quia libertatem vulgari illo modo acceptam prorsus exscindit, tollendo indifferentiam actiuam ad vtrunque oppositorum. Nam eorum vnum

poni non posset absque peccato. At peccatum non potest locum habere posita potentiæ prædeterminatione, quæ peccabilitatis exclusione continetur. Posterior item prædeterminatio, quæ est actuum, non potest cum vulgata libertatis notione cohærere: quia quamuis ex parte potentiæ creatæ sinat actum esse impedibilem, tamen ex parte Dei, talem illum reddit, vt pro voluntatis arbitrio poni aut excludi non possit, sed indeclinabiliter, & insuperabiliter, inuictissiméque ponatur: ac proinde concordia libertatis, & formæ actum prædeterminantis, retenta vulgari libertatis explicatione, videtur desperanda.

Næui doctrinæ propositæ.

V I. In proposita autoris doctrina, displicent permulta. Omittamus verò in præsentia, quod ait, impeccabilitatem etiam extra statum gloriæ, (cuiusmodi putat fuisse impeccabilitatem Deiparę,) esse aliquid intrinsecum, & inhærens facultati eius qui exorbitare à recto non potest. Apud me namque Deipara, quamuis robustissimis motionibus per eximium priuilegium collatis, ab omni quantumlibet minuto peccato nitens semper ac pura fuit, tamen peccabilitatem, quamdiu mortale hoc corpus circumtulit, nunquam exuit. Idque vniuersè de viatoribus confirmatis in gratia docet S. Thom. quæst. 24. de verit. art. 9. & idem de Apostolis iam in gratia confirmatis, hoc est post exceptum in Pentecoste Spiritum sanctum, affirmat disertè sanctus Macarius hom. 27. quod moneo, ne quis ex Dei-

paræ confirmatione in gratia, etiam cum mortali corpore contecta viueret, eius impeccabilitatem censeat perspicuam. Disertè autem Deiparæ in hac vita peccabilitatem, quamuis nitentissime & ipsos beatos Angelos animi puritate superantis, agnoscunt Durand. in 3. d. 3. quæst. 4. numer. 7. Palac. in 3. d. 3. disp. 4. Salazarius in cap. 31. Prouerb. à num. 132. & ex parte Ocham in 3. quæst. 2. *litera* C. *&* D. Quod si Deiparæ iam ex hac vita impeccabilitatem tueri placeat, cum Suare lib. 3. de prædest. cap. 10. num. 11. & Valentino Herice 1. p. disp 24. à num. 28 non est tamen quod adigat affirmare, eam impeccabilitatem esse aliquid inhærens & intrinsecum, cum per meram subtractionem concursus ad peccandum requisiti, ac etiam per submotionem obiectorum & occasionum peccandi, seclusa quauis forma intrinseca, liceat exponere quomodò non posset Deipara prolabi in peccatum contra præcepta negatiua; ac etiam contra affirmatiua. Nam quoad hæc quoque præcepta, potest inhiberi peccatum ne à facultate antecedenter intrinsecè immutata progerminet, siue obducta intellectus luce & aduertétia, quæ ad peccandum planè exigitur; siue per solam abreptionem potentiæ ad cooperandum, excudendúmque actum præceptum, nulla anteriori ad actum immissione facta in potentiam, nulláque eius sollicitatione aut vellicatione per internam formam præmissa. Qua ratione impeccabilitas, nullo intrinseco & facultati inhærente antecedenter ad actum, quale aduersarius inuehebat, continetur. Verùm hoc, vt dixi, nunc dimittamus, quia non multum refert ad præsens negotium.

VII. Illud

VII. Illud potiùs dispiciendum est, quàm rectè autor duplicem diuinam prædeterminationem secernat, & libertatis creatæ incolumitatem iisdem coniungat. Et inprimis non benè prędeterminatio actus à potentiæ prædeterminatione seiungitur, & vna aliam firmitate ac veluti tenacitate superare dicitur. Nam reuera siue potẽtiam prædeterminari dicamus, siue actum, idem est vinculum respectiuum & potentiæ & actus. Potentia enim dicitur prædeterminari per ordinem ad actum, qui non potest ab ea non prodire, vel certè ab ea non potest exeri. Actus autem dicitur prædeterminari per ordinem ad potentiam, à qua ita eliciendus est, vt omitti non possit. Ergo duæ illæ prædeterminationes ita connexæ sunt, vt seiungi nequeant. Hoc vt liquidiùs perspiciatur, quæramus quid sit prædeterminari, siue actum seorsum, siue potentiam seorsum. Quamcunque efformemus prædeterminationis notionem, planè apparebit, duo illa per prędeterminationem ita illigari, vt neutrum dissociari ab altero queat, sed necessariò in conceptu prædeterminationis cuiuscunque, & actus & potentia inuicem nexa inuoluantur. Quorsum ergo aduersarius, duas nobis prædeterminationes, & quidem firmitate ac eluctabilitate dispares, obtrudit? Propriè quidem loquendo, prædeterminatio est solius potẽtiæ, sed per ordinẽ ad actũ: quia sicut sola potentia determinatur ad operationẽ, quippe quæ sola transit ab indeterminatione ad determinationẽ,) ita sola dicenda est prædeterminari. Si tamen actũ quoque prædeterminari dicere placeat, impossibile est id cõcipere, nisi spectando potentiam, quæ talẽ

actum profusura est vi determinationis non ab ipsa sibi voluntate iniectæ, sed illatæ aliunde.

Neque verò satis consequenter eam actus prędeterminationem exponit autor, concedens illa posita superesse potentiæ facultatem ad actum non ponédum. Hoc consequenter loquendo dici nequit. Impossibile enim est actum prædeterminatum non poni, quia eo ipso quòd actus dicitur prædeterminatus, potentia quoque respectu eius est prædeterminata. Atqui impossibile est potentiam prædeterminatam non erumpere in actum, quia determinatio, atque adeò etiam prædeterminatio, est constitutio potentiæ extra indifferentiam ad agendum; qua indifferentia sublata, perspicuè ponitur actio. Ergo impossibile est cum prædeterminatione cohærere facultatem potentiæ ad non ponendum actum. Deinde autor diuinam prædeterminationem statuit esse fundamentum primum certæ & infallibilis prænotionis qua Deus præuidet futura libera; quod stare non posset, si actus prædeterminatio non excluderet à potentia facultatem non ponendi talem actum. Tandem si humana voluntas cuius solus actus sit prædeterminatus, potest actum illum suum non elicere, ergo potest cassam reddere voluntatem Dei efficacem, per quam actus seorsim à potentia prædeterminatus est. At diuinam voluntatem prædeterminantem, atque adeò efficacem & absolutam, irritam cadere est impossibile. Vt igitur autor consequenter loquatur, necesse est vt cum omnibus aliis qui prædeterminationes actuum inuehunt, fateatur, prædeterminato actu potentiam non posse aliò flecti,

quàm quò eam abducit prædeterminatio.

Per eam, libertas non conciliatur cum prædeterminatione potentiæ.

VIII. Satis de næuis quibus autor suam illam diuinæ prædeterminationis partitionem commaculauit. Nunc videndum sequitur, quàm malè libertatem humanæ voluntatis, cum sua illa duplici prædeterminatione retineri censeat, iuxta suam libertatis notionem.

Et potentiæ quidem prædeterminationem, fatetur tollere libertatem peccantium, qua tamen excisa arbitratur libertatem manere incolumem, eo quòd vera libertas sita sit in amplitudine ex adhæsione cum Deo, libertas autem peccantium non sit verè libertas, sed defectus libertatis. At nos quia eam libertatem peccantium agnoscimus esse physicè veram libertatem, planè arbitramur, sublata ea libertate peccantium tolli libertatem. Et verò liquet sublata ea libertate quæ est libertas peccantium, siue quæ peccatum potest parere, tolli quoque eam libertatem qua homo potest si lubeat diuinæ vocationi obtemperare, eámve abiicere. Nam abiicere diuinam vocationem cum posses ac deberes sequi, peccatum est. At certum est, homini libertatem posse diuinam vocationem abiicere, etiam cum eam de facto sequitur. Idque autor agnoscit definiri in Tridentino sess. 6. can. 4. Fatendum ergo est, libertatem peccantium non excludi ab iis qui incolumi libertate prædeterminantur. Quod si ea peccantium libertas, di-

catur excludi ab iis quorum potentia prædeterminatur; dicendum consequenter est, eam prædeterminationem excludere libertatem. Et ita planè res habet, cum libertas non amplitudine ex adhæsione cum Deo vt autor fingit, sed potestate vtrumlibet operandi contineatur, eáque potestas, posita facultatis prędeterminatione apertè ruat.

Circa hanc prædeterminationem, non videtur omittenda insignis temeritas qua autor circa citatum Tridentini canonem vsus est, cum mentionem eius fecisset inter stabiliendam hanc primam prædeterminationem. Ait ergo autor, illum canonem non esse ad sanctos eximios extendendum, sed de sola communi ac veluti plebeia vocatione accipi oportere; præcellentiores verò sanctos, Deo vocanti obsistere non potuisse. Possem hoc eius dictum non vna securi concidere, prolatis S. Pauli, & aliorum profectò præcellentissimorum sanctorum exemplis, quos grauissimi Patres tradunt diuinæ vocationi obsistere potuisse si voluissent. Sed de ipsa re non disputo. Tantùm dico, aduersarium non posse à temeritate excusari, qui generalem Concilij doctrinam sine fundamento limitat, & cum Cócilium absolutè dicat diuinæ vocationi obsisti à iusto posse, ipse id non de quouis iusto, sed de vulgo duntaxat iustorum, déque communi vocatione, non de eximia accipi tradit. Prodit eam quam dico temeritatem, quod in 2. p. Actorum Concilij Tridentini sub Paulo III. anno 1546. folio 134. refertur, quendam ex Theologis proposuisse, expedire videri, vt generalibus verbis prædicti Canonis quibus damnantur qui ne-

gant hominem posse vocationi dissentire si velit, adderetur limitatio quæ ea verba restringeret ad communem vocationem. Additúrque ibidem, renuisse Patres arctare generalem canonis doctrinam appositione illarum vocum *communi vocationi* Quod ergo Concilium facere noluit, hoc aduersarius arrogata sibi supra Concilium autoritate intrepidè præstitit, nec sine sale aut aceto, in eos qui à tali canonis limitatione abhorruerunt; cum addat, neminem pium aliter cogitaturum. De Christo sanè qui supra legem omnem est, nihil eo loco pronunciauit Concilium, cui de puris duntaxat creaturis, déque filiis Dei adoptiuis sermo erat, vt liquet ex innumeris sextæ illius sessionis particulis. At quoad alios quosuis sanctos, valet vniuersaliter doctrina Concilij, nec limitari ab vllo priuata autoritate potest, absque temeritatis labe.

Nec cum prædeterminatione actus.

IX. Iam prædeterminatio posterior, quam autor prædeterminationem actus vocabat, nullo modo cohæret cũ libertate, quicquid aduersarius obtendat. Inextricabiliter enim implexũ est, quod autor ad tuendã actus sic prædeterminati libertatem vulgarem, affirmat. Nempe actũ illum sic prædeterminatum, & posse non poni per comparationẽ ad potentiam creatam secundùm se sumptã, & non posse non poni propter firmitatẽ & immutabilitatẽ diuinæ prædeterminationis. Hoc, me quidẽ iudice, supra quosuis nodos implexum est. Nam si tãtum affirmaret autor, semouendo diuinã

prædeterminationem, aut (vt passim loquebantur aliàs nonnulli, nunc enim friget ea distinctio) in sensu diuiso prædeterminationis, actum ita à potentia proditurum vt posset non prodire, rectè id haberet. Et quamuis inde libertas actus non iuuaretur, quia semotio prædeterminationis non esset in hominis potestate, tamen simpliciter loquendo, verum esset quod diceretur: quia sensus esset, actum reipsa quidem non esse impedibilem, & talem qui possit non poni; fore tamen reipsa talem, si diuina manus ad eum ponendum prædeterminans semoueretur. At aduersarius in hoc sensu non loquitur, sed vt liquebit consideranti exemplum causarum naturalium quod adhibet num. 6. planè affirmat, supposita diuina prædeterminatione, vi cuius, actus non potest non poni, posse nihilominus actum simpliciter & absolutè non poni, per ordinem ad potentiam creatam. Quæ est ipsissima Amesij Caluinistæ doctrina tom. 4. Bellarmini eneruati lib. 4. cap. 1. thesi 2. seu potiùs communis euasio Caluinistarum, vt libertatem quoquomodò retinere videantur, quod suprà alia occasione notare memini, & disertissimè tradit Hæreticus Nicetæ Choniatis Scholiastes ad lib. 3. thesauri cap. 27. Iam olim quoque, Gerso in calce proëmij tractatus de distinctione verarum reuelationum à falsis, inter alias quorundam Theologorum propositiones, quas vocat *minùs sobrias*, numerat istam, quòd actiones liberæ nobis, per ordinem ad primam causam, sint necessariæ.

X. Esse autem hanc, manifestam implicationem in adiecto, constabit, si ea huc transferamus, quæ recen-

tiores passim disputant contra planè similem vel potiùs eandem implicationem qua se irretiuit Caietanus 1.p.q.22.art.4.cum dixit, diuinam prouidentiam de nostris actibus, nec ineuitabilem nec euitabilem esse dicendam. Non enim ineuitabilem; cum actio nostra diuinitus prouisa, possit per nos non poni. Sed neque euitabilem, cum nó possit actio aliter se habere, quàm fuerit diuinitus prouisum, ne diuina prouisio cassa euadat Quia verò ea actus prouisi ineuitabilitas, cum eiusdem contingentia & libertate non cohæret, ídque Caietanus satis perspiciebat, eò deuenit vt diceret, talem actum, respectu quidem humanæ voluntatis contingenter & vertibiliter operantis euitabilem esse, respectu verò diuinæ voluntatis efficacis, eíque subiunctæ diuinæ potentiæ hominem ad operandum adigentis, ineuitabilem esse: Ita vt vtrumque hoc prædicatum, *ineuitabilis* & *euitabilis*, non secundùm aliquas conditiones, sed absolutè ac reipsa in eundem actum cadant. Hoc autem Caietanus qua erat perspicacia, animaduertens non plus intelligi posse, quàm si idem simul & semel dicatur esse & non esse, per ordinem ad diuersas causas; perfugium quæsiuit in humanæ ignorantiæ latebris, dicens rem esse humano ingenio inexplicabilem, suadensque *vt intellectus in hoc quiescat, non euidentia veritatis inspectæ, sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ*; tantum non ingenuè profitens, in eos se laqueos incidisse, vnde se extricare non posset. Idque omnes qui Caietanum consecuti sunt, aduersus eum notarunt. At aduersarius eodem planè modo philosophatur de actu potentię liberę diuinitus prædeterminato.

Eum enim actum, quia est à potentia contingenter operante, ait esse contingentem & posse non esse, quod Caietanus dicebat, *esse euitabilem*: Quia verò est etiam à Deo, & exercendus est vi diuinæ prædeterminationis, quam irritam cadere impossibile est, ait autor, eum actum eiusmodi esse, vt non possit non poni, & esse immutabilem, quod Caietanus dicebat, *esse ineuitabilem*.

XI. Memorat ex alio quodam qui Caietanum antecessit, eam ipsam distinctionem Thomas Valdensis lib. 1. doctrin. cap. 28. num. 1. & 3 referens necessitatem inde sequentem, vocatam ab eo esse *respectiuam*, eo quòd respiciat causam primam, indéque enascatur. Refellit autem eum ibid. & numero 7. ex eo quòd actus, tametsi non nisi per respectum ad Deum necessarius, est tamen necessarius; & quidem necessitate quę non sequitur, sed præcedit hominis voluntatem. Cum hoc argumento, ait Valdensis, luctatum esse autorem illum, sicut Iacobum cum Angelo, donec marceret neruus eius in femore, & sua ipsius responsione succumberet. Itaque cap. 25 num. 9. intrepidè affirmat Valdensis, huiusmodi necessitatem respectiuam, & per ordinem ad solam causam primam, periculosè asseri, nec in antiquis Patribus tale quicquam affirmari, vel in scripturis. Nam quod ad eam respectiuam necessitatem stabiliendam proferebatur ex ca. 21. Prouerb. vbi dicitur, *Cor Regis esse in manu Domini illud inclinaturi quocunque voluerit*, rectè notat Valdensis accipiendum esse de sola inclinatione quæ impedibilis est, nec cum necessitate illa respectiua cohæret. Quod expendendum

dum fuerat aduersario, qui illi loco tanquam apertissimo, inædificat viam illam inflectendæ voluntatis quá vocat supremi dominij, & talis est, vt inconsulta hominis voluntate actionem ita inuehat, vt non possit non poni. Disputat rursus egregiè aduersus eam nostrorum actuum necessitatem respectu Dei determinantis Vvald. ibid cap. 30. ridens hos, vt vocat, *necessarios sine omni necessitate magistros.*

Quare indubitatum videtur, posteriorem illam prædeterminationem ab autore traditam, euertere contingentiam actus prædeterminati, & voluntatis vertibilitatem respectu eius exscindere. Vt enim egregiè argumentantur Nemes. lib. de hom. cap. 35. & Plotinus Ennea 3. lib. 1. cap 7. *Si actio non potest non sequi vbi relinquitur quod in nostra potestate est Debet enim esse liberum,* & posse sequi aut non sequi *quod in nostra potestate est.* Sanè actus sic prædeterminatus induit necessitatem, aliunde profectam quàm à voluntate, quod est eum non esse in voluntatis potestate vt sit vel non sit. At quod non subest potestati voluntatis, non pendet ab ea liberè, vt Valdensis ex S. Augustino argumentatur capite illo 28. num. 7. Nec repugnat idem S. P loco qui ab aduersario profertur, cum dicit, actum nostrum liberum, indeclinabiliter & insuperabiliter & inuictissimè perfici à voluntate tacta diuinitùs. Hæc enim omnia nihil aliud sonant, quàm certam & infallibilem tametsi impedibilem positionem actionis ad quam Deus voluntatem sollicitat. Probè siquidem cohæret certitudo & infallibilitas, cum impedibilitate & contingentia, de quo plenè alibi.

Modi pertrahendæ, iuxta autorem, voluntatis, cuius actus prædeterminatur, discußi.

XII. In duplici verò illo modo quo aduersarius voluntatem salua actus contingentia pertrahi à Deo posse tradebat, quò eam secunda hęc prædeterminatio trahit, peccantur nonnulla. Imò quoad priorem modum autor manifesta contradictione se implicat intra idem caput, & D. Augustino manifestè repugnat. Ait enim autor lib. illo 1. cap. 22. num. 7. Deum, cum inclinat voluntatem via persuasionis, non se gerere eo modo quo homo homini & amicus amico persuadet; proponens scilicet quæ sunt eius dispositioni & affectibus accommodata; sed quocunque tempore, & in quibusuis occasionibus, absque vlla exploratione recessuum hominis interuentu scientiæ mediæ posse voluntatem pertrahere quò voluerit. At ibidem num. 11. hæc omnia euertit docens, Deum cum procedit via persuasionis, *non immutare cor hominis immediatè per seipsum, sed per hominem, quem ita ad finem affectum reperit, & super cuius dispositione ædificat.* Vnde addit, in hoc procedendi modo Deum præsupponere aliquid creaturæ, nempe dispositionem eius sibi probè compertam; ad idque attendere, & se velut amicum cum amico gerere nobiscum, ac tenere humanum modum, quem per explorationem affectuum & dispositionis personarum quibus suadendum est, dixerat esse numer. 7.

XIII. De hoc ipso priore modo voluntatem trahendi, adeò demissè statuit, ne dicam indignè, vt num. illo 11. *in fine*, neget eum esse aptum ad causandam perfectam conuersionem hominis in Deum. Mirum ergo est cur eum numeret inter modos quibus Deus actus nostros liberos supernaturales prædeterminat. Nam inter actus illos, eminet perfecta conuersio, déque ea præsertim agitur quoties de diuinis prædeterminationibus disputatur. Nec S. Augustinus, quibus locis modum exponit quo Deus voluntates nostras emollit, & ad se conuertit, alium profert quàm istum quem autor tantoperè depreciat. Sic lib. 1. ad Simplic. qu. 2. *Cuius miseretur*, inquit *sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* En vocationem persuadentem, cui mox opponit aliam quæ effectum non sortitur, nec persuadet. *Cum Deus deseruit non sic vocando, quo modo ad fidem moueri potest, quis etiam dicat modum quo ei persuaderetur vt crederet, etiam omnipotenti defuisse?* Supponit ergo apertè, illam alteram vocationem maximè ad conuersionem, persuasione constare. Lib. de spir. & lit. ca. 34. *visorum suasionibus agit Deus, vt credamus, & vt velimus.* Et mox *Credere non potest anima, quamlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat.* Denique idem planè ferunt omnia loca (sunt autem propè infinita,) quibus Augustinus gratiam qua ad Deum perfectè conuertimur, & à qua est tota series executionis diuini de nobis boni propositi, appellat *doctrinam*, qua latens boni honestas educitur, & suauitas abdita aperitur. Ea enim doctrina, idem est quod persuasio. Agit de ea doctrina, deque schola cor-

dis in qua traditur, illustrissimè lib. de prædest. SS. cap. 8.

XIV. Alter verò modus voluntatem pertrahendi ab autore assignatus, quem vocat *supremæ potestatis & omnipotentiæ*, videtur perspicuè excludere actionis contingentiam & voluntatis vertibilitatem. Nam si Deus robustam manum suam exerat, nec cum magna reuerentia qua nos disponere solet, agere constituat, sed vim suam omnipotentem expromendo, quæ illi creatura possit obsistere? *Voluntati enim eius*, (antecedenti inquam imperio, tanquam Domini omnipotentis,) *quis resistet?* Et. *Dominus exercituum decreuit, quis poterit infirmare?* Fortitudo nostra, quæ non est nisi fauilla stupæ, longè impar est ad retundendam vel inhibendam vim diuinam, si Deus benignè eam nobis non attemperet, sed pro potestate ac supremo suo in nos dominio expromptam velit. Ex ipsa quoque ratione dominij, intelligi nullo negotio potest, eam viam non cohærere cum voluntatis vertibilitate & actionis contingentia. Nam dominium est facultas disponendi de re prout libet, incósulto quouis alio, idémque sonat nomen *supremæ potestatis*. Atqui vt salua sit voluntati humanæ sua vertibilitas, necesse est eam consuli priusquam ad aliquid determinetur; alioqui determinatio erit antecedens, & pugnans cum libertate quæ poscit à seipsa determinari, non aliunde. Ergo si Deus gerat se erga voluntatem vt supremus Dominus determinabit illam antecedenter, & ducet non quò ipsa voluerit, sed quò impetus abducentis tulerit: Atque adeò nulla ei superstes manebit vertibilitas, nulla in operando con-

tingentia: quam tamen Deus semper vult saluam, vt detur merito locus: & idcirco vt ait S. Augustinus lib. 2. contra lit. Petil. cap. 84. ita ducit quos ad Christum suum adducit, vt tamen præmissa vocatione trahente, *dimittat eos vt quod voluerint eligant*: quod longè abest à via illa supremæ potestatis, assignata ab autore.

Concluditur inutilitas nouæ sententiæ, ad explicationem præsentis difficultatis; quæ quomodò enodanda sit, obiter tangitur.

XV. Ex dictis, liquidò constare puto, doctrinam aduersarij de fœderatione liberæ voluntatis creatæ & diuinarum motionum prædeterminantium, præterquam quòd in primario capite siue in noua libertatis notione apertè est falsa; tam multis tamen aliis modis malè habere, & tam multis næuis per omnes (vt vidimus,) partes persparsam esse, vt vsui esse nō possit; nec expediat reuera difficultatem quæ in eo negotio omnibus semper Theologis obuersata est, sed impediat eam multo magis. Quod autem iuxta autorem, hic nodus retenta prisca libertatis notione, inexpedibilis & inextricabilis habetur, qua facilitate dicitur, eadem reiicitur. Possumus enim facilem omnino & solidam rationem inire, qua & humanæ libertatis vertibilitati, & diuinarum motionum dignitati consulatur. Vbi idem mihi contingere fateor, quod populo qui 1. Regum 14. venit in saltum in quo erat mel copiosum super faciem agri, nec tamen ob interpositum principis interdictum, ausus est quis-

quam de melle illo decerpere. Possem multa Conciliorum, multa Patrum, præsertim Augustini, multa Scripturarum sacrarum, multa Doctorum cuiusuis ætatis testimonia, quæ mihi in hanc rem aliquali diligentia congessi, in rem præsentem producere. Sed multiplex ille fauus, in fauissa conditus hæreat necesse est, non nisi cum per maiores licuerit educendus.

Omnibus itaque suppressis & disputatione restricta ad motionem naturalem qua Deus de Senecæ alteriúsve Philosophi sententia hominem sollicitet ad bonum opus morale ordinis merè naturalis; dico, nullam planè esse necessitatem amplexandi recèns cusam ab autore notionem libertatis, vt motiones diuinæ quas admittere necesse est, cum voluntatis humanæ libertate cohæreant. Nullas enim admittere adigimur diuinas motiones irrepudiabiles & ineluctabiles; atque ita non possunt dici libertatis humanæ iuribus officere, & eam vertibilitatem ac flexibilitatem ad alterutrú quam prisca libertatis notio fert, labefactare, aut temerare quoquo modo: Et illæ ipsæ quæ faciunt vt voluntas humana faciat, non id faciunt voluntatem antecedenter determinando, sed voluntati abblandiendo, & ita eam prolectando, vt ipsamet vltrò ac sponte, imò volens ac lubens dedat sese, & suasionem prælucentem sequatur, ad ídque ipsamet se determinet, quia *sola voluntas*, cum liberè agit, *determinat quid teneat*, vt S. Anselmus egregiè dixit p. 1. concord. cap. 6. quamuis si aliò flecti vellet, & nollet ductum motionis ad bonum sollicitantis sequi, posset aliò habenas sui ipsius

ſibi permiſſas conuertere, & in partem oppoſitam currum animæ agitare.

XVI. Subit hîc animum, quod legere memini apud Philonem Iudæum lib. de Temulentia ad illud, *potauerunt patrem vino*, attigítque etiam Pyrrho apud Diogenem Laërtium lib. 9. & inter noſtros S. Gregorius p. 3. paſtoralis in prologo; aliquas cogitationes & affectiones voluntatis ita proportionari genio hominis, vt quamuis homo poſſit eas abiicere, nunquam tamen abiiciat. Quod neque in diuerſis hominibus, neque in eadem perſona, vniforme ſemper eſt. Interdum enim idem homo ob talem corporis conſtitutionem, vel quia talibus affectibus præoccupatur, delectatur vna re; poſtmodum verò contraria de cauſa, afficitur potiùs aliquo alio obiecto. Nam quia anima noſtra eſt forma corporis, æſtúque perpetuo paſſionum & variorum affectuum fluctibus agitatur, eundem ſtatum retinere diu nequit, vt optimè omnino proſequitur Rich. Victor. de ſtatu inter. hom. tract. 1. à ca. 8. & pulchrè S. Baſilius ad titulum pſalmi 44. qui eſt *pro ijs qui commutabuntur*, quod S. Baſilius de homine quoad corpus & animam dici monſtrat, & illam quam dico ſtatuum in nobis iugem variationem confirmat. Pro ſtatuum ergo viciſſitudine, idem homo varia obiecta nunc probat, nunc improbat. Atque ita experimur aliis nos rebus delectari lætos, aliis triſtes, aliis iratos, aliis denique pacatos & mentis quaſi fluſtro potientes. In variis perſonis idem perſpicuè cernitur. *Homines*, ait Philo ſuprà, *immane quantum, in rebus omnibus inter ſe differant, qui non modò aliàs aliter de iiſdem iudicant,*

sed & alij aliter, dum ijsdem quidam delectantur, quidam offenduntur. Nam quæ his probantur, alijs displicent: quæ hi vltrò accersunt vt domestica, alij procul in malam rem profligant, vt alienissima. Equidem fortè fortuna theatrum ingressus aliquoties, animaduerti ad vnum carmen tragœdorum citharœdorúmve in scena certantium, alios sic demulceri, vt non temperarent sibi quin assurgentes acclamarent, & applauderent: alios non magis moueri hoc, quàm illos ipsos gradus saxeos quibus insisterent: alios in tantùm offendi, vt è theatro se proriperent, vtraque manu compressis auriculis, ne quid ex eo sono reliqui, molestiam crearet fastidiosi animis. Quid attinet ista dicere? Vnusquisque si ipsum per se consideres, quod vix est credibile, innumeras mutationes in corpus animámque recipit, quæ modò expetierat fugiens, haudquaquam mutata sed in eodem statu manentia. Eadem enim aliter à sanis accipiuntur, quàm ab ægrotis: aliter à vigilantibus, quàm dormientibus: aliter à pubescentibus, quàm senescentibus. Imò qui stat, alias quàm qui mouetur imaginationes concipit alias intrepidus, quàm timidus, item mærens, quàm gaudens, infensus quàm beneuolus Itaque industria & prudentia illius qui vult alteri persuadere, & facere vt alius aliquid faciat, in eo præsertim consistit, vt genium eius cui persuadere nititur, obseruet diligenter, eísque placentia loquatur, illius se inclinationibus & affectibus nunc vigentibus præsentique statui accommodans. Seruat hoc exquisitè Satan, cum hominis consensum quem extorquere non potest, suadere satagit. Sedulò enim explorat pronitates nostras, & affectus præsentes, vt Lactantius pulchrè notauit 6. instit. cap. 4. & 7.

Deus

Deus ergo qui multo penitiùs renes nostros & corda peruadit, cum vult facere vt homo aliquid faciat, ita apposite se insinuat in eius voluntatem, obseruando circunstantias in quibus homo cum certa cogitatione & affectu sympathiam habet, vt iis immissis, inducat hominem infallibiliter ad assensum. Comprehendit enim perfectissimè voluntatem, & certò ac distinctè nouit, non tantùm quid factura aliquando sit, sed etiam quid factura esset, si hac vel illa cogitatione pulsaretur. Quare cum vult vt consensus noster sequatur, seminat in intellectu cogitationem, & in voluntate affectum simplicem, seu boni prægustationem, qualem videt consentaneè ad constitutionem & affectum ac statum præsentem hominis debere esse illam, ex qua consensus est secuturus, certò & infallibiliter, etiam si non necessariò, eo quòd homo ita sit consensurus, vt posset non consentire si luberet. Quod cum dico, non reuoco vim diuinæ motionis ad statum aut complexionem hominis, vt insulsissime, tametsi multo sale & aceto admistis, obiicit autor lib. 1. cap. 20. n. 3. & Amesius Caluinista tom. 4. Bellarmini eneruati lib. 3. cap. 3. thesi 7. & cap. 5 thesi 5. & lib. 4. cap. 2. thesi 1. ac non semel alibi. Status enim & complexio hominis, habet tantùm rationem termini, & causæ materialis; Deus autem ex sua mera liberalitate, homini sic affecto & constituto, confert motionem quam videt non fore cassam, cum posset conferre aliam qua homo inutiliter tangeretur.

XVII. Non igitur vt ostendamus quomodò homo diuinitus tactus, sit liber, cogimur, vt aduersario

visum est, euertere omnium hominum anticipatam de libertate notionem, & dicere, idcirco hominem esse liberum, quia quamuis ineluctabiliter adigatur operari, nec possit aliò flecti quàm quò ducit diuina motio, tamen per illam adactam & velit nolit elicitam operationem, adhæret Deo; vnde hominis amplitudo & eminentia, quod ad veram & perfectam libertatem abundè esse, censet aduersarius. Hoc inquam, nullo modo cogimur dicere, ídque etiam, nemo ante autorem dixit, quamuis de diuinis motionibus, earumque repudiabilitate aut irrepudiabilitate, varij varia & pugnantia tradiderint. Omnes enim retenta antiqua libertatis notione, diuinarum motionum & humanæ libertatis concordiam inire conati sunt, quisque iuxta sua principia. Ego iuxta mea, non incommodè videor id præstitisse eo modo quem proposui, æquè ad diuinas quascunque motiones pertinente. Siue enim Deus ad actus morales purè naturales motione sua nos sollicitet, siue ad actus supernaturales, eodem modo locum habent quæ proposui, quamuis ego quidem de motionibus supernaturalibus consultò silui; hærens in iis quæ naturalibus motionibus ad opera philosophicè honesta homini à bona fortuna præuento (vt Aristoteles loquitur) diuinitus intra naturæ ordinem communicatis æquè conueniunt.

Pro hac verò ieiunitate quoad motiones supernaturales, recipio plenam me ac confertam, ac coagitatam mensuram, aduersario repensurum, si quando liceat per nutum maiorum, quibus hanc nunc pacem,

plena eius contra præscriptum de hoc argumento tractatio debet.

CAPVT II.

Ex diuina nobiscum cooperatione ad naturales ac supernaturales actus, spectata eorum specie, humanam libertatem non lædi, absque vllo à noua sententia subsidio.

I. ERICVLVM quod humanæ libertatis ceruicibus à diuina motione præueniente & rationem actus primi habente intentabatur, nisi nouę sententiæ subsidium aduocaretur, depulimus hactenus sufficienter. Nunc amoliendum est discrimen, quod eidem vulgatæ libertati imminere censetur ab exhibitione diuini concursus, cum ad naturalia & purè moralia opera, tum ad supernaturalia. Hinc enim maximè aduersarius nouam libertatis notionem stabiliri existimat, quod nisi ea admissa, vix ac ne vix quidem, quomodò diuinus nobiscum concursus ad cudendas operationes nostras iungatur, absque libertatis temeratione intelligere liceat. Nam si Dei cooperatio, infert antecedenter ad consensum vel exigentiam nostram, præmotionem fluentem causæ secundę immissam, hæc autem non potest non inuehere actum secundum; manifestè sequitur libertatem actiue indifferentem exscindi, nec superesse quod libertatis nomi-

ne donandum sit, præter amplitudinem voluntatis ex adhæsione cum Deo. Ea quippe amplitudine homo educitur in latitudinem, éstque liber, etiamsi & quoad speciem & quoad exercitium actus sui, aliunde quàm à seipso determinetur, nempe à Deo cooperante. Itaque vt hoc aduersarij munimentum deiiciamus, considerandum est, verè ne libertas nostra, in hac parte nouæ sententiæ subsidium exigat: quod pendet ex benè perspecta ratione determinationis causarum secundarum quoad speciem & exercitium, nec non ex modo quo exhibetur nobis diuinus concursus. Ideóque de his omnibus breuiter, partim hoc capite, partim sequenti est disserendum.

Deus omnem causæ secundæ indeterminationem tollit, iuxta aduersarium, & quidem priùs prout agens.

II. Statuit ergo autor lib. 1. cap. 15. & cap. 20. num. 1. duplicem esse in creatura rationali indeterminationẽ: Vnam ad speciem actus, alteram ad exercitiũ: Vtramque porrò à Deo tolli. Nam indeterminationem quoad speciem actus, censet & latè probat toto cap. 16. tolli à Deo prout est finis vltimus, sub qua ratione, Dei est determinare, quid & quomodò creaturæ operentur: nec potest aliter explicari rerum varia & multiplex mensura, nisi prout aliter atque aliter ad finem comparantur pro diuersitate cuiusque. Quatenus verò Deus est primum agens, censet autor tolli ab eo indeterminationem creaturæ quoad exercitium, quia

dat creaturis vt agant, de quo plenè toto capite 17.

Ita porrò se habent in Deo hæ duæ rationes, agentis primi & finis vltimi, iuxta autorem ibid. cap. 15. nu. 2. & 5. vt siue Deus solitariè agat, siue nobiscum excudat actionem, nunquam causalitas primi agentis præexigat causalitatem finis, sed quodammodò antecedat: quia quamuis omnia quæ Deus se solo operatus est, sint propter finem vltimum; tamen quòd Deus quædam ex se prompserit quæ ad seipsum vt ad finem referret, ex nullius finis intuitu ortum est: sed Deus tanquam primum agens, extra se eiaculatur lucem suam, eaque sui diffusione & propagatione constituit creaturas, quas ad se vt ad finem vltimum conuertit. Non enim vt in creaturis vsu venit, prior est finis causalitas, eámque subsequitur agentis officium: sed quia Deus finis ac principij expers est, nec ad finem tendit ipse, sed alia in finem dirigit, idcirco in eo munus agentis antecedit munus finalis causæ, quódque in illo primum concipitur, est, diffundere se ad extra, hoc est agere: rem verò ea diffusione procreatam, postmodum in seipsum dirigit vt in finem. Hæc, quę in Deo cum solus ac seiunctim à nobis operatur manifesta censet autor, in nobis quoque locum habere vult, cum Deum habemus cooperatorem. Ita enim monet oportere concipi in cooperatione Deum, vt non moueatur ab ea quam in se agnoscit prærogatiua finis vltimi, sed efficaciam suam in creaturas transmittat, quasi in receptacula largitionibus suis præparata (*Paruas lacunas celerrimè superefluentes, & impares ad excipiendum*

diuinæ benignitatis effluxum, vocauit Philo lib. de temulentia:) suam verò efficaciam ita receptam, tum subiectum ipsum per illam & cum illa, magis magísque in finem referat. Hic igitur est ordo quo duæ illæ diuinæ rationes ad externas Dei actiones interueniunt, siue cudantur à Deo solo, siue vnâ nobiscum.

III. Quod si duas illas diuinas rationes comparemus, non inter seipsas, sed cum ratione finis & agentis quæ nobis potest competere, nullum est autori dubiũ, quin Deus vt potè primum agens & finis vltimus, primas vtrobique partes occupet, sempérque anteuertat rationes quascunque causandi creatas. Ac proinde Deus non modò est finis vlterior quouis bono creato nobis obuersante, sed etiam anterior. Priùs enim finalizat, & in eius volitionem reducuntur omnia desideria nostra, quatenus Deus vult nobis bonum simpliciter quod est ipsemet Deus. Inde exurgit in nobis impressio à primo volente, hoc est desiderium Dei iuxta D. Thomam 1. p. qu. 103. art. 8. & lib. 3. contra gent. ca. 67. Ex illa autem nostra in Deum inclinatione, siue ex illo desiderio Dei in nobis, exoritur inclinatio ad ea quæ Dei ordine continentur, prout continentur eo ordine, hoc est inclinatio ad ea secundùm Deum & in Deo. Itaque quicquid volumus, determinatur à Deo tanquam fine vltimo, quamdiu ordinatè volumus, nec repedamus à meta nobis proposita. Item Deus quia est primum agens, non modò coëfficit nobiscum opera nostra, sed etiam dat nobis ea agere, ita coëfficiendo vt anteuertat præmotione sua nostram ad ea determinationem, & vim nostram actiuam diminutam

compleat adiunctione suæ virtutis fluentis, cuius appressione, vt sic dicam, abripimur ad operandum, & prodeundum in actum secundum, vt autor latè differit lib. 1. cap. 18. 19. & 20. Quæ cum respectu naturalium & purè moralium actuum sint vera, (pendent enim ex ratione primi agentis, & idcirco vbiuis valent,) maximè tamen valere debent respectu supernaturalium actuū, ad quos non modò essentialis subordinatio creaturæ ad primam causam, sed etiam naturæ improportio & depressior ordo, suppetias supernaturales diuinæ cooperationis & præmotionis exposcit.

Cum autem posita ea anteoccupatione libertatis creatæ, & facta extrinsecùs eius determinatione, exscindatur vulgaris ratio libertatis, expositæ per indifferentiam actiuam, apparet quanto vsui ad hanc difficultatem extricandam esse possit noua libertatis notio, iuxta quam Deus libertatem nostram non temerat, quia quantumcunque determinationes nostras determinatione sua anteuertat, non tamen tollit imò confert voluntati amplitudinem, ex adhæsione ad ipsum Deum, quæ omni diuinæ operationi & cooperationi præfixa semper est, deriuatam.

Reijcitur; & primùm quoad prioritatem agentis in determinando.

IV. Mihi vt breuiter rem perstringam, cum aduersario in nullo propositorum punctorum satis conuenit. Ideóque vt appareat non esse quod libertati vulgatæ à quacunque diuina nobiscum concausatione &

cooperatione timeatur, aperiam inprimis vnde petatur determinatio, & quoad speciem, & quoad exercitium, tam quoad opera naturalia, quàm quoad supernaturalia, reiiciens aduersarij opinationem in vtroque puncto, eiúsque rationes conuellens. Ex quibus nihil hinc iuuari nouam de libertate sententiam, manifestum erit.

Sed ante omnia, breuiter recolendus est ordo ab aduersario constitutus, inter rationem agentis primi, & rationem finis vltimi in diuinis actionibus, siue à Deo solo profusis, siue à Deo cooperante nobiscum. Aduersarius enim ex eo quòd Dei actio interna non sit propter finem, (est enim Deus ipse quem in aliquo genere causæ pendere, aperta repugnantia est,) infert causalitatem primi agentis non præexigere causalitatem finis, sed ea præconcepta ac præsupposita superuenire per actum quasi reflexum, ordinationem ad Deum vt finem vltimum.

V. Hoc nego posse intelligi. Neque enim Deus agit ad extra cœco modo, sed intellectuali & ordinato, qui planè fert, vt primùm præfigatur finis in quem collimet actio quæ exercenda est, alioqui in vacuum curreretur, & susciperetur motus sine meta, quod non modò est imperfectum & Deo indignum, sed etiam impossibile, non nobis tantùm, vt quisque in seipso experiri potest, sed etiam vniuersè; ídque ipse autor sui immemor agnoscit lib. 1. cap. 16. num. 4. Potest quoque ea impossibilitas manifestari ex parte actionis externæ à Deo manantis. Cum enim ea actio, in illo priori quo aduersarius vult eam nondũ subiici rationi finis vltimi, sit ens

sit ens creatum, necesse omnino est vt sit à Deo, etiam vt à fine, omnia quæ à Deo efficienter prodeunt principiante finaliter, vt monstratum est in Natur. Theol. dist. 1. à num. 13. Quare indubitatum censeo Deum non priùs habere rationem primi agentis, quàm habeat rationem primi finis, externam illam actionem finalizantis: sed ambas illas rationes causandi, sicut in nobis, ita & in Deo impræcisibiliter connecti, etiam quoad conceptum. Non quòd non sit geminus finis & agentis conceptus obiectiuus, quorum quilibet suum nostrum peculiarem conceptum formalem terminare possit; (id enim est per se perspicuum, sed quòd nunquam possimus ita diuellere vnum ab altero, quin si Deus intelligatur causare vno modo, altero itidem concomitanter causare intelligatur. Estque hæc receptissima apud Philosophos doctrina, cum exponunt connexionem causarum. Videsis Suarem disp. 27. Metaph. s. 1. num. 8. aut cum declarant munus causæ finalis, & cur eius causalitas sit necessaria. Omnes enim vt ratum supponunt, finem non causare nisi quia mouet efficiens ad efficiendum, vt optimè attigit Scotus in 1. d. 2. qu. 2. *litera* L. vnde non malè vocatur primus motor & primus procurator omnis causalitatis. Quomodò autem moueret si non præconciperetur ante actionem? Vel quorsum moueret, postquam agens erupisset in actionem? Ordo igitur ille diuinæ nobiscum concausationis, cui inædificanda erat necessitas nouæ notionis causarum liberarum, abit in fumum, vnáque ea noua notio & eius necessitas euanescit.

Itémque quoad determinationem speciei actus, per Deum vt finem.

VI. Pergo ad munera quæ aduersarius Deo vt fini vltimo, & vt primo agenti, tribuit respectu nostri. Nã à Deo vt à fine vltimo, ait determinari speciem actus creati, ab eodem autem vt agente primo, ait determinari eius exercitium. Neutrum placet. Sed quia de hoc secundo agendum est sequenti capite, nunc de primo disseramus.

Determinatio quoad speciem actionis, nihil aliud est quàm arctatio creaturæ ad huius potiùs essentię effectum producendum quàm alterius, ita vt cum multiplex specie effectus progigni posset, ab hac tamen causa huius potiùs essentiæ ac speciei effectus prodeat, quàm alicuius diuersæ. Hanc quasi arctationem, dico ab ipsa causa creata prodire, non aliunde, siue sermo sit de causis naturalibus, siue de moralibus & liberis. Nam causæ quidem naturales v. g. ignis, suaptè natura determinatæ sunt ad certos effectus, ita vt non possint ad alios excurrere. Vnde quod ignis producat ignem, & non aquam, vel hominem, non oritur ab vlla determinatione Dei, sed ab ipsa ignis natura, quæ non est causatiua alterius effectus. Ago de actione ignis connaturali, quia hîc non est sermo de ea ignis actione qua per potentiam obediẽtialem posset ab igne prodire aqua, iuxta sententiam illorum qui admittunt quamcunque creaturam posse diuinitùs assumi ad quidlibet producendum. Si enim hæc sententia admittatur, determi-

natio quoad ſpeciem actus, erit à Deo, quandoquidem cauſa ſecunda nullam ad talem effectum proportionem niſi obedientię, atque adeò nullum naturalem ordinem habet. Sed hoc ſupra naturæ exigentiam eſt, & idcirco hîc non attenditur. At ſpectando actionem quæ poteſt connaturaliter prodire à cauſa ſecunda, v. g. productionem ignis ab igne, videtur perſpicuum, quòd ratio cur Deus cum igne producat ignem, & non aquam, petenda ſit ab ignis natura, quæ idonea duntaxat eſt talem effectum producere, non alium. Cauſa verò ſecunda libera, quę connaturaliter effectus ſpecie diuerſos poteſt producere, idcirco à Deo accipit concurſum ad actum amoris, & non ad actum odij, quia pro libertate ſua vult ferri in amorem, non in odium, ad quod Deus ęquè adeſſet cooperator, ſi creatura agnoſceretur volitura erumpere in odium, ſi ſe ſola poſſet agere. Deo enim perinde eſt, quantum eſt ex ſe, vtrouis modo operetur cum cauſa ſecunda.

VII. Et hoc eſt, ſpeciem actus determinari à cauſa ſecunda. Ipſéque Deus rectè dicitur huiuſmodi determinationem actus ſui cum cauſa ſecunda, accipere ab ea: non quòd actus diuinus internus afficiatur vllo modo à cauſa ſecunda, vel ad hoc potiùs quàm ad illud coëfficiendum trahatur aut neceſſitetur: id enim imaginari foret abſurdiſſimum, vt rectè notauit Ferrar. 3. contra gent. cap. 66. ſed quòd creatura obiiciat Deo exigentiam ſuam, qua talis duntaxat ſpeciei & non alterius concurſum depoſcat; eúmque Deus potiùs quàm alium quem æquè poſſet tribuere, conferat in-

tuitu creaturę, cui liberaliter ac benignè vult se accommodare In quo nulla est imperfectio, vel dependentia Deum dedecens.

Tametsi in bono sensu absque incommodo admitti potest, Deum quoad hoc à causa secunda dependere: quia quamuis absolutè sit à creatura independens, quatenus nec ab illa adigi potest ad cooperandum, nec astringitur ad eam assumendam vt coëfficiat effectum quem absque ea posset efficere: Tamen si præcisè spectetur vt causa prima efficiens cum secundis, dici potest in eo efficientiæ modo pendere à causa secunda, quia tunc verbum *dependendi*, non aliud sonat quàm Deum dum suam potentiam ad agendum non applicat plus quàm applicet ad influendum cum causa secunda, non posse huiusmodi effectum vel actionem producere absque causa secunda, quod verissimè dicitur, & citra quodcunque Dei probrum. Itaque illum loquendi modum, malè aliqui in suspicionem vocarunt. Planè verò ita habent Gregor. in 1. d. 45. quæst. 1. *ad 3. & 4. contra quintam.* & in 2. d. 34. *ad 9. contra tertiam.* Maior in 2. d. 25. quæst. 1. *ante argumenta contra quartam*, & Capreol. in 2. d. 37. ad 3. ac Sirenius lib. 8. de fato cap. 21.

Mens Diu. Thomæ, in re proposita.

VIII. Sic expositam determinationem quoad speciem actus, conferri à creatura, tradit diserte D. Thomas in 3. d. 23. quæst. 3. artic. 1. *in corp.* verbis illis. *Actio primi agentis est vna, communiter omnes firmans:*

specificatur autem effectus eius in hoc & in illo secundùm illius exigentiam. Et quæst. 5. de verit. artic. 9. ad 10. cum dixisset, effectum causæ primæ esse intimiorem & permanentiorem in causato, subdit. *Tamen effectus magis aßimilatur causæ secundæ, quia per eam determinatur quodammodò actus primæ causæ ad hunc effectum.* Et 3. contra gent. cap. 66. ait, *secunda agentia esse quasi particulantia & determinantia actionem primi agentis*, habereque pro effectu proprio, non *ipsum esse* quod est effectus agentis primi, sed alias perfectiones quæ sunt determinationes τοῦ *esse*, seu gradus entis.

Quo loco alijsque notatis à Capreolo in 2. d. 1. qu. 2. *ad 3. Aureoli contra sextam*, S. Thomas non contendit, Deum duntaxat producere gradum entis, reliquos autem rei gradus specialiores effici à creatura, vt ridiculè sancto Thomæ affingit Aureolus ibi à Capreolo explosus, nec non Scotus in 4. d. 1. quæst. 1. *ferè initio*; sed tantùm vult, Deum directè ac per se, causare in re qualibet gradum entis, ipsi Deo per se respondentem: agenti autem secundo, directè ac per se respondere gradus inferiores & specificos, iuxta doctrinam Philosophi 1. phys. tom. 76. affirmantis si animal fiat ex animali, vt canis ex equo putrescente, tunc animal in cane inclusum non fieri per se, eo quòd natura non intendat per se illud esse quod præerat in materia, sed illud tantùm quod ei nondum inerat. Nam illa ratio quæ dicitur per se fieri, non debet supponi ex parte effectus qui producitur, quamuis ex parte agentis possit supponi. Ignis enim per se

generat ignem, licet in ſe rationem ignis præhabeat. Et Deus cum creat, producit per ſe ens, licet ipſe ſit ens. Itaque iuxta illum Ariſtotelicum loquendi modum, quo cum canis fit ex equo, gradus animalis & cœteri qui in equo præfuerant, dicuntur tantùm fieri per accidens, cauſa ſecunda quæ effectum per eductionem producit, dicitur tantùm producere per accidens gradum entis, quia qui educit, præſupponit ſubiectum, quod vtique eſt ens. Atque ita qui educit, ſemper reperit productum gradum entis, quem proinde non per ſe, ſed tantùm per accidens efficit. Qui verò creat, quia nihil planè rei creandæ ac ne ſubiectum quidem præſupponit, producit per ſe ac directè gradum entis. Et quia ſolius Dei eſt principaliter creare, idcirco proprius ac per ſe & directus effectus Dei, dicitur eſſe ipſummet eſſe; vt rectè vidit Ferrar. 2 contra gent. cap. 21. & lib. 3. cap. 66. Caiet. 1. p. quæſt. 44. artic. 2. & ibid. Molina ac qu. 8. art. 1. diſp. 1. & ibid. Sylueſter §. 2. Capreolus ſupra, & poſtea *ad 3. Dur. contra eandem ſextam concluſ.*

Saluo ergo, & Dei, & cauſæ ſecundæ influxu in quoſcunque gradus effectus producendi, (ſunt enim omnes vnica entitas, atque adeò nullus eorum attingi poteſt per cauſam phyſicè operantem, quæ præciſiua non eſt ſicut intellectus, quin alij ſimul attingantur:) Deo reſpondet generaliſſima ratio quæ eſt in effectu, hoc eſt ratio entis: ſpecialiores autem rationes, præſertimque ſpecialiſſima & vltima quæ effectus ſpeciem conſtituit, reſpondet agenti ſecundo; quod p oindè rectè dicitur conferre determinationem quoad ſpe-

ciem effectus, & *particulare ac determinare* actionem agentis primi, vt S. Thomas loquebatur.

Eodem spectat, quod passim concursus diuinus appellatur generalis. Neque enim donatur eo nomine, eo quòd actio vel effectus sit à creatura secundùm solam rationem specificam, secundùm genericam verò sit à Deo, in quo sibi somnia fingit Vestonus lib. 3. de tripl. hom. offic. cap. 11. id tribuens Molinæ, & idem refellens Aluares lib. 3. de aux. disp. 21. Sed idcirco concursus Dei vocatur generalis, quia Deus per se fertur in solum gradum entis, qui generalissimus est. Quod autem hic specialis gradus efficiatur cum hac causa secunda cui Deus cooperatur, prouenit à causa secunda. Nec diuersa est ratio, cur concursus Dei, passim dicatur indifferens. Nimirum quia quantum est ex parte Dei, nó est determinatus ad hanc vel illam speciem, sed id habet à causa secunda, cuius exigentia hunc specie concursum deposcit, non alium. Et hoc ipsum est, quod affirmauimus, causam secundam determinare speciem actionis, quod aduersarius malè tribuebat Deo, spectato sub ratione finis vltimi.

Argumenta aduersarij elisa.

X. Audiamus verò quibus ille firmamentis singulare hoc placitum stabilire satagat, toto capite 16. libri primi. Argumentatur primùm autoritate S. Dionysij cap. 4. diuin. nom. affirmantis, cum alia pleraque ab autore vberioris doctrinæ gratia quamuis extra rem producta; tum illud nominatim quod autor accuratè

expendit; nempe creaturas rationales eleuare inferiora ad superiora, res inquam in inferiore gradu constitutas ad suum ipsarum finem attollere. Ibidémque S. Dionysius, tribuit summo bono status omnes atque motus, mentium, animarum, corporum. Cuius rei rationem reddens, ait, *Status enim est & motus omnibus, id quod super omnem statum, motúmque: Firmat vnumquodque in sua propria ratione, & proprium ei motum confert.* Addit cap. 8 summum bonum omnibus propriæ cuique actionis ἰδιοπραγίας autorem existere.

Respondeo, parum hæc, vel etiam nihil, ad rem præsentem referre. Nam ad probandum quòd Deus determinet causam secundam ad speciem actus, quid attinet quòd causa secunda libera, in Deum velut in finem suum collimet si rectè agat, eóque omnia pro facultate reducat? Agitur hîc de determinatione effectiua: At autor obtrudit pro ea finalem, quæ non potest esse nisi in ratione obiecti. Et qualiscunque est, prout ab autore assignatur, non habet locum nisi in bonis actibus; & in his ipsis vt plurimum non est nisi virtualis & interpretatiua, cum tamen oporteret esse formalissimam, si ad speciem actus determinaret. Itaque autor omnia alia profert, quàm quæ ad rem præsentem faciunt. Æquè extra rem adducit, quòd Deus dicatur omnia stabilire, & statum omnibus conferre. Id enim non aliò pertinet, quàm vt significetur Deum omnia fulcire & conseruare. Vnde & *tigillus* ab Ethnicis dictus est apud D. Augustinum 7. Ciuit. cap. 11. Quid ibi pro determinatione actionis à Deo quoad speciem? Denique quod Deus sit cuicunque causæ autor suæ

actionis

actionis, non probat Deum determinare causas secundas ad speciem actus: sed tantùm probat, & vim agendi cuiuis causæ consertam à Deo manasse, & eam ipsam vim cum in actum eruptura est, diuino subsidio, & conseruatione, ac etiam cooperatione egere.

XI. Argumentatur deinde aduersarius ratione multiplici. Et inprimis quia finis est mensura omnium essentiarum, & facultatum, & operationum: nec explicari potest varia & multiplex rerum mensura, nisi prout diuersimodè comparatur ad finem. Valetque id nominatim in operationibus nostris, quæ & multiplices & mutabiles sunt, vnde in aliquod vniforme & immutabile sicut in principium sunt reducendæ. Nihil autem est magis vniforme, quàm diuina voluntas. Omnes ergo volitiones nostræ in eam sunt reducendæ, & in illud vnum in quo diuina voluntas omnia vult, hoc est in rationem summi boni, quæ est primum appetibile in quod Deus qui est primum volens semper intendit. Accedit, quòd Deus non effectus tantùm, sed & actiones quibus producuntur principiat, dans causis secundis vt effectus suos actu producant. At agens nihil facit, quod finis non determinet. Ergo illud ipsum agere causarum secũdarum, à fine est, quod est eas determinari à fine ad agendum; estque ea determinatio quoad speciem & modum actus, cum sit ad esse secundùm finem, non ad esse simpliciter. Deus itaque sub ratione finis vltimi consideratus, determinat causas secundas quoad speciem actus, idque cum præstat, permanentiam ac stabilitionem confert creaturis

XII. Reſpondeo, nihil hæc omnia ad rem de qua quæritur facere. Eſt quidem finis menſura eorum omnium quæ ad finem ſunt, ſed hoc de fine proximo & immediato rei cuiuſcunque, nec voluntario & externo, id eſt per extrinſecam voluntatem præfixo, ſed à natura ipſa præſtituto, & intrinſeco, accipi debet. At Deus ſub ratione finis vltimi, non eſt immediatus & proximus finis magnæ partis rerum creatarum, ſed remotus ac mediatus. Quarum verò rerum eſt finis immediatus ac proximus, vt hominis & Angelorum, earum finis eſt extrinſecus penes quem, eſſentiam & vires naturales rebus attributas, non admetimur. Non enim v. g. quia omnia materialia ſunt propter hominem, tāquam finem eorum ad quem extrinſecè à Deo ſunt deſtinata, liberum fuit autori naturæ, tantum aut talem, non minorem, nec auctiorem, aut diuerſum perfectionis eſſentialis modulum rebus illis elargiri, ſed hoc ex interno fine cuiuſcunque rei, qui arbitrarius non eſt, ab ipſa natura definitur. Eſſentiæ quippe rerum ſunt independentes, & ex ſe neceſſariæ, iuxta D. Thomam 1. p. q. 10. art. 3. ad 3. & qu. 16. art. 7. ad 4. ſunt item ſicut numeri, nec potuerunt aliæ eſſe; vel perfectiores aut deteriores eſſentialiter effici, quàm ſint reipſa. Vt riſum ſanè nobis moueant ſimplices quidam Aſcetici, qui inter diuina beneficia quibus implent paradigmata gratitudinis Deo per hominem teſtandæ, recenſent quòd homo nō ſit factus beſtia. Id verò non eſt numerandum inter diuina beneficia, cum fuerit impoſſibile hominem aliud effici quàm hominem, vel effici beſtiam. Numerari tamen poteſt ac debet tanquam

causam promouet, nostra determinatio quoad speciem: quam etiam si obiectiuè non diffitemur esse à motiuo & fine proximo quem homo sibi proponit, & quoad aliquas è bonis hominis actionibus Deus est; Tamen efficienter (vt sic dicam,) non est à fine, sed à causa libera. Id est, cur ille potiùs finis quàm alius qui æquè causam liberam mouere potuisset, eam de facto mouerit, assumptúsque sit vt ei liberè operanti obiiceretur, hoc non ad finem ipsum, qui merè passiuè se habet, referendum est, sed ad causam liberam, quæ cum collimare in alium finem posset, hunc tamen sibi non alium determinauit. Causa verò naturalis, v.g. ignis, nec finem habet à quo ipsa moueatur; & priusquàm intelligatur ad finem aliquem dirigi à causa intelligente, est ex se & ex sua natura, determinata ad talem duntaxat specie actum; nec ad id à Deo quomodolibet spectato determinatur. Imò ipsa sic ex se determinata, Deum obiectiuè determinat ad illam ipsam actionis speciem quam habet à natura determinatam.

CAPVT III.

Ex eadem diuina cooperatione nobiſcum ad quoſuis actus, ſpectato eorum exercitio, non lædi libertatem creatam, ſecluſis ſuppetijs nouæ ſententiæ.

I. ENIO ad determinationem cauſarum ſecundarum quoad exercitium, ex qua autor, potens pro noua libertate argumentum eruere ſibi videtur. Tribuit enim Deo vt primo agenti, eam determinationem. Vnde cauſa ſecunda, iuxta eum, non poteſt eſſe libera, eo quòd ad operandum potiùs quàm ad feriandum ſe determinet; vel è contra: ſed tantùm quia cum à Deo determinetur, nec niſi in ordine ad ipſummet Deum, qui ſemper & vbique ſe reſpicit; ſortitur amplitudinem ſummam ex ea adhæſione cum Deo, quæ amplitudo eſt libertas germaniſſima, cum exoluatur ſeruitute creaturarum, & compedibus finitatis.

Determinatio ad exercitium, eſt ab ipſa voluntate.

Ego nihil hîc quoque amplitudini defero. Determinationem autem ad exercitium, non Deo, ſed cauſis ſecundis tribuendam contendo. Si enim ſint cauſæ na-

turales, ſeipſis determinantur ad agendum, eo ipſo quod in his circunſtantiis conſtituuntur: nec opus habent peculiari determinatione diuina vt erumpant in actum ſecundum, quem in talibus circunſtantiis cohibere & remorari non poſſunt. Si autem ſint cauſæ liberæ, non poſſunt aliunde ad agendum determinari quàm à ſeipſis; alioqui eo ipſo exciderent libertate & dominio in actum ſuum. Sic ſentio de cauſarum ſecundarum determinatione quoad exercitium. Nec erit difficile, reſolutionem hanc noſtram validè confirmare quoad cauſas liberas, de quibus ſolis videtur poſſe eſſe lis nonnulla. Nam de cauſis naturalibus, perſpicuum eſſe videtur quod affirmauimus. Vt quid enim his cauſis determinationem aliunde accerſamus, ſi ſuaptè natura determinatæ ſunt ad agendum, & exercendum actum ſuum, ita vt poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, frœnare ſeipſas non poſſint, ſed neceſſariò erumpant in opus? Euincamus ergo, cauſas liberas non determinari à Deo quoad exercitium, ſed à ſeipſis.

Probatio prima, ex indifferentia cauſæ liberæ.

II. Ac primùm argumentor, ex eo quo ſiue poteſtas in voluntatem noſtram hoc eſt indifferentia agendi & non agendi, ſit formaliter libertas, vt omnes ante autorem ſenſerunt, ſiue non ſit libertas, vt aduerſarius primus exiſtimauit; certum tamen eſt, eam non poſſe homini negari. Nam qui eam negarunt, damnati ſunt vt hæretici, eámque Scripturæ diſertiſſimè ex-

primunt, cum dicunt, apposita esse homini aquam & ignem, & posse eum manum conuertere quocunque voluerit. Atqui ea indifferentia ad agendum vel non agendum, exscinditur, si determinatio ad exercitium homini aliunde adueniat quàm à seipso. Nam facultas determinata, non est indifferens, quia non potest defugere id ad quod determinatur. Determinatio enim est sublatio indifferentiæ, & positio illius partis ad quá quis determinatur. Tam ergo repugnat, potentiam ad actum aliquem determinatam non erumpere in illum, quàm repugnat aliquid quod ponitur non poni; quæ est manifesta contradictio. Itaque si potentia libera non determinetur à seipsa ad exercitium actus sui, sed ab alio ad id astringatur, euertitur indifferentia actiua voluntatis, seu potestas ad positionem actus sui, eiúsve cessationem; quam potestatem & indifferentiam, certum est non posse negari viatoribus. Optimè omnino hoc argumentum proponit Guliel. Paris. lib. de vitiis & peccatis cap. 10.

Respondet aduersarius lib. 1. cap. 27. num. 1. & 2. voluntatem creatam esse indifferentem ad agendum & non agendum seruato ordine finis, quæ indifferentia non tollitur, posito quod voluntas creata determinetur à Deo quoad exercitium.

Indifferentia inquam, absoluta.

III. Sed contra, quia indifferentia quam certum est non posse viatoribus negari, est indifferentia ad agendum & non agendum absolutè. Id est, non est

duntaxat

duntaxat indifferentia ad benè agendum, vel benè cessandum ab actione, sed est plena potestas ad actum ponendum, vel non ponendum: siue in ea positione aut non positione peccetur, siue non peccetur, sed benè fiat. Certè plerunque indifferentia seruato ordine finis qua homo & benè agere potest, & benè ac sine noxa cessare, non habet locum, sed tantum potest homo honestatem exercere, vel agendo vel cessando. Neque tamen in eo euentu censendum est, hominem carere indifferentia: alioqui non esset laude dignus, eo quòd mala potuerit facere & non fecerit: nec dignus probro aut pœna, eo quòd manum ad ignem conuerterit, cum posset ad aquam, siue ex eo quòd malè fecerit cum benè agere posset. Agnoscenda ergo est in homine viatore indifferentia, non tantùm seruato ordine finis, siue intra limites honesti, sed etiam absoluta. Atqui talis indifferentia funditùs perit, si Deus determinet hominem quoad exercitium, quia Deus non determinabit nisi ad bonum. Igitur non est admittendum, hominem à Deo determinari quoad exercitium.

Quinimo indifferentia quoque seruato ordine finis, tollitur si diuina illa determinatio concedatur. Nam v.g. si Deus determinet hominem vt seruato finis ordine agat, ergo homo non manet indifferens, vt seruato eodem ordine non agat: quia determinatio ad agendum, excludit indifferentiam ad non agendum, quantumuis non actio posset esse honesta, & intra ordinem finis. De ratione autem indifferentiæ est, vt qui dicitur indifferens, possit vtrolibet ferri. Ac proinde ne ea quidem indifferentia quam aduersarius propo-

nit, superstes est, si homo à Deo determinetur ad exercitium actus sui. Reuera autem vtraque indifferentia, cum materia eam fert, concedi homini debet, & vtraque excludit determinationem ad exercitium actus prouenientem ab extrinseco, qualem aduersarius comminiscitur. Quomodò enim homo dicetur indifferens ad benè agendum vel benè cessandum, si tantùm cessare potest, aut si tantùm potest agere, eo quòd ad alterutrum illorum determinetur diuinitus? Quomodò item dicetur indifferens ad agendum benè, aut cessandum malè, si à Deo determinetur ad benè agendum, ita vt ferri in alteram partem non possit, diuina determinatione vrgente eum ad alteram tantùm partem, vtique bonam & labis expertem?

Firmatur probatio, aduersus tricas de imperfecta receptione diuinæ determinationis, in quibusdam.

IV. Addit aduersarius, idcirco aliquos agere contra ordinem finis, quia diuina motio imperfectè in eis recipitur, & ita vt non subiiciat sibi voluntatem, sed hominem in malum ferri non prohibeat.

Sed hoc non labefactat argumentationem nostram. Nam diuina determinatio, si verè est determinatio ad exercitium, qualem aduersarius Deo tribuit respectu voluntatis creatæ, non potest non inuehere actum ad quem determinat, estque apertissimè contra notionem veræ determinationis vt ea posita non ponatur actio ad quam est determinatio. De cognitione

ne quidem cum obiectiuè determinat, vt cum non est indifferens, fas est dicere ea posita non illico poni actum quia posset negari voluntati vis agendi. At de ipsiusmet voluntatis determinatione formali, impossibile est tale quid concipere quia ea determinatio est ipsissima actuatio facultatis actiuæ & ablatio indifferentiæ quæ priùs facultati competebat. Ridiculum igitur est admittere voluntatem à Deo prędeterminari, & tamen addere, eam prædeterminationem, quia inefficaciter recipitur, non inuehere actum ad quem est prędeterminatio, nec subiicere sibi voluntatem vt actus ille excudatur. Imò verò prædeterminatio hoc habet, vt proinde non possit perfectiùs vel imperfectiùs recipi, sed nulla sit in voluntate facultas ad eam repudiandam vel imperfectiùs quàm ipsa ferat excipiendam. Nam quod determinatur ab alio, patitur tantùm & recipit. At recipiens & patiens, vt sic, non est liberum vt Durandus rectè vidit in 2.d.24.quæst.2.num.18. Sanè si determinatio exciperetur libere à facultate determinata, oporteret eam receptionem dici liberam ab actu aliquo talis facultatis. Præcisè enim vi receptionis in ea facultate, non posset determinatio dici libera, cum multa aduenіant facultati voluntatis quæ ei non sunt libera nec liberè per eam recipiuntur. Actus autem ille per quem determinatio liberè reciperetur esset actio facultatis creatæ ac proinde daretur determinatio ante receptam determinationem, quod constat dici non posse.

V. Porrò aduersarius, cum imaginatur determinationem diuinam fortiùs ac perfectiùs & veluti penitiùs

admitti in quibusdam, alios verò languidiùs ac imperfectiùs subire, videtur de determinatione philosophari vt de clauo, qui pro nisu impingentis intimiùs peruadit, aut minùs intimè: (& eo sanè exemplo in hanc rem vtitur autor lib.1.cap.29 num. 3.) aut vt de impetu, (quod ipsum exemplum adhibet lib.1.cap.29.num. 2. & 3.) Impetus enim pro maiore conatu mouentis, ad vlteriores partes permeat. Sed hæc eiusmodi sunt, vt vix refelli debeant. Nam clauus magis vel minus intimè adigitur, quia sunt plures partes quanti quod clauo pertundendum est, & ob resistentiam qua compressioni obsistunt, claui peruasionem, morosiorem & imperfectiorem possunt reddere. Impetus quoque difficilè imprimitur pluribus partibus, quia resistentia impetu superanda, maior est quàm vt cedat nisui languido ac remisso. At cum diuina prædeterminatio, spirituali subiecto, puta voluntati imprimitur, cessant omnes causæ propter quas contingit impressionem corpoream esse maiorem aut minorem. Et si quæ maior vel minor perfectio in receptione diuinæ determinationis excogitari potest, non pertinet nisi ad intensionem & remissionem gradualem, quæ hîc est planè per accidens, nec plus vel minùs infert actionem.

Quare nullo modo rectè dicitur, diuinam determinationem in aliquibus subiectis perfectiùs, in aliis imperfectiùs recipi, ideóque diuinam prædeterminationem abire irritam, nec consequi actionem ad quam determinat, quia imperfecta fuit eius receptio. Diuina tamen motio, in aliquo sensu longè alio à sensu au-

toris, dici poteſt imperfectè recipi; quatenus ſcilicet voluntas, non obſtante ea diuina excitatione, obfirmari poteſt in anteriore propoſito, aut in ſua ignauia contra quàm diuina ſollicitatio ferret. Et tunc quia conſenſus vel non adhibetur, vel non prout adhibendus fuiſſet, dici aliquatenus poteſt, motionem & ſollicitationem diuinam recipi imperfectè: qui eſt modus quo Diu. Thomas alicubi ait, motionem diuinam in quibuſdam ſubiectis imperfectè recipi. Sed de diuina determinatione nihil tale dici poteſt, quia ſi ipſa ponatur, infert actum qualem ipſa edicit, nec ſupereſt voluntati vis obluctandi, & contra tam potentem ſtimulum calcitrandi. Neganda ergo eſt voluntatis determinatio quoad exercitium facta ab extrinſeco, & ab alio quàm ab ipſa voluntate.

Indifferentiæ ſublatio per diuinam determinationem ad exercitium, vrgetur, quia eſt ſuppoſitio antecedens.

VI. Confirmatur 1. hoc argumentum, quia actus qui elicitur ex ſuppoſitione antecedente voluntatis determinationem, ita elicitur à voluntate, vt non poſſit non elici. Hæc enim eſt cauſa cur PP. conclament aduerſus fatum, ſiue mathematicum, ſiue quomodolibet aliter ab Ethnicis ſtatutum. Eſtque certa ſancti Anſelmi doctrina, pluribus explicata & confirmata in Morali diſt. 2. à numer. 254. ſuppoſitionem quidem conſequentem, non tollere liber-

tatem, quia ponitur dependenter à libera voluntate: (est enim ipsamet voluntatis determinatio libera, quæ certè seipsam non destruit:) At suppositionem antecedentem, exscindere libertatem, quia tollit voluntatis flexibilitatem ad vtramque partem. Ibidémque num. 256. monstratum est, malè aliquos S. Anselmum ad alium sensum obtorquere, cum plana mens eius, sit quam proposui, vt rectè quoque intellexit Baconus in 4. dist. 1. qu. 4. art. 2. Cum igitur diuina determinatio antecedat determinationem causæ secundæ, & idcircò dicatur prædeterminatio, falsum est, actum ad quem voluntas sic determinatur, ita elici vt sit in potestate voluntatis eum non elicere: quod planè est abrogare indifferentiam illam quam voluntati vendicabamus, & quam certum est non debere negari voluntati viatoris.

Non me latet, quò confugiat aduersarius vt hoc telum declinet. Nam lib. 1. cap. 30. num. 8. ait Deum non esse formam antecedentem nec externam, sed hoc ipsum quod à Deo mouemur, esse moueri à nobis, quia Deus est nobis intimior intimo nostro. Hoc tamen plus quàm paradoxum, iam sæpè explosimus. Eodem autem capite num. 9. & cap. 24. num. 4. ait, eam suppositionem antecedentem libertati obesse, quæ importat puram subiectionem in creatura, nullúmque illi motuum suorum dominium permittit. At diuinam prædeterminationem, non tollere, sed inferre huiusmodi dominium & potestatem in actus suos. Sed hoc est apertè falsum. Nam dominium consistit in potestate vtendi re pro arbitratu. Atqui actus ad quem di-

uinitùs prædeterminamur, non est positus in voluntatis arbitrio, nec voluntas si lubeat potest eum non ponere: cassam enim faceret diuinam prædeterminationem, quod est creaturæ impossibile. Igitur implicat in adiecto, dicere, diuinam prædeterminationem esse suppositionem antecedentem esséque verè quod vox prædeterminationis sonat, & tamen permittere nobis dominium in actum nostrum prædeterminatum.

Et actum sic infert, vt detur, vel negetur, sine nobis.

VII. Confirmatur 2. quia sine diuina prædeterminatione, actus non potest elici à causa secunda, quippe quæ iuxta autorem, vi subordinationis essentialis qua Deo subiicitur, determinationem ad exercitium à Deo deposcit; vt à Deo accipiat, non esse tantùm & posse, sed etiam actu agere. Si ergo diuina prædeterminatio ponatur, (quod fit antecedenter ad quemcunque hominis consensum, eóque prorsus inconsulto,) consequens omnino est, vt actus prædeterminatus exerceatur, quicquid tandem homo statueret, si sibi permitteretur: quia causa secunda non potest obniti aduersus diuinam determinationem, & aliò ferri quàm quò ista propellit. Si autem diuina prædeterminatio non ponatur, (quod æquè fit inconsulto homine,) non poterit actus exerceri, quia iuxta autorem, diuina prædeterminatio exigitur essentialiter ad exercitium actus. Vbi ergo est voluntatis indifferentia ad actum exercendum vel non exercendum? Aut quid

voluntatis dispositioni, circa illum actum, eíque oppositum non actum permittitur?

Nititur aduersarius lib. 1. cap. 27. à num. 5. hac se difficultate extricare: sed reuera magis ac magis se irretit. Adigitur enim admittere, dari diuinam prædefinitionem antecedentem & absolutam, itémque subiunctam ei prædeterminationem quæ recidat in nihilum, nec sortiatur effectum. Hæc verò tanta est absurditas, vt nihil attineat eam amplificare; ipsáque voce *diuinæ determinationis* sufficienter refellitur. Hoc autem gratis admisso, manet difficultas de actu cui negata sit diuina prædeterminatio, cuiusmodi sunt omnes illi quos non exercemus. Hi namque iuxta aduersarium non possunt elici, quia caremus principio ad eorum productionem essentialiter requisito, nempe diuina determinatione. Igitur homo non est indifferens ad huiusmodi actus: nec laudandus est quis ex eo quòd potuerit facere malum & non fecit. Reuera enim non potuit facere malum quod omisit. Caruit enim diuina determinatione ad exercendum actum, quam si accepisset, operatus fuisset; nunc autem abstinuit operatione, quia operari non potuit, quod non est laudis argumentum.

Probatio 2. ex actu malo.

VIII. Secundò principaliter argumentor, & probo determinationem voluntatis nostræ quoad exercitium, non esse à Deo: quia si ita esset, Deus prædeterminaret hominem ad peccandum, proindeque esset peccati

peccati autor, quod vel cogitatu horrendum est, nec nec nisi cum enormi blasphemiæ atrocitate, à Caluino & quibusdam de Lutheri ganea est affirmatum. Vt hoc argumentum rem solidè conficiat, probandum duntaxat est, posito quòd Deus determinet voluntatem ad exercitium, sequi quod determinet ad peccandum: nam cœtera sunt perspicua, & extra controuersiam. Probatur igitur illa sequela; quia is dicendus est prædeterminare ad peccandum, qui prædeterminat ad ponendum fundamentum quo in talibus adiunctis posito, non potest non exurgere malitia, siue sit priuatio siue formalitas positiua, resultans ex libera positione actus in talibus circumstantiis. Vtrumlibet enim quis statuat, perinde est ad rem præsentem: quia malitia quicquid tandem esse dicatur, non potest per se & directè fieri, sed resultat ex tali modo operandi, nempe ex operatione contra regulam, supposita aduertentia & potestate abstinendi eo opere. Vnde malitia eatenus tantùm potest prædeterminari, quatenus prædeterminatur fundamentum ex quo apta est exurgere; Id est actus positiuus cui aduenit in talibus adiunctis, & in tali hominis dispositione. Atqui non potest admitti, quòd Deus prædeterminet hominem ad ponendum actum positiuum malitiæ substratum; quia sic Deus ipse implanaret hominem, quod Spiritus sanctus Ecclesiastici 15. arguit mendacij. Quomodo enim non implanaret hominem, quandoquidem ex se, & ex mera sua voluntate, nullo habito respectu eius quod homo ex se velit, vrgeret illum, imò adigeret ad ponendum talem actum, cui in talibus circunstantiis

agnoſcit non poſſe non conſeri & implantari malitiã? Prædeterminatio enim mouens & exequens de qua agimus, cum ita inferat actum vt homo non poſſit eum non ponere, eam quam dixi adactionem continet: Ac proinde ſi Deus, ad actum malitiæ ſubſtratum & virulentiæ fœcundum prędeterminat, implanat hominem, eíque ſubminiſtrat iuſtiſſimam cauſam expoſtulationis, ſi vituperetur aut plectatur ob admiſſum actum poſitiuum, ex quo non poteſt non exurgere malitia. Quomodò verò dici poterit, Deum auerſari peccatum, & odiſſe impium vt ſic, ac impietatem eius, ſi ex ſe amat ac decernit id è quo malitia non poteſt non progerminare? itémque ſi vrget & adigit ad id ponendum, ob quod in talibus circunſtantiis poſitum, homo conſequentis inde moralitatis, ſiue peccati, cauſa cenſetur? Igitur Deus non prædeterminat hominem ad ponendum actum poſitiuum ſubſtratum malitiæ.

Non perſequor latiùs hanc argumentationem, quod in Morali diſt. 4. à num. 343. validè, & obſeptis ac præcluſis effugijs omnibus ſit propoſita. Rectè igitur ac ſolidè ex ea inferimus quod hoc loco intendimus; nempe falſum eſſe, vi ſubordinationis eſſentialis quam cauſa ſecunda habet ad Deum, oportere cauſam ſecundam determinari à prima quoad exercitium. Id enim manifeſtè videtur non poſſe admitti quoad actum poſitiuum malitiæ ſubſtratum, quamuis reſpectu eius æquè locum habeat eſſentialis ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad Deum primam cauſam.

Aduersarij implexitas, & inconstantia notata.

IX. Respondet aduersarius lib. 1. cap. 26. num. 4. & 8. Deum nec ad formale peccati nos mouere, siue prædeterminare, vt probauerat num. 1. neque ad materiale, vt probauerat num. 2. mouere tamen ac prædeterminare nos ad actus qui mali sunt, quatenus sũt actus, & quatenus sunt humani, & quatenus sunt media quibus Deus vtitur ad mandanda executioni consilia sua: quam ait esse sententiam Diu. Thomæ in 2. d. 34. qu. 1. art. 3. ad 3. & d. 37. qu. 1. art. 2. & qu. 3. de malo, artic. 2. quia his locis dixit, actum peccati quatenus actus est, causari à Deo. Idem tribuit S. Dionysio cap. 4. diu. nomin. quia dixit, Deum esse causam effectiuam eius quod quomodolibet est, atque adeò etiam actus positiui malitiæ substrati, qui vtique & actus est, & essentialiter bonus. Vnde Deus ob malitiam ei bonitati adiunctam, non est spoliandus iure quod habet in quoduis ens ac bonum: quod ius in eo situm est, vt Deus ad illud exemplariter, finaliter, & efficienter prædeterminet. Quid quod creatura, etiam in malis actibus tendit in finem vltimum, pendétque ab eo? Atqui secundùm ordinem finium est ordo agentium. Ergò creatura, in malis quoque actibus, à Deo tanquam ab agente primo pendere & moueri debet, quod est ab eo ad exercitium præmoueri & prædeterminari. Sicque malum à bono procedit, cum finaliter ratione intentionis summi boni, quæ ad quemcunque actum

etiamsi malum non mouet, tum efficienter. Hoc emplastro autor factam à se vulneri illato medelam putat.

Sed certè non est resina in Galaad, & medicus non est ibi. Nam quamuis certum sit, actum malitiæ substratum, prout actus est, pendere à Deo, idque vnum tradiderint S. Thomas & S. Dionysius, qui proinde otiosè allegantur ad stabiliendum autoris responsum, quod longè aliud fert: Tamen aliud erat quod ostendere oportuerat. Nempe monstrandum fuerat, quomodò Deus non prædeterminet ad peccatum, sitque eius causa, (eo modo quo peccatum potest habere causam,) si ex se & antecedenter ad hominis voluntatem prædeterminat ad actum positiuum, cui in his circunstantiis, malitia necessariò adiungitur. At tantum abest vt aduersarius id ostendat, vt potiùs id stabiliat, ex quo diximus apertè sequi actionem Dei in peccatum. Quare argumentum propositum perstat inconcussum.

X. Manifestè verò aduersarius, sibi ipsi hoc loco & aliis contradicit. Nam lib. 1. cap. 25. num. 1. diserte admittit, quicquid est in actu malo præter priuationem, prædeterminari à Deo. At materiale peccati, est aliquid in actu peccati quod non est priuatio; quæ iuxta aduersarium est ipsa malitia. Ergo malè hîc in speciem negat, Deum determinare ad materiale peccati. Quid quod hoc ipso loco quo tam securè negat determinari nos à Deo ad materiale peccati, idque suæ sententiæ impingi grauiter fert num. 8. addit tamen, Deum prædeterminare voluntatem ad actum positiuum formali malitiæ substratum? At quid est materiale peccati, ni-

si actus ille quatenus ens positiuum & Metaphysicè bonum? Ridiculum sanè videtur, quod num. illo 8. dicitur, *materiale mali moralis, non tantùm coniunctum esse malo, & defectui, siue disconuenientiæ ad naturam rationalem, sed illud ipsum intrinsecè includere penitúsque imbibere.* Hoc si verum esset, materiale transiret in formale, essetque peccatum, quod est contra suppositionem. Item iuxta hæc, fomes peccati baptismo superstes, quẽ aduersarius num. 2. perabsurdè ait pertinere ad materiale peccati, esset malus formaliter, atque adeò peccatum, contra expressam Concilij Tridentini definitionem. Nec refert, quod iuxta aduersarium, fomes, & actus malitiæ substrati, quatenus indeliberati, non sint contra regulam rectæ rationis, sed tantùm disconueniant naturæ rationali. Hoc inquam non refert. Nam si disconuenirent naturæ quę est terminus dissonantię mediatus & remotus, deberent priùs disconuenire termino immediato & proximo, hoc est regulæ practicæ, cui tamen ob indeliberationem non dissonant. Ergo neque naturæ dissonant, vel saltem non plus naturæ dissonant quàm regulæ: nec nisi materialiter vtrique repugnant, quatenus scilicet hæc entitas actus, si adesset aduertentia & consensus, fieret moraliter & formaliter mala: Fomes verò, quatenus est seminarium actuum qui possunt in malos efformari, estque *sartago libidinis*, in qua *depopulatricis flammæ vagus ardor & cuncta perlustrans incendium*, ebullire facit concupiscibiles motus, vt loquitur autor sermonis de ratione circuncisionis apud S. Cyprianum.

Quàm hîc absit à Caluino.

XI. Non potest ergo aduersarius defugere, quin fateatur Deum prædeterminare hominem ad materiale peccati, cum prædeterminare dicat ad entitatem positiuam substratam malitiæ. Ac proinde ægrè poterit suam hanc sententiam ita defricare & extergere, vt nihil Caluinianæ fuliginis eidem concretum semper, & agglutinatum, ac conuisceratum remaneat. Nam Caluinus ad cuius vipereos in hac re sibilos orbis cohorruit, sola prædeterminatione ad materiale peccati in talibus circunstantiis contentus est. *Equidem*, inquit lib. de æterna Dei prædestinat. *quæ mala sunt, quatenus mala sunt quæ malo animo perpetrant homines, Deo minimè placere fateor: sed quod otiosum ea permittere fingunt, quæ scriptura non tantùm eo volente, sed autore fieri pronunciat, nimis friuolum est effugium.* Hoc secundum dicit, propter prædestinationem & prædeterminationem actus positiui malitiæ substrati. In prioribus autem verbis disertè ait, Deum non prædeterminare formale peccati, siue malitiam. Clariùs etiam idem tradit hic sycophanta lib. 1. instit. cap. 18. § 2. 3. & 4. & in antidoto ad canonem sextum sessionis sextæ Concilij Tridentini, quibus locis tradit, Deum odisse quidem perfidiam, id est, formale peccati, sed velle defectionem positiuam perfidiæ substratam, quæ est illius peccati materiale.

Et conclamat quidem meritissimò in Caluinum autor, tanquam in blasphemum, & quod de eius atauis

dixerat Isid. Pelus. lib. 1. epist. 413. tanquam superantem diabolum ipsum impietate ac scelere; quippe qui planè faciat Deum peccati autorem. De hoc bono opere non lapidamus autorem, sed quærimus quomodò ipse hac in parte à Caluino dissideat. Nam Caluinus cohorruit profiteri in actu signato, Deum esse autorem peccati. Conuincitur tamen id asseruisse, quia peccatum quod commissionis appellatur, siue formaliter sit priuatio, vt autor latè contendit in opere de libertate, (ad quam scilicet id magni intererat,) lib. 2. ca. 16 & 17 siue sit positiuum quid vt ego verissimum existimo, & latè probaui in Mor. dist. 4. à num. 252. cum inquam peccatum cómissionis formaliter spectatum vel sit priuatio, vel formalitas connotatiua, quarũ neutra ponitur aut producitur absolutè & simpliciter, sed tantùm fit facto fundamento, aut adhibito certo operandi modo resultat, vt quæcunque priuationes & aliæ pleræque formalitates; In eum vt causam referri debet, qui ponit fundamentum formalitatis aut priuationis illius, qua fundamentum est: hoc est, quatenus ex eo in talibus circunstantiis progerminat necessariò formalitas vel priuatio. Caluinus autem conuincitur hoc admittere, quia censet Deum prædestinatione sua adigere ex se hominem, non quidem ad formale peccati, sed ad positiuum actum ei substratum.

XII. Quæ ergo est inter Caluinum & autorem, quoad hoc differentia doctrinæ, cum autor æque admittat, Deum ex se determinare Catilinam ad volitionem occidendi potestate priuata, prout ea volitio est in genere naturæ, (quod autor habet lib. 2. cap. 25. n. 16.)

& vniuersaliter loquendo contendat Deum ex se non vrgere modò, sed & adigere, (hoc enim est, prædeterminare,) adigere inquam hominem vt ponat fundamentum moralitatis vetitæ, hoc est actionem generis naturæ in his circunstantiis in quibus malitia non potest non adiungi tali actioni; quippe quæ circa obiectum vetitum, & cum prohibitionis aduertentia eliciatur? Aut quomodò non æquè autor ac Caluinus, præcludit omnem planè iustam accusationem peccatoris, qui videri debebit laudabiliter operatus; quandoquidem vt aduersarij contra Caluinum verba lib. 2. cap. 22. nu. 7. contra ipsum aduersarium retorqueam, *sciuit Deum suo decreto, sua voluntate, sensit illum sua operatione, hunc illi affectum imprimere, & secutus est; Quid aliud facere debuit? Licetne enim Deo volenti & operanti resistere?* Eam cuiusuis peccati excusationem, & Dei in omnibus sceleribus accusationem, æquè impiis suggerit doctrina aduersarij. Et tamen cuiusmodi sit ea accusatio, & excusatio, nemo non videt, & pulchrè tradit S. Ambros. lib. 2. de Cain cap. 9. verbis illis. *Qui peccatum suum ad quandam referunt, vt* Gentiles *asserunt, decreti aut operis sui necessitatem, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis, causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi inuitus occidit. Ea verò quæ à nobis sunt, excusationem non habent, quæ autem præter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quanto grauius peccato ipso, ad Deum referre quod feceris, & reatus tui inuidiam, transfundere in autorem non criminis, sed innocentiæ?*

XIII. Versat se in omnem partem autor lib. 2. cap. 25. vt hoc telum declinet aut auertat. Sed irrito planè conatu.

conatu. Nam quod ait num. 2. & 10. *Actus prauos non prædefiniri & prædeterminari à Deo, absolutè ac secundùm se totos, sed secundùm ordinem quem illis indit ad finem prouidentiæ suæ*; idipsum est quod Caluinus ait, Deum implanare homines optimo consilio; vt scilicet ad finem omnibus suis operibus præfixum, gloriæ inquam suæ amplificationem perueniat. Et tamen hic Æthiops, eo responso teterrimam faciem horrendi dogmatis non lauit, quia iuxta edictum sanctissimum quod prostat apud Apostolum, *non sunt facienda mala vt eueniant bona*. Nec quisquam excusatum putet adulterum, qui libidinari se dicat eo animo, vt prolem suscipiat quam sanctè educet, & ad gloriam Dei promouendam instituat. Aut fœneratorem, qui aliena sublegere se dicat, vt habeat vnde in pauperes effundat ad Dei gloriam.

Eundem Caluini afflatum & spiritum pestiferum, redolent illa ab autore tradita ibid. n. 5. & seqq. nempe peccatum subsequens quatenus iusta peccatoris pœna est, à Deo esse; non ob iustam permissionem occasionum labendi, & subtractionem auxiliorum quæ peccatum inhibuissent, (quo sensu S. Augustinus 5. contra Iulia c. 3. & l. de grat. & lib. arbit. c. 21. & 23. dixit peccatum subsequens esse pœnam præcedentis:) sed vt intelligitur ex n. 6. & 7. quia hominem peccato subiicit, illudque assumit & regnare facit supra peccatores; adeò vt ob eam subiectionem, diuina iustitia statuente, & diuina potentia operante factam, committant noua illa peccata, operante Deo in cordibus ipsorum. Absit verò, absit, & rursum absit, hæc vt admittamus,

quippe à diuina munditie, & peccati odio quo flagrat Deus, alienissima. A Diuo autem Augustino tam dissita, quàm elongatur cœlum à terra. Nam Diu. Augustinus tantùm voluit quod dixi.

Et aliquando prætereà significat, cum peccator ad duo mala inæqualia promptus agnoscitur, & in procinctu ad ea, ita vt alterutrum exequi fixum habeat; tantúmque nutet & anceps sit, vtrum potiùs è duobus perpetret; cum inquam id accidit, tunc Deum interdum impellere peccatorem, vt in eam potiùs partem quæ minus tetra est, arbitrij sui habenas flectat: vel cum peccata sunt æqualia, & ex vno secutura est iusta vexatio alicuius, eo similiter impellere quandoque peccatorem; non per physicam voluntatis ipsius inflexionem ad malum factam diuinitùs, sed ostentata, ministerio ferè satanæ, aliqua boni illecebra, quæ peccatorem ad eam partem prolectet atque pelliciat. Sic enim duram illam, nec facilè vulgandam D. Augustini paucis quibusdam locis, & pro paucis quibusdam & infrequentissimis euentibus sententiam, molliuit Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. fidei p. 5. cap. 29. quam autor ad omnia planè peccata, primum cuiuscunque hominis peccatum consequentia, consilio nequaquam probando, extensam voluit.

Neglecto corde saucio, reduuiam curat.

XIV. Castiùs profectò & Deo digniùs loqueretur, si non modò amoueret à Deo hanc inflexionem ad malum, etiamsi quandoque sit minus, sed etiam præ-

determinationem ad materiale, ex quo non poteſt in talibus circunſtantiis non exurgere formale. Accidítque mihi hac in re vniuerſa permirum, quod in aduerſario deprehendo. Non enim ſenſum meum diſſimulabo. Is tam religiosè de Deo opinatur, vt etiam malum pœnæ quà homini malum eſt, ne per accidens quidem in Deum refundi patiatur, vt videre eſt lib. 2. cap. 19. à num. 6. & cap. 22. num. 1. cauſatus quædam D. Augustini & D. Thomæ loca, quæ reuera tantùm ferunt, Deum ex ſe nolle hominis ſupplicium, prout eius malum eſt, quamuis ſuppoſita hominis condignitate, velit, & quidem directè, quod eſt iuſtiſſimum; nempe hominem plecti. Item eadem religioſitate & pietatis tenerrimo ſenſu, autor ibidem num. 8. refugit admittere, Deum eſſe poſſe cauſam non entis: vſque adeò vt ſi fiat ſubtractio pura concurſus conſeruatiui, neget Deum eſſe cauſam quòd res non ſit, ſed tantùm admittat, Deum non eſſe ampliùs cauſam quòd res ſit: addatque, Deum nó eſſe cauſam deſitionis rerum ſubducta conſeruatione pereuntium, quod meram influxus negationem ſonat, ſed duntaxat non eſſe vlteriùs cauſam conſeruationis earum, quod ait importare influxum quendam poſitiuum ad non eſſe. Quæ adeò ſubtilia & myſtica ſunt, vt ego qui Dauus ſum nó Oedipus, præſtringi mihi viſum fateri cogar. Tandem eadem exquiſitiſſima in Dei nitelam & ſummam ſanctitatem obſeruantia ductus autor l. 2. c. 24. num. 2. negat Deum poſitiuè nolle & auerſari peccatum: ne ſcilicet eius qualicunque tandem contactu, etiamſi auerſatiuo, ſordeſcat; & quia ſi Deus poſitiuè malum nol-

let non fieret. Quasi verò idem sit nolle, siue auersari aliquid, & nolle impeditionem eius, quod est illud permittere, si impedimenti appositio ad manum erat. Atque ita Deus etiam si peccatum impedire nolit, optimè tamen ac verissimè dicitur nolle & odisse peccatum.

Aduersarius ergo, tam delicatè pius vbi nihil interest, imò vbi species pietatis & studij in Deum euidenti ratione confoditur, occlusis tanta accuratione foraminibus diuini influxus in quodcunque mali nomine donatum, etiam quod Deum non dedeceret, patentissimam portam aperit diuino influxui in malum morale, quod est verè à Deo alienissimum; siue in peccatum, admissa inflexione creatæ voluntatis per Deum ad secundum quodvis peccatum, & prædeterminatione ad actum positiuum in circunstantiis in quibus resultare ex eo malitiam est omnino necessarium. Hoc verò est, quod aiunt, neglecto corde lethaliter saucio, de reduuia curanda esse sollicitum.

Probatio 3. ex reiectione modorum, quibus voluntatis à Deo determinatio, fieri dicitur.

XV. Tertiò principaliter argumentor, & probo Deum non determinare ex seipso voluntates creatas ad sui actus exercitium, excludendo modum quo eam determinationem à Deo fieri tradit autor. Ait igitur, omnes quidem causas secundas determinari à Deo ad exercitium actus, sed cum aliquo discrimine de quo

plenè c. 28. n. 2. & 3. Nam causas secundas naturales ac non liberas, existimat prædeterminari à Deo, immissione actus cuiusdam primi fluentis, quem S. Thomas quæst. 3. de potentia quæ est de creatione artic. 7. nominat virtutem intentionalem & fluentem. Qui actus primus, licet non sit qualitas, quia non habet esse firmum & ratum, est tamen motio, ferè sicut impetus lapidi à proiiciente impressus. At causas liberas, existimat autor prædeterminari à Deo ad sui actus exercitium, per finis intentionem, qua voluntas non ad media, respectu quorum est indifferens, sed ad finem per media determinetur.

Hæc tamen neque verè, neque satis cohærenter, dicuntur. Nam autor contendit, causas naturales eo diuinitùs dato virtutis actiuæ complemento egere, quia causæ secundæ sunt, quas oporteat à prima causa accipere, non posse tantùm, sed & agere. Itémque quia alioqui influxus diuinus non esset in causam, sed in solum effectum. Atqui hæ rationes, & si quæ sunt aliæ mox inter diluenda aduersarij argumenta proferendę, æquè euincunt, causas liberas huiusmodi complemento virtutis egere, ac causas naturales. Nec D. Thomas iis locis quibus supplemento illi virtutis diuinitùs impendendo patrocinatur in speciem, aliter de causis naturalibus quàm de moralibus ac liberis philosophatus est; cum omnes æquè sint causæ secundæ. Itaque quantum ex discursus acoluthia, & iis quæ sparsim autor tradit, colligere licet; & præsertim ex eo quòd diuinam actuum liberorum prænotionem diuino decreto niti vult, tanquam fundamento primo, quod sanè

necesse est esse firmissimum, nec per hominem mobile, ne scientia illo nixa vacillet: dicendum videtur, eum quamuis implexè & confusè locutum, noluisse causis secundis liberis hoc virtutis auctarium negare: sed duntaxat exponere voluisse, quid insuper habeant causæ liberæ, quod causis naturalibus commune non sit; nempe intentionem finis, à qua proinde peculiariter determinentur, & applicentur ad actus circa media, quamuis prout causæ sunt, possuntque etiam eosdem actus indeliberatè promere, determinantur immissione actus primi fluentis. Et ita expressè agnoscit autor lib.1.cap.17.num. 2. & cap.18.num.1. & 2.

XVI. Ego & eam prædeterminationem per quodcunque virtutis auctarium quo posito actio non possit non sequi, repudiandam contendo, & specialem causarum liberarum prædeterminationem per intentionem finis vltimi, æquè reiicio. Atque ita excludo quemcunque modum, quo aduersarius censet tribuendam esse Deo determinationem causæ secundæ ad exercitium actus.

Prædeterminationem per immissum actum primum, exscindunt quæcunque hactenus proposui, vt excluderem determinationem nostram à Deo quoad exercitium actus. Quæ æquè etiam militant contra prædeterminationem per intentionem, si ea intentio sit eiusmodi, vt ea antecedenter ad consensum nostrum nobis diuinitus inserta, actio circa media non possit non sequi. Quod semper addo, quia si quis tantùm contenderet, formam aliquam, siue sit qualitas siue aliud quippiam, (quanquam quid aliud tandem

esse queat?) immitti causæ secundæ, & tamen æquè præstolari eius determinationem, ac eam præstolatur concursus simultaneus & concomitans; non erit mihi cum illo magna contentio, quia salua erit indifferentia actiua voluntatis creatæ, & immunitas Dei à labe caussationis peccati. Atque hoc pacto philosophatum video Pennotum lib. 8. cap. 21. num. 2. & cap. 22. num. 1. quoad actus supernaturales, & quoad naturales specialiter à Deo intentos. Nec abhorret Ruardus artic. 7. qui inter problemata numerat assertionem huius præimmissionis non determinantis causam secundam. Tantùm itaque dispiciendum erit ei qui huiusmodi actum primum inuehere volet, quàm solidè illum sit confirmaturus, qui planè superfluus videtur, & nullo firmo fundamento subnixus.

XVII. Specialiter verò prædeterminationem voluntatis nostræ quoad exercitium per intentionem finis vltimi, *quam Deus primo datam renouet, & adaugeat, implicatam & inuolutam euoluat, & explicet, imminutam & obscuratam per peccata instauret & illustret*, (quo pacto de hac voluntatis liberæ prædeterminatione ad exercitium loquitur autor cap. 26. num. 3.) hanc inquam prædeterminationem, non video quàm verisimiliter inuehat autor. Nam intentio Dei finis vltimi, non est nobis primò data à Deo, nec ab eo augetur renouatur, explicatur, euoluitur: sed est actus noster elicitus & liber, cui æquè necessaria est diuina prædeterminatio, ac cœteris actibus nostris pro quibus autor necessitatem diuinæ prędeterminationis agnoscit. Alioqui causa secunda, respectu intentionis non acci-

peret à Deo ſuum agere: nec effectus ille daretur à Deo cauſæ ſecundæ, quæ eſt aduerſarij argumentatio ad aſtruendam prædeterminationis neceſſitatem. Oportebit ergo fingere, ante finis intentionem dari aliam intentionem anteriorem, quæ ſit huius prædeterminatio: quod non modò eſt cõtra experientiam, ſed etiam apertè inducit proceſſum in infinitum in intentionibus prædeterminantibus. Quod hîc ſuppono, primam finis vltimi intentionem eſſe actum noſtrum liberum, probaui & diſcuſſi in Mor. diſt. 2. à num. 173. & latè etiam traditur à Bellarmino lib. 3. de grat. & lib. arbit. cap. 14. ac Suare diſp. 19. Metaph. ſ. 8. à num. 9. Hoc autem ſuppoſito, rata eſt argumentatio propoſita.

Accedit, quod ſi verum eſt voluntatem liberam prędeterminari ad exercitium actus ſui per intentionem finis vltimi, fatendum erit cuiuis planè actui libero, adiungi, imò præmitti intentionem finis vltimi. At hoc nemo non videt eſſe commentitium, & contra experientiam. Cum verò finem vltimum intendimus, vt aliquando contingit, non idcirco dicendum eſt eam intentionem nos prædeterminare: quia prædeterminatio ſpectat actionem prout exercetur, atque adeò dicit ordinem ad ſpecialem & ſingularem actionem. Atqui plerunque intentio finis vltimi nullam ſpecialiter infert actionem circa media, eo quòd de nullo medio aſſumendo diſtinctè cogitemus. Aliàs verò cognoſcimus quidem nexum medij alicuius cum fine vltimo, & vi intentionis finis volumus tunc amplecti medium: Tamen neque tunc dicendi ſumus ad eam electionem prædeterminari per intentionem finis vltimi, quia

præde-

prædeterminatio eſt aliquid antecedens liberæ voluntatis conſenſum, ponitúrque voluntate inconſulta; nec ceſſat ad nutum eius. At amor medij in eo euentu, non plus durat quàm intentio finis, quam poſſumus cum libuerit abrumpere.

XVIII. Fixum itaque & ratum eſto, voluntatem noſtram, non à Deo, ſed tantum à ſeipſa determinari ad actus ſui exercitium: quod planè illi fuit concedendum, vt eſſet locus laudi & merito in exercitio actus boni, & virtutis operatio ex parte aliqua eſſet hominis, quatenus potuiſſet ſi ita libuiſſet, actionem omittere, vt pulchrè dixit Nazianzenus orat. 1. E contra verò idem fuit voluntati permittendum reſpectu actus praui, vt eſſet locus iuſtæ repenſioni ſupplicij in tempore retributionis, cum vniuſcuiuſque actus appendentur in ſtatera iuſta. Hæc omnino videtur certa habuiſſe Gerſo, quandoquidem in proëmio tractatus de diſtinctione verarum viſionum à falſis, inter alias propoſitiones (vt vocat) *minùs ſobrias*, quas aliquos Theologos aſſeruiſſe affirmat, iſtam numerat, *Quòd diuina voluntas prius vult res eſſe, quàm ſuus intellectus iudicat eas fore.* Id enim perinde omnino eſt, ac ſi diceretur, *Quòd diuina voluntas antecedenter prædeterminans, ſanciat actus liberos fieri, priuſquàm cognoſcatur poſitus influxus voluntatis creatæ quo accipiunt eſſe, & diuino intellectui obijciuntur tanquam futuri.* De voluntate enim diuina conditionatè aut concomitanter concurſum decernente, cum ſit cauſa actus futuri, vt Gerſo ſæpè agnoſcit; non diceret Gerſo, eam non priùs intelligi in Deo, quàm actus noſter iudicetur futurus. Itaque perſpicuè

inhæret doctrinæ propositæ, censétque minus sobrium affirmare, voluntatem nostram non à seipsa, sed à Deo determinari antecedenter, vt exerceat actum liberum.

Sic stabilita veritate, adducenda sunt & expendenda, quæ aduersarius ad stabiliendam contrariam sententiam id Deo tribuentem profert, vt inde emendicet suffragium nouæ libertati & amplitudini: quod libertatis prisca notio per indifferentiam actiuam, nullo modo possit cum voluntatis prædeterminatione ad exercitium cohærere.

Argumenta aduersarij ab autoritate, præsertim Diui Thomæ.

XIX. Determinationem ergo voluntatis creatæ ad exercitium actus sui à Deo esse, autor lib. 1. cap. 17. & aliquot consequentibus, magno testimoniorum & rationum bombo prosequitur. Testimonia petuntur magnam partem ex D. Thoma, quem autor ait docere 3. contra gent. cap. 66. & 67. Deum habere esse pro effectu suo proprio, cœtera autem omnia, tantùm dare esse in virtute primi agentis, & vt instrumenta ab illo mota & applicata: atque adeò causas secundas non educere effectus suos ad esse, nisi prout ad id determinantur & mouentur à Deo; nec operari per facultates & vires actiuas quas in prima sua productione sortitæ sunt, nisi ad id applicentur & determinentur à prima causa, conferente causis secundis supra primum esse ac virtutem initio productionis communicatam, com-

municatam, complementum aliquod quod S. D. q. 3. de potentia quæ est de creat. art. 7. ad 7. vocat vim intentionalem fluentem & incompletam, quæ liberis quoque causis ad agendum est necessaria, alioqui actio nostra posset esse cessãte influentia diuina, quod constat dici non posse. Item actio nostra in finem vltimum referretur ab alio quàm à Deo, quod æquè negandum est. Denique esse Deum, non modò virtutum ac facultatum nostrarum naturalium, sed etiam actionum inde prodeuntium causam, probat ibidem S. Thomas cap. 89. allegato Isaia cap. 26. qui Deum fatetur omnia opera nostra operari in nobis, ídque prædeterminando, vt à D. Thoma ibid. cap. 90. statui reiectis Nysseno & Damasceno contrasentientibus, affirmat autor num. 5. addens num. 6. tantùm abesse vt inde timendum sit libertati actuum nostrorum, & de violentiæ alicuius iniectione periclitemur, vt potiùs motus nostri tum demum sint liberrimi, cum nituntur solo Deo: cum autem à nobis prout nobis emanant, violentiam subeant maiorem vel minorem, prout magis minúsve nobis nituntur. Alibi quoque (hoc est 1. p. qu. 105. art. 4. *in corp.*) affirmat S. D. voluntatem à solo Deo moueri posse, & in ratione obiecti siue finis, quia solus est bonum vniuersale; & in ratione principij siue agentis, quia dedit homini volendi virtutem, eámque solus causat in homine.

XX. Ex his perspicuè haberi censet autor, iuxta S. Thomam, determinationem voluntatis creatæ quoad exercitium, esse à Deo. Quod clarè item vult haberi, ex eo quòd Deum præmouere causas secundas, eásque

complere vt actualiter agant, constans est S. Thomæ doctrina quæst.3.de potent.quæ est de creatione art.7. & lib.3.contra gent.cap.66.& in 2.d.37.quæst.1. artic. 2.ad 5. & quæst.2.artic.2.ad 2.& in compend. Theol. cap. 130. & 135. & 1. p. qu. 103. art. 8. & quæst. 105. art.5.& 1.2.qu.109.art.1. At ea præmotio & completio,est determinatio quoad exercitium. Et sanè cum causa secunda non sit agens primum & à se, necesse est non modò vt vim agendi, sed etiam vt ipsum suum agere à Deo accipiat, non per concursum simultaneum & concomitantem qui non tangit causam secundam, sed per cócursum quo detur aliquid ipsi caussæ secundæ. Quod autor c.18.n.2.non dubitat rationabile prorsus visum iri, si vana cupiditas dissoluendi modos propositos semoueatur, & ad ipsam per se veritatem attendatur.

Diuo Thomæ astipulatum esse hac in parte Scotum in 2. d. 37. *ferè tota*, & in 4.d.49. quæst.6.dub.1. affirmat autor, & probari ab illo ait, eo quòd alioqui eripienda esset Deo omniscientia & omnipotentia. Neque enim Deus actus nostros prænoscere posset,nisi ipsemet ad eos determinaret. Eos item producere non posset,quippe quos in seipso non haberet causaliter. Nam si eos in se haberet, determinationes voluntatum nostrarum in Deo essent, id est, determinaret Deus voluntates nostras ad exercitium.

Testimoniorum ex S. Thoma propositorum coacervatio, iure videri & dici potest crambe recocta. Tam densa enim S. Thomæ loca in hanc rem vbiuis

proſtant, adducta & diſcuſſa à quibuſuis huius materiæ tractatoribus, vt potuerit autor labori parcere, ijs cumulandis quorum alibi plena plauſtra, ſubiectis ad ſingula reſponſionibus exhibentur. Ne verò expendendis & librandis ſingulis moras nectam immenſas, illud præmoneo.

Primores Thomiſtæ, longè aliter accepere Diu. Thomam.

XXI. Legerat S. Thomam Dominicus Soto, inſignis planè Thomiſta & S. Doctoris perſtudioſus. Is tamen 3. Phyſ. qu. 1. art. 2. propoſit. 5. diſertè affirmat, in agente ſecundo cum agit, præter virtutem agendi, fruſtra fingi virtutem aliquam fluentem, recèns appictam cauſæ: refellítque Thomiſtas illos qui in igne calefaciente v. g. aliud imaginabantur præter ignem, & calorem quo calefacit. Subdit verò quàm iniuria D. Thomas in huiuſmodi placitum pertrahatur, corrogatione & emendicatione perſtudioſa obſcuriorum quorundam dictorum, qualem ab aduerſario inſtitutam vidimus. *Non ignoro,* inquit Soto, *Thomiſtas pleroſque perſcrutari autoritates D. Thomæ, quibus entitates iſtas multiplicent, nihil aliud profectò facientes, quàm grauiſſimum Philoſophum obſcurum atque adeò inuiſum reddere. Ego tamen certus ſum, S. Thomam non multiplicaſſe huiuſmodi relationes, aut entitates ad ſenſum iſtorum. Et quando contrarium in illo reperirem, aut exponerem, aut nihil crederem eius honori & autoritati obuiari, ſi in rebus his minimis, communem potiùs modum*

concipiendi amplecterer. Relationes intelligit, non categoricas quas certum est agenti accedere cum agit, sed transcendentales, quales cernuntur in quibusuis qualitatibus essentialiter ordinatis ad aliud; cuiusmodi esset virtus illa fluens si daretur: & aduersarius ipse lib. 1. cap. 25. num. 15. impressionem quam hîc inuehit, illis relationibus annumerat. Talem ergo quamcunque relationem fluentem, appingi causæ secundæ cum agit, negat Soto iuxta S. Thomam, disertéque addit, nullam planè formam addititiam, se habentem ad modum actus primi, imaginandam esse in causa secunda dum operatur.

Legerat S. Thomam Caietanus. Is tamen omnibus locis quæ ex autore corrogata iam olim sunt, ad astruẽdam diuinam illam impressionem in causam, ita accipi vult S. Doctorem, vt omnibus illis locis tantùm significauerit subordinationem causarum secundarum ad primam, & dependentiam qua causę secundæ pendent à prima in operando. Ita ille 1. p. qu. 14. art. 13. §. *nec sustinendus*, & qu. 19. art. 8. §. *ad primum*, vbi dicit *contrarium sensum*, (illum ipsum quem aduersarius S. Thomæ affingit,) *esse puerilem*.

Legerat S. Thomam Conradus. Is tamẽ 1. 2. qu. 79. art. 1. §. *nota inquam*, disertissimè tradit motionem Dei ad naturalia opera cooperantis, ratione subordinationis essentialis quam causa secunda habet ad primam, non esse motionem præuiam, sed duntaxat cooperatiuam: Et primam causam non ita mouere secundam, vt hæc in seipsa attingatur, & aliquid actione anterius recipiat à prima causa, sed tantùm mouere eam

cooperando, & eatenus causam secundam dici agere in virtute primæ. Contrarium verò sensum, (eum scilicet quem aduersarius tribuit Sancto Doctori,) & falsum esse ait & omnibus Philosophis, nominatimque Aristoteli repugnantem. Tribuit eum sensum Scoto, an rectè, infra dicam.

Legerat S. Thomam Capreolus, qui Diu. Thomæ anima audit. Is in 2. d. 28. qu. 1. art. 3. *ad 12. contra primam*, disertè tradit, quamuis ad actum supernaturalem Deus præmittat motiones gratiæ præuenientis, tamen ad actus naturales tantùm influere in effectum, & nihil in causam immittere.

Legerat denique S. Thomam Thomas Vvaldensis. Is lib. 1. doctr. cap. 28. num. 3. grauiter expostulat, contra quendam quem Diuo Thomæ imposuisse ait, quòd diceret, causam primam per suppositionem, antecedentem voluntatis creatæ determinationem, facere vt causa secunda operetur. Hanc *esse imposturam*, & Diu. Thomam *clarissimo ore* (verba sunt Vvaldensis,) contrarium tradere, contestatur hic autor.

Nihil pro aduersario, apud Diuum Thomam.

XXII. His præmissis, vno verbo expedio aceruum illum locorum quem ex S. Thoma congessit aduersarius; & ipsomet D. Thoma suimet ipsius interprete adhibito, dico, *idem esse causam secundam agere per virtutem primæ*, (atque adeò applicari ab ea ac præmoneri & compleri ad agendum immissione virtutis

fluentis,) *atque agere per virtutem ab ea participatam, & dependenter ab illa.* Ita ipſemet S. Thomas 3. contra gent.cap.70. Poteſt autem creatura, per ſuammet entitatem à Deo participatam, agere dependenter à Deo, etiamſi Deus nihil ei præimmittat. Nimirum ſufficit ad id, quòd cauſa ſecunda nequeat prodire in actum ſecundum abſque concurſu Dei ſimultaneo & concomitante, qui non cauſam attingat, vel aliquo ei intrinſecùs indito vegetet, quod ſuperfluum eſſet, cum ſit iam ſufficienter inſtructa, ſed effectum duntaxat attingat cooperando cauſæ ſecundæ, à qua effectus prodire non poſſet, niſi Deo cooperante & adiuuante. Hæc ad enodationem omnium in contrarium ex D. Thoma propoſitorum, abundè ſufficiunt.

Pro illis verò locis quæ ex S. Doctore ſunt corrogata ab autore, poſſum ex probatiſſimis & maximè excultis S. Doctoris lucubrationibus, ſtruices locorum congerere, quibus affirmat, voluntatem creatam à ſeipſa determinari ad exercitium actus ſui. Sic enim in 1.d.25. qu.1.art.2 ad 3. ait, Deum ita ſe habere ad liberum arbitrium creatum, vt ei vim actiuam qua pollet contulerit, & cum eo cooperetur, ſed ita tamen vt determinatio ad agendum ſit liberi arbitrij. Et quęſt. 3. de potent. artic. 7. ad 13. diſertè tradit, cauſam primam ita agere cum voluntate creata, *vt tamen determinatio actus relinquatur in poteſtate voluntatis.* Imò in 2. d.28. qu.1. art.1. ait, *hominem non fore liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret.* Et 1.2. qu 9. art.6. ait, hominem ſe determinare. & quæſt. 1 art. 2. ait, hominem mouere ſeipſum in finem, quia habet dominium ſuorum

rum actuum per liberum arbitrium. Hæc & alia huiusmodi, quæ apud D. Thomam passim sunt obuia, nullo modo cohærent cum voluntatis determinatione ad exercitium facta diuinitùs. Quomodo autem cohæreat cum tanta quantam autor hîc celebrat necessitate diuinæ motionis intentionaliter transeuntis in causis liberis, quod lib. 1. cap. 20. num. 4. eam arctat ad causas naturales, non sum sollicitior quàm de symphonia multorum autoris locorum se collidentium.

XXIII. Benè porrò habet, quod dum in eripiendum nobis S. Thomam, ardentiùs incumbit, Nyssenum sibi, (seu potius Nemesium, nam is est germanus operis de homine parens,) ac Damascenum aduersantes fateatur: quos astipulatores habere, sed Damascenum præsertim, peritissimus quisque magno redemptum velit. Neque verò S. Thomas ibi, vt aduersarius sibi fingit, *id quod illi reÿciunt, retinendum censet tanquam verum*; sed potius admittit quod verè ab illis constitutum fuerat, nempe nullam dari antecedentem prædeterminationem; quippe quæ libertatis creatæ vertibilitatem pessundaret: retenta tamen diuinæ prouidentiæ de actibus nostris determinatione libertati nostræ consentanea, cuiusmodi non esset ea qua prædeterminaremur quoad exercitium, etiamsi à Deo.

Iocari verò videtur aduersarius, cum ad præcauendam libertatis cladem ex ea determinatione extrinseca, affirmat non eum qui à Deo mouetur, sed eum qui mouetur à seipso, moueri violenter, eóque violentiùs

quo magis seipso nititur. Ad hanc enim insulsitatem condiendam, satis supérque esse potest, Aristotelica violenti definitio, omnibus ante aduersarium probata, quæ ad violentiam extrinsecum agens deposcit. Sed tanti est audire mysticum, vt vel si conuulsione & euersione primarum quarumuis notionum, decus magnificentissimi tituli emercari oporteat, audendum sit. Corollarium esto mysteriorum, quòd autor hoc loco, non modò hominem esse sibi extrinsecum, quippe violenter se mouentem, sed Deum esse eius *ipsummet ipsissimum*, grandiloqua sua mystici sermonis sublimitate pronunciat. SELAH.

Sed neque apud Scotum.

XXIV. Scotum eodem iure quo D. Thomam, id est nullo, pro voluntatis creatæ determinatione ad exercitium diuinitùs facta, proferri, docet locus ex eo quem ipsis Solis radiis scriptum dixeris. Ità habet in 4. d.1.quæst.1. *ferè in fine*, cum dixisset causam secundam non dici agere in virtute primæ, quod agendo aliquid ab illa recipiat, sed tantùm quia habet ordinem inferioris ad illam. Subdítque. *Ex his patet, quod causæ primæ in causam secundam non est influentia noua, quæ sit productio alicuius inhærentis in causa secunda: sed influentia ibi, est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectûm communem.* En Scoti germanam mentem, quoad præimmissionem in causam secundam, vt prædeterminetur à Deo quoad exercitium. Clarissimè item in 4. d. 43. qu. 3. *litera D.* agens de

influentia causæ primæ. *Influentia illa*, inquit, *non est aliquid absolutum receptum in causa secunda; quia tunc causa secunda per illud receptum posset agere sine causa prima, cuius influentiam recipit, quia iam habet in se totum illud propter quod indiget actione causæ primæ, quod inconueniens est Ergo influentia causæ superioris respectu inferioris, non est aliquid receptum in causa inferiori: vnde est tantummodò ordo eius in causando ad causam superiorem, continuè quantum est de se coagentem. Non erit ergo alia influentia, sicut nec alius ordo causæ superioris ad inferiorem.* Eadem explicatissime iterat Scotus in 2.d.1.qu.2.*litera E.*

Hæc Scotus, quem passim negare voluntatis prædeterminationem quoad exercitium à Deo factam, affirmat nuperus ex eius schola scriptor Cauellus disp. 3. de anima sect. 14.n.8. locis autem ab aduersario prolatis, illud vnum intendit, quod de D. Thoma diximus: nempe causam secundam essentialiter subordinari primæ, nec posse absque ea coëfficiente erumpere in actum secundum, quamuis non propterea vllam impressionem, actione vtrique causæ communi anteriorem, accipiat à prima causa. Ita Scotum exponit Tartaretus in 1.d.8.q.5. & in 4.d.1. qu.1. Bassolis ibid. *ad primum pro prima via*, & Lychetus dist. illa 8. quæst. 4. Imò ipse Scotus hoc planè modo se explicat, cum locis iam prolatis, tum egregiè in 2.dist 3.qu.8.*litera E.* verbis illis. *In causis ordinatis inferior non causat nisi in virtute superioris. Ista tamen virtus, siue assistentia, siue influentia, (quomodocunque nominetur,) non est impressio alicuius formæ, vel alicuius inhærentis in causa inferiori, sed tantùm est ordo siue actualis coniunctio talium causarum*

actiuarum, ex quibus sic coniunctis, & suis proprijs actiuitatibus præsuppositis coniunctioni, sequitur effectus communis ambarum causarum.

XXV. Porrò necessarium non esse ad Dei omniscientiam & omnipotentiam tuendam, admittere, eum aliquid causæ secundæ præimmittere, quo eam ad sui actus exercitium prædeterminet, quod autor profert tanquam à Scoto intortum in negantes eam prædeterminationem, nullo negotio dissoluitur. Deus enim tametsi volitione & operatione sua nostras voluntates non prædeterminet, est tamen omniscius, & nostros quoque liberos actus certissimè & infallibilissimè præscit: quia diuina de nostris actibus prænotio, alio primo fundamento nititur, quàm diuini cuiusuis decreti: nempe veritate ipsa actus futuri, quæ rata est, ac proinde diuinum intellectum infinitè perspicacem latere non potest. Quanquam non idcirco Deus notitiam suam mutuatur à creaturis, nec ab eis mouetur, sed ad eas purè terminatur. Neque item tollitur Deo omnipotentia in voluntatem nostram, si eam non prędeterminat. Satis enim ėst quòd posset eam prædeterminare si luberet, quamuis de facto id non præstet. Vnde planè in se habet, id est eminéter continet actus nostros, & ad eos procudendos potest voluntatem adigere, quamuis potestatem hanc summam, repagulis benignitatis in nos suæ coërcitam velit, ne nostram temeret libertatem. Atque ita concidit argumentum illud, quo ex negatione prædeterminationum, inferri censebatur negatio diuinæ omnipotentiæ. Exarmat hunc (vt vocat,) aduersariorum Achillem, Soto l. 1. de natur. & grat. cap. 16.

Rationum aduersarij inanitas, sigillatim monstrata.

XXVI. Sic contritis aduersarij argumentis ab autoritate, librandæ sunt rationes quibus determinationem causarum secundarum quoad exercitium fieri à Deo, probare conatur toto c. 19. tum quoad causas naturales, tum quoad morales & liberas, siue purè moraliter ac philosophicè operentur, siue supernaturaliter & Christianè. Exsugam quicquid singulis inerit boni succi.

Prima est. Nullum indiuiduum potest constituere aliud in simili specie, vt equus equum, homo hominem, nisi præmoueatur ab illa causa superiore quæ respicit totam speciem naturæ inferioris, quia constituere in aliquo ordine, illius est qui supra ordinem potestatem habet. Ergo similiter nullum agens particulare potest constituere quippiam in ratione entis nisi præmotum à Deo qui cuilibet esse supereminet.

Respondeo. Maior validè probanda fuit, cum de ea sit tota quæstio. Autor verò planè eneruem ac elumbem eius probationem adhibuit. Quamuis enim certum sit Deum habere potestatem supra omnem planè ordinem creatum, inde tamen non sequitur, Deum præmouere voluntatem creatam prædeterminando eam quoad sui actus exercitium.

XXVII. *Secunda ratio.* Ordini finium, agentium

quoque ordo respondet. Atqui Deus est finis summus & vltimus, qui solus potest debito modo nostram ad agendum indifferentiam determinare in ratione obiecti motiui. Ergo id quoque præstare debet in ratione agentis, physicè ac efficienter determinantis ad operandum.

Respondeo, cum quouis fine aliquod agens connecti, & eatenus ordinem agentium respondere ordini finium, ex physicis rudimentis supponitur. Sed idem esse agens & finem, gratis ab autore assumitur. Præterquàm quòd Deum esse agens respectu actuum quorum est finis, imò & respectu quorumcunque actuum, præcisè qua actus sunt, nemo negat: inde tamen non sequitur, Deum esse agens quod prædeterminet. Tandem Deum esse finem in quouis actu libero, ad quamcunque efficientem causam comparato, fictitium est. Tam ruinoso argumento, parieti planè inclinato ac maceriæ depulsæ, non est fortiùs incumbendum, iis quatiendis quæ de indifferentia actiua ad libertatis exercitium requisita, autor æquè verè ac inconstanter admiscet huic argumento.

XXVIII. *Tertia ratio*. Omnis causæ liberæ actio, vel est intentio finis, vel electio mediorum. Ergo omnis actus causæ secundæ liberæ, priùs à Deo est, quàm ab ipsa. Nam intentio quidem non est motus secundæ causæ, sed Dei in ea. Ad electionem autem non applicatur, nisi per intentionem tanquam per præmotionem. Ergo causa secunda libera, prædeterminatur vbiuis à prima quoad exercitium actus sui.

Respondeo. Intentionem finis esse à Deo, nósque ad eam non à nobis sed diuinitùs determinari, falsum est. Vnde corruit vniuersa argumentatio quæ falso illi principio inædificatur. Falsum item est, intentionem prædeterminare ad electionem, quamuis illa hanc inferat, si sit efficax & medium supponatur vnicum, quod non semper contingit quoties intentio ponitur.

XXIX. *Quarta ratio.* Actus supernaturales, (præsertim quos nulla præuia supernaturali forma exercemus, vt prima contritio, vel attritio,) sunt actus longè superantes facultatem creatam. Ergo oportet nos tanquam instrumenta, applicari ad eos per superiorem causam.

Respondeo. Simúsne instrumenta, an principales causæ respectu actuum supernaturalium liberorum, quos Deo excitante & coadiuuante elicimus, problema est: de quo videndus latè Suares tom. 1. 3. p. d.31. s. 6. ad 4. Mascar. disp. 1. parte 3. à num. 7. Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 13. *post solutionem secundi.* Ego rem physicè spectando, existimo concedendum, nos esse causas instrumentales. Moraliter tamen rem spectando, certum est nos eatenus esse causas principales cuiusuis actus liberi, etiamsi supernaturalis, quatenus exercitium talis actus, subiicitur dominio liberæ facultatis, quam Deus supra vim suam naturalem extollere paratus est, quoties ipsa edixerit, & in opus erumpere constituerit: quod est, esse causam actus moraliter principalem. Concesso ergo antecedente argumenti ab

aduersario propositi, nego consequentiam: quia aliter sustolli possumus ad operandum supra naturæ vires, quàm per applicationem ad modum instrumentorum inanimatorum. Reuera enim sustollimur vt instrumenta libera, in quorum potestate est, sequi vel abiicere motionem, & facere vt concausa sustollens ad actum coëfficiendum se accingat, vel operatione abstineat. Et ita optimè Capreolus in 2. d. 28. quæst. 1. artic. 3. *ad 12. contra primam.* Quod verò aduersarius supponit, instrumentum debere à causa principali prædeterminari ad agendum, falsum est; cum ne præmoueri quidem oporteat, aliquo in ipsum instrumentum immisso, quod sit virtus causæ principalis, vt rectè tradit Bassolis in 4. d. 1. quæst. 1. *ad 1. pro prima via.*

XXX. *Quinta ratio.* Omnem causam secundam necesse est à prima moueri. Sed motio illa nihil potest esse aliud, quam præmotio causæ secundæ immissa, eámque ad agendum determinans, vt non modò esse ac posse creaturæ, sed etiam operari, atque adeò quicquid ad eius perfectionem pertinet, Deo tanquam causæ adscribatur, & ipse quoque causæ secundæ effectus tribuatur causæ primæ; quod sanè necesse est ab omnibus scripturas religiosè tractantibus admitti, ne ipsam causam secundam operantem diffiteantur à Deo attingi, vnâque negent eam Deo subiici, & posse ab eo directè impediri, ac prohiberi ab agendo. Ergo omnis causa secunda prędeterminatur à Deo. Huius argumenti solam maiorem

iorem videri posse minus certam, censet autor. Itaque eam multipliciter communit. Inprimis verò expostulat, quòd ea (vt ait) receptissima maxima, à nobis miro modo vexetur: & quòd cum illam negare non possimus, quam scilicet vniuersa philosophia docet, sensúsque communis, ita eam contortis & violentis interpretationibus debilitemus & obscuremus, vt penè negare velle videamur.

Respondeo. Maiorem illam negarunt Argentina in 2. d 25. quæst. vnica artic. 1. *ad 1. Gotofredi.* Ocham in Centilo. propos 1. Bellarm. lib. 3. de grat. & lib. arbit. cap. 11. ad 1. Pennotus lib. 1. propugn. cap. 5. *in fine*, & alij. Rectè tamen intellecta, verissima est. Prosequor legitimum eius sensum in Natur. Theolog. à num. 49. Itaque in maiore non hæreo. Sed minor, quam autor dimisit inermem & immunitam, periclitatur confodi. Nego igitur, causam secundam si mouetur à prima ad operandum, præmoueri immissione cuiuscunque actus primi, distincti ab entitate causæ secundæ, eámque attingentis non effectum. Sed eatenus tantùm causa secunda mouetur per primam, quatenus interueniente cooperatione causæ primæ, exit in actum in quem alioqui exire non posset. *Aliud non est*, inquit Soto lib. 1. de natur. & grat. cap. 16. *Deum me mouere, quàm mecum concurrere ad eliciendum liberum actum.* Scotus item in 4. d. 13. quæst. 2. artic. 3. *litera* CC. expendens quod aliquos affirmasse refert, instrumentum substantiæ, moueri immediatè à substantia, præimmisso aliquo vegetante ac sustollente; *Hæc*, inquit, *non valent secundum ea quæ mihi videntur*

vera de ordine causarum: quia non credo semper causam secundam, quæ vocatur quandoque instrumentum, recipere motionem specialem à causa prima, sed tantùm habere subordinationem aliquam formæ suæ actiuæ, ad formam actiuam alterius: per quam subordinationem, causa priori exeunte in actum in suo ordine causandi, secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi, & sic secunda dicitur mouens motum, non quia recipiat motionem à prima per quam moueat, sed quia in motione sua dependet ab alia priùs naturaliter actu mouente. Quod ait Scotus, non semper causam primam mouere secundam, non eò pertinet, vt significetur quandoque causam secundam ex vi solius essentialis & generalis subordinationis ad primam causam, præmoueri ab ea. Nam si ex hoc capite pręmotio aliquãdo exigeretur, semper & vbique interuenire deberet, cum ea essentialis subordinatio, nusquam & nunquam deficiat. Respexit ergo Scotus, ad præuentiones gratiæ, quæ ad actus supernaturales præimmittuntur, vt naturalem potentiam fœcundent, quamuis eam non prædeterminent. Sanctus item Bonauent. in 2. d. 37. quæst. 1. *ad vltimum*, cum obiectum fuisset, causam primam mouere secundam, sic respondet. *Ad illud quod obijcitur; quod Deus est principale mouens in tali actione, dicendum, quod verum est: attamen non sequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem. Excitatio enim dicit aliquem effectum gratiæ præuenientem ipsam voluntatem. Hæc autem requiritur in bonis meritoriis. In alijs verò operibus indifferentibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio diuinæ virtutis, quæ*

existens in creatura potentialiter, essentialiter, & praesentialiter, sicut conseruat eam in essendo sic adiuuat in operando. Propter quod conceditur ibi esse cooperatio, non praeuentio, vel subsecutio. Denique Eustachius à S. Paulo 2. p. Ethic. tract. 2. disp. 1. quæst. 2. & 3. apertissimè idem tradit; quàm consentaneè ad elogium quod autoris doctrinæ panxit, non moror.

XXXI. Videt ergo Lector, non nos modò, sed & Sotum, & Scotum, & Bonauenturam, (alios quos adducere licuisset, sciens prætereo;) patere illi autoris criminationi, qua querebatur vexari miro modo propositionem illam, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur,* eamque contortionem & violentiam interpretandi quam nobis affingit, grauissimis quoque Doctoribus communem esse.

Quod verò ad rem ipsam attinet, admitto omnem causam secundam, etiam vt causam, moueri à Deo, quatenus absque Deo, non exiret à potentia causandi ad actum, quod est transire à non esse causæ, ad esse causæ, atque adeò moueri. Et hoc item modo, Deus dat causæ secundæ effectum quem producit; non ipsam causam secundam quasi grauidando, vt fœtum intra eam formaliter conclusum extrahat, sed eam iam in suo ordine potentem ad agendum coadiuuando, vt ex commercio & consociatione vtriusque causæ, actio fiat, & effectus è causæ visceribus quibus virtualiter continebatur, erumpat. Nam si Deus iuxta aduersarium, dat causæ secundæ effectum eius, quia cum agendum est, causam complet vt possit agere; æquè dici poterit dare effectum causæ secundæ, si

eam quantum attinet ad actum primum plenè instructam atque completam ab initio, adiungens sese cooperarium, reddat fœcundam & poté rem agere, quod alioqui ei deesset. Quod si aduersarius, scripturas illas quibus Deus dicitur operari in nobis opera nostra, eaque dare, & præparare, ac nos in illis creare, satis religiosè à se tractari arbitratur, dicendo dari & fieri à Deo opera, quia datur ad ea vis transiens, præmouens ad eorum exercitium, etiam si potentia vi diuina non reddatur quasi fœta opere formaliter in eam immisso: patiatur me quoque religiosum tractatorem audire, dicendo causas secundas accipere à Deo effectus suos, ratione diuinæ cooperationis, planè ad eos requisitæ; quippe absque qua, causæ secundæ, emortuæ omnino & obstipæ iacerent. Sunt enim entia potentialia, quæ & in essendo, & in agendo, essentialiter subordinantur primæ causæ. Vnde Deus cooperans, & dans quod exigebant præter entitatem & vim agendi in prima productione collatam, dicitur dare ea opera. Quod circa operationes supernaturales, quæ solent in scripturis appellari *dona Dei*, tactum est à S. Chrysostomo hom. 32. in 1. ad Cor. ad illud, *subsidia, gubernationes*, & optimè à Theodoreto Philip. 1. *in ipso fine*. Monstrant enim hi Patres, eo loquendi modo nihil offici libertatis iuribus, neque determinationem actus nostri liberi ad Deum referri: sed significari tantùm, necessitatem suppeditationis auxiliorum supernaturalium, & cooperationis indebitæ. Idem ergo proportione seruata statuendum est de actibus liberis naturalibus, qui eatenus dici possunt

dari causæ à Deo, quia Deus ad eos cooperatur, vt exigit potentialitas causæ secundæ.

Ex quo soluitur argumentum quod aduersarius toties iterat, de subducta è numero entium potentialium & Deo subditorum, voluntate creata, si à Deo non prædeterminatur ad exercitium. Quod argumentum, ex Aluare disp. 91. de aux. num. 13. eo allegato & exscripto, profert contra Bellarminum Amesius Caluinista tomo 4. Bellarmini eneruati lib. 4. cap. 1. num. 5. addens, *vel ex hac vna sententia satis patere, liberum arbitrium, esse IDOLVM IESVITARVM*; quippe quod, negata præmotione prædeterminante, negent esse potētiale, & subiectum Deo. Verùm Iesuitis, tela Caluinistarum, sua non modò fama ac sententiis, sed etiam corporibus excipere, nec moueri, sed porrò pergere, iis à furore quo laborant persanandis, quotidianum est. Quàm verò autori sit gloriosum, hominem de Caluini ganea, sententiæ de diuinitùs prædeterminata ad exercitium voluntate creata, suffragatorem habere, viderit ipse.

XXXII. Habetur præterea ex dictis, quomodò causæ secundæ possint à Deo actione prohiberi immediatè & directè, veréque Deo subiiciantur, etiam vt causæ sunt; quod autor putat nobis esse inexplicabile. At quid facilius, quàm dicere Deum directè & immediatè causas secundas actione prohibere posse, quia potest illis cooperationem suam negare, salua earum entitate & virtute actiua, quæ sine Dei cooperatione nequit in actum prorumpere? Vnde eo ipso quod Deus negat causæ secundæ societatem suam ad

cooperandum, ſubducitur id ſine quo cauſæ ſecundæ coſeriandum eſt; ac proinde vis eius veluti marcet, cohibetúrque directè & immediatè ne agat.

Sexta ratio proferri poteſt, quæ ab autore lib. 1. cap. 26. num. 9. & 10. latè proponitur: Quia nimirum niſi admittamus voluntatem creatam determinari à Deo ad exercitium, adigemur fateri, inexplicabile eſſe quomodò actus cauſæ ſecundæ incipiat, & vnde determinatio ad illum oriatur. Non enim poteſt oriri à cauſa ſecunda, quia hoc eſſet ponere illam primum principium actus ſui. Præterquam quod cauſa ſecunda, in illo priori in quo ſe ante poſitam diuinam determinationem diceretur determinare; non habet id ſine quo in actum prodire nequit: nempe diuinum concurſum, qui tunc à diuina voluntate non exhibetur, niſi voluntatem cui eum impertit ad exercitium actus determinet. Nam à principio indeterminato, qua tali, nulla cooperatio oritur. Eſt porrò obiectum aliquod aſſignandum diuini illius decreti abſoluti & efficacis, quo Deus ſtatuit cum cauſa ſecunda concurrere ad eius quemlibet indiuiduum actum. Non poteſt autem aliud decreti illius obiectum aſſignari, quàm actus ipſe indiuiduus exercẽdus; quod ipſum eſt, voluntatem creatam ad talem actum diuinitùs prædeterminari quoad exercitium. Ad hæc, negata voluntatis creatæ determinatione ad exercitium facta diuinitùs, fatẽdum eſt, cauſam primam determinari à ſecunda: quod eſt dicere, inferiorem prę̨eſſe, ſuperiorem ſubeſſe. Nec enim niſi verba & voces ſunt, quæ apud Suarem ha-

bentur locis ab autore allegatis num 9. quibus dicitur, concursum causæ primæ ex se indifferentem, modificari & determinari quasi materialiter, ex cooperatione voluntatis liberæ; eo quòd Deus expectet influxum voluntatis creatæ liberè agentis, vt ei suam cooperationem adiungat. Atenim cum causa secunda, sit causa verè efficiens, non potest dici determinare nisi efficienter, atque adeò per modum superioris, quod nefas est arrogare creaturæ, respectu Dei cum ipsa cooperantis. Tandem negata Deo creatæ voluntatis determinatione ad exercitium, potiúsque admissa ea materiali determinatione diuini concursus per creaturam, sequitur quod retulisse sufficit vt absurdum appareat; nempe Deum cum videt causam secundam sibi subiectam in malum labi, lapsum eius sequi, & influxu suo adiuuare, trahíque ab ea ad societatem flagitij quod designat.

Modus exhibitionis diuini concursus, obiter tactus.

XXXIII. Hæc ratio nullo negotio dissoluetur si veram sententiam de modo quo Deus nobis concursum suum exhibet, proposuero: quod plenius præstiti in physicis, cum de coniugatione causarum subordinatarum ad coëfficiendum eundem actum sermo esset: & in Natur. Theol. d. 8. à num. 348. & in Moral. dist. 4. à numer. 334. Hic obiter duntaxat id attingam.

Aio igitur, Deum per scientiam futurorum condi-

tionatorum præscium operationis à voluntate proditurae in talibus circunstantiis, si ipsa per se solam absque Deo posset agere: vel quod eodem recidit, præscium operationis à voluntate in talibus circunstantiis proditurae, si non stet per ipsum, velitque cum voluntate cooperari; cum primùm circunstantias illas positas videt, applicare se ad eliciendum cum ea actum, in quem ipsa sic ex se propendens agnoscitur. Priusquam enim voluntas agat, obuersatur Deo in his illísve conditionibus ac circunstantiis, quibus si posset, ferretur ex se ad operandum: obuersatur inquam vt exigens cooperationem diuinam; quam Deus quia prima causa est, nec vult deficere secundis causis in necessariis, illico exhibet. Exigentia porrò illa diuini concursus in creatura constituta in talibus circunstantiis, non est actus aliquis creaturæ reipsa exercitus. Nam ad eum æquè exigeretur diuinus concursus, manerétque explicandum, quomodò ad liberum illum actum exigendi concursum, diuina se manus applicuisset; an scilicet ob interpositum alium vlteriorem actum liberum exigendi; quo pacto daretur progressus in infinitum; vel ob illum duntaxat actú, obiicientem se Deo, quod liquet dici non posse, quia par esset ratio de primo actu, ob quem actus exigendi fingeretur. Est igitur exigentia prædicta nihil aliud, quàm natura & genius voluntatis liberæ, è qua in talibus circunstantijs præuidetur proditura operatio, si voluntas posset agere se sola, siue si Deus velit concurrere. Tunc enim Deus non ex se, & suoptè nutu, sed vt satisfaciat exigentiæ illi agentis creati, applicat

se ad

se ad cooperandum, sicque ex vtriusque causæ consociatione emergit actio.

XXXIV. Hæc est breuiter mea sententia, de modo quo Deus concursum suum exhibet causis secundis liberis, fusiùs illustrata & confirmata locis prædictis. Facile verò est, ex his euertere sextam aduersarij rationem vltimò propositam. Dico enim determinationem ad exercitium actus liberi, oriri à causa secunda, quæ eatenus dici potest primum principium, quatenus nulla potest assignari alia causa, cur hic actus exerceatur; quod maximè patet ex actu peccati. Quæ enim alia causa anterior voluntate, assignari queat, cur quis volens blasphemet aut mentiatur? Omnia verò quæ ad cudendam actionem cum voluntate interueniunt, non inuehunt actionem, nisi ad ipsius voluntatis nutum. Non solemus tamen absque explicatione conueniente, nominare voluntatem, primum actus sui principium, ne videamur eam statuere independentem, & sibi sufficientem ad esse & ad agere. Sed non erit ea denominatio refugienda, si tantùm ferat, voluntatem à seipsa determinari. Quam ob causam Valdens. lib. 1. doctr. cap. 24. num. 1. ait esse antiquæ Ecclesiæ doctrinam, quòd voluntas sit *origo actus mali*, sit verò *principium originale & iurigenium actus boni, præueniente eum gratia Dei in ratione motiui repudiabilis.*

Et diuinus quidem concursus, priusquàm voluntas se ad agendum determinet, non est actualis, sed tantùm in præparatione. Fit autem actualis, id est actu exhibetur, cum creatura agnoscitur operabunda &

gestiens se determinare formaliter, ita vt si se sola posset agere, excuderet tunc actum suum; quod Deo innotescit per scientiam mediam. Illa quippe determinatio creata quæ sub conditione præuidetur, & concursu reipsa exhibito non eget quia non est actualis; excitat Deum, & suo modo determinat (vt disertè loquitur Corduba lib. 1. quæstionaris quæst. 55. dub. 8 & 10) ad exhibendum concursum, quem Deus ad voluntatis exigentiam impendere decreuerat. Dico hinc determinari Deum suo modo; id est obiectiuè & materialiter, vt Suares loquebatur: quia quamuis sit actio & effectio præuisa sub conditione quòd Deus velit ad eam actu exercendam cooperari, tamen nondum est actio exercita, nec habet esse absolutum in rerum natura: nec ad modum productionis & impressionis cuiuspiam, (quæ in Deum cadere non potest,) sed per modum obiecti mouet Deum, vt velit creatæ voluntati adesse cooperarius, iuxta decretum à se latum: quod è conditionato transit in absolutum & efficacem, cum primùm conditio illa ponitur ex parte voluntatis creatæ. Eius verò decreti iam absoluti & efficacis obiectum, est ipse actualis concursus Dei. Nam is est in quem decretum tendit, & qui eo decreto omnipotentiam applicante, tunc expromitur.

XXXV. Est verò ex his perspicuum, voluntatem creatam non ita determinare Deum ad cooperandum, vt idcirco dicere liceat, eam præesse Deo præstolanti nutum illius, nec priùs cooperanti, quàm ipsa modo prædicto significet placere sibi operari. Ea igitur Dei per creaturam determinatio, talis tantùm est,

qualem eam esse voluit diuina benignitas omnia cum reuerentia disponens. Cum enim posset Deus nos vel renitentes ad operationem compellere, & abripere ad coëfficiendum, maluit, (quæ eius bonitas fuit,) nos nobis ipsis permittere, & præstolari determinationem nostram, nec priùs se ad cooperandum accingere, quàm nobis visum sit operari: ne præoperator, non cooperator audiret, & anteuertendo voluntatis nostræ nutum, actionis sibi totum meritum ac demeritum, nobis exclusis vendicaret. Posito autem eo concurrendi modo quem præfixit, & hactenus expositus est, voluntas diuinitus præuenta, & fœcundata seminio cogitationis & affectus congruentis, cum venitur ad excudendum actu consensum liberum bonum, erumpit in opus coadiuuante Deo: quod ad laudem operis ac meritum, voluntati quantum ei debetur adscribendum, satis superque est. Cum autem agitur de excudendo consensu libero moraliter malo, Deus ne desit muneri primæ causæ, & irritum faciat pactum quod iniit cum causis secundis, exhibet voluntati concursum ad actum substratum malitiæ, sequens hac in parte creaturam, & tractus ab ea diuinum sibi influxum rapiente, vt S. Anselmus scitè dixit lib. de casu Diabol. cap. vltimo. Quod non est Deum in societatem flagitij pertrahere, nec est peccare cum creatura: sed tantùm est, facere vt creatura abutens dono Dei, & vitio suo præceps acta, possit peccare: in quo nulla inhonestas cernitur, sed summa nitela, atque potentia.

Preces aduersarij, pro Domino Deo.

XXXVI. Priusquam manum de tabula tollamus, exhibendum est, qua ratione aduersarius, nostram in sententia obfirmationem miseratus, quos exhausta planè pharetra argumentis emolliri non posse vidit, flectere alia ratione tentarit l.1.c.18.à n.7. Precibus itaque armatus, supplex rogat, vt attendamus nos tribuendò homini determinationem suam ad exercitium, de Deo loqui, non vt infinitam maiestatem addecet, sed perinde ac si de homine finitæ virtutis ac limitatæ sermo esset. Precatur, vt attendamus reddere nos Deum in sua scientia & potentia à creatura dependentem, & qui opus habeat consensu voluntatis humanæ, saltem sub conditione futuro: qui consensus à nobis statuitur independens à Deo; & tamen à Deo præsupponatur oportet, si aliquid per gratiam fœliciter & cum effectu sit acturus; quæ est manifesta deiectio diuinæ omnipotentiæ; præsertim quia vt autor quoque vrget lib. 1. cap. 30. num. 4. hoc pacto Deus non dat creaturæ suum velle vt autor & Dominus, sed tantùm suadet & hortatur vt amicus; nec dat nisi piam cogitationem & affectionem, cum qua homo est indifferens ad agendum & non agendum: quam indifferentiam tollit, si agat vt Dominus, & dando ipsum velle, determinet voluntatem.

Instat insuper autor, precando vt attendamus, hominem quidem vt ad finem aliquem quærendum se prudenter obfirmet, debere priùs de mediis quibus

ad finem perueniat apud se cogitare. Deum tamen qui est ipse finis creaturarum, non egere mediis quibus suæ voluntati exequendæ propior fiat. Negátque posse probabilem rationem excogitari, ob quam Deus scrutari aliquid in creatura debeat, tanquam sibi necessarium vt eam ad se adducat.

Tandem precatur enixissimè, vt consideremus fieri posse iuxta nostram hanc sententiam, vt aliqui sint quos Deus nequeat conuertere, cum fieri possit vt nullo vnquam tempore sint dispositi ad vllam gratiam. Et tamen irreligiosum planè sit, arbitrari non posse Deum quocunque momento creaturam suam flectere quò voluerit, & quidem illæsa eius libertate, quod ipsum erat tertium caput difficultatúm initio propositum, contra hanc scientiam.

Repelluntur.

XXXVII. Has preces pro Domino Deo ab autore fusas, exaudire non est animus. Sunt enim planè irrationabiles, & Deo non necessariæ. Nos de Deo vt de homine, non cogitamus, aut loquimur. Hominem quippe adigeremus ad explorandam alienam voluntatem, & dispositionem congruam ad persuadendum, quia non habet alienæ voluntatis habenas, nec posset etiam si vellet, aliter flectere alterum hominem. At Deum id tantùm seruare dicimus, quia benignus & misericors est. Subest enim ei si voluerit posse. Nec vlla esset facultas nostra, quæ Dei absolutè volentis vim infringeret, molimináve retarda-

ret. Absit verò vt scientiam Dei & potentiam statuamus à creatura dependentes; sed scientiam quidem ad obiectum suum, homini sub conditione inextiturum terminari agnoscimus, quæ non est Dei dependentia, sed tendentia: potentiam autem dicimus à Deo non exeri, nisi ad nutum voluntatis humanæ, & præuiso conditionaliter eius assensu: non quia Deus non posset aliter eam expromere, sed quia infinitæ eius bonitati placet, sic eam attemperare: quod propriè loquendo non est dependere, sed benignè condescendere causis secundis, vt earum libertas perstet intemerata. Et ille quidem consensus hypotheticus, in tali statu est à Deo independens, non caret tamen ordine ad Deum, tanquam ad causam eius cum voluntate, si ponatur conditio, & contingat eum excudi: quam duntaxat dependentiam ad Deum, habent quæ sunt possibilia, quamdiu in statu possibilitatis delitescunt. Status autem futurorum sub hypothesi, quamdiu conditio defuit, non transcendit statum entium merè possibilium. Vtraque enim sunt merè non actualia.

XXXVIII. Iam non egere Deum prospectione & aptatione mediorum creatorum, vt ad finem rebus à se conditis præfixum attingat, parùm consultè ac consideratè dicitur; imò contra diuinam prudentiam ac sapientiam. Sed eo maximè ex capite celebrandus est Deus, quòd præfixo operibus suis fine aliquo, tam idonea tamque accommodata media prouideat, quibus sua de rebus illis consilia exequatur: ídque notare dulcissimum erit sanctis in altera

vita, cum intuebuntur cor Dei, & semitas per quas ipsos deduxerit scrutabuntur, vt S. Bernardus egregiè considerauit lib. 5. de consider. c 4. Nec hoc est Deum per scandulas creaturarum propiorem fieri voluntati suæ exequendæ; sed est, Deum creaturas suauiter prudentérque disponere, ijs probè perspectis quæ ad causæ secundæ certam sed non extortam pellectionem sunt accommodata: ad quod scrutandam esse creaturæ dispositionem, posito quòd Deus saluam esse velit libertatem illius, & dictum superiùs sæpè est, & illustrissimè à D. Augustino traditum lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. atque adeò nimium quantum sibi permisit autor, cum eam sententiam probabili quacunque ratione destitutam pronunciauit: In eo item reprehendendus, quod giganteæ audaciæ insimulauit hanc sententiam, statuens illam aduersus Dei omnipotentiam assurgere; cum tamen diuina potentia in suaui cordium plerunque indomabilium subactione, maximè splendeat, suadendo eis, & eatenus dando velle, à quo sine vitalis huius saporis immissione vt Ennodius pulchrè ait, abhorruissent supra modum: quod est eis dominari ratione ineffabili, & ad inescandum amorem exquisitè accommodata.

XXXIX. Ad extremum, non est timendum, ne Deus quacunque hora & momento possit peccatores conuertere, quantumlibet induratos: cum perfacile sit Deo, in quantocunque rigore peccatoris, ac in ipso etiam delicti flagrantis æstu, immittere deprompram è thesauris suis piam cogitationem quæ illi sapiat. Immeritò ergo timebat aduersarius, ne aliquis

inueniatur ita obtorto voluntatis genio, vt nulla ei aptari queat vocatio, ídque latè negat Diu. Augustinus quæst. illa 2. tradens in diuinæ sapientiæ thesauris latere infinitos modos quibus voluntatis quantauis obfirmatio molliri possit: & hanc ipsam plerunque esse peccati pœnam, quòd non immittatur illa vocatio quæ cordis duritiam molliret. Ecclesiasticus quoque cap 1. vt ibi optimè expendit Palacius, hanc infinitatem modorum quibus Deus appositè cordibus illabitur, expressit verbis illis. *Astutias illius quis cognouit? Disciplina sapientiæ cui reuelata est? multiplicationem ingressus eius, quis intellexit?* Ostendunt hoc subitæ illæ hominum in peccati profundo locatorum extractiones, de quibus nos plenè in opere de bono latrone cap. 4. Quid quod tametsi nulla per impossibile fingeretur latere in thesauris Dei vocatio, apta ad peccatoris alicuius conuersionem, ob dissonantiam piæ cuiusuis cogitationis cum complexione & dispositionibus ex parte peccatoris se tenentibus, facile tamen foret Deo eas dispositiones & eam complexionem, per seipsum, aut per Angelos ita immutare, independenter ab hominis assensu, vt redderetur aptus qui cogitatione aliqua moueretur, & eam haberet sibi contemperatam & congruentem? A decreto namque antecedente, de ea temperiei vel dispositionis non liberæ immutatione, nullum immineret libertati creatæ periculum: sicut immineret à decreto antecedente de ipso actu libero, quod proinde repudiandum est, quamuis decretum antecedens de illa temperiei ac dispositionis immutatione ad congruitatem

cum

cum aliqua cogitatione cauſandam, admittendum eſſet ſi res ferret.

Preces viciſsim aduerſario oblatæ, pro libertate humana & veritate.

XL. Apparet iure me aures occluſiſſe ad preces aduerſarij, quem viciſſim in hac meta enixè precor, per quicquid ſacrum aut charum habet, conſideret etiam atque etiam, ne dum ſuperuacuo erga diuinam potentiam obſequio defungitur, in benignitatem eius & condeſcenſionem erga nos, iniurius fiat. Attendat obſecro, nec perfunctoriè, quanti apud Deum ſit humana libertas, quam tanta maieſtas neque honoris ſui aut gloriæ indemnitate temerari patitur, retributurus in tempore cum acceperit tempus: eamque proinde miſellus homuncio ſpecie honorandi Deum, & robuſtiſſimam eius manum prædicandi, ne conuellat, quod Maneti, Luthero, Caluino, aliiſque Tartari emiſſariis malè ceſſit. Attendat denique per Chriſti manſuetudinem atque modeſtiam ab Apoſtolo interpellatam, non in igne, neque in ſpiritu vehementi, aut commotione eſſe Dominum, ſed in ſibilo auræ tenuis. Itaque ſuaues vias quas init Deus qui amat animas, depreciare abſtineat: præſertim cum quæcunque hoc loco ab autore aduerſus eas ſunt prolata præ ranciditate propè marceant; ſintque à pleriſque ante annos complures propoſita, ab aliis verò ita efficaciter reiecta, vt mirum ſit, crambem toties recoctam, & vappam iam toties relatam, nouo iſti architriclino di-

gnam videri potuisse, quæ in mensam suam nouellam inferretur.

Noua libertas, ad difficultatem propositam planè inutilis.

Monstratum igitur sufficienter est, nihil ab aduersario proferri, quo vel in speciem euincatur, voluntatem creatam à Deo cooperante determinari ad sui actus exercitium. Ex quo tandem sequitur quod intendimus, nempe vt diuina voluntatis creatæ ad exercitium determinatio rata sit, nihil esse necesse, nouam libertatis notionem confingere, cum qua determinatio illa cohæreat; quæ cum vulgari & antiqua libertatis descriptione per indifferentiam actiuam, inconciliabiliter dissidet.

CAPVT IV.

Acceßio ad caput præcedens; siue doctrina proximè tradita de modo quo diuinus concursus exhibetur, defensio; aduersus recentes impugnationes; ipsiúsque diuini nobiscum concursus, contra nouam Theologiam stabilitio.

I. VM bona venia Autoris nouæ libertatis, interseram hoc loco defensionem doctrinæ ad calcem præcedentis capitis traditæ, aduersus impugnationes Sequani cuiusdã Theologi, non minùs religione ac pietate, quàm doctrina & eruditione clari, qui post hæc nostra ad prelum seposita, dum per quadrimestre ictum fluuij ægrè eluctantur, renunciatus est, doctrinam illam nostrã omni studio quatere; eóque non sine fauentia & plausu aliquorum deuenire, vt cum hoc placito nostro, receptissimam de diuini nobiscum concursus necessitate doctrinam quoad actus liberos excisam velit Operæpretium ergo est id excutere, ne quod Prosper ad Augustinum dixit, *saluberrimum ipsis videatur, quod nullius penè contradictione reprehenditur.* Discussione autem noui huius placiti, vel potiùs confirmatione doctrinæ proximè datæ interposita, regrediar ad institutum, & cum autore nouæ libertatis pergam agere;

non dubius quin hæc illi parenthesis pro suo in diuinam nobiscum beneficentiam studio, sit probanda. Quanquam non tam parenthesis aut parergon, quàm continuata disputationis series videri debet, quod ad doctrinæ propositæ firmitatem, & retundenda tela in eam tametsi ab alio intorta, pertinet.

Noua sententia libertati consulens excluso concursu Dei, cur fabricata.

Quæ igitur à me hactenus tradita sunt de modo, quo Deus nobis concursũ suũ exhibet; nec illa tantùm, sed & omnes hactenus à variis propositas rationes diuinum concursum nobis exhibendi, æquè impugnat Sequanus Theologus, & quæcunque tandem ex illis ineatur, impossibile putat, exponere quid videat Deus, cur nunc, & non ante, vel post, adiungat se nobis cooperatorem, exhibeatque concursum suũ. Omnes porrò illi modi quibus hactenus expositum est, quando & quomodo Deus concursum suum nobis adiungat; vel sunt eorum quibus physica voluntatis prædeterminatio placet, vel eorum qui reiecta physica prædeterminatione dicunt Deum concurrere nobiscum concursu tantùm simultaneo & identificato. Priorem modum, Theologus iste pro comperto habet exscindere libertatem. Itaque non vltra in eo immoratur. Posteriorem, obseruat statui multiplicem. Primò enim aliqui dicunt, Deum vt concursum suum nobis exhibeat, spectare quid factura esset voluntas si se sola posset agere. Quod aliter dicitur,

Deum cooperari nobiscum, quando conditionaliter videt, actionem ex voluntate erupturam si ab ea sola posset erumpere. Secundò alij dicunt, Deum spectare determinationem voluntatis secuturam, si velit ipse concurrere, nec stet per ipsum. Alij tertiò, aiunt Deum spectare virtualem voluntatis determinationem, eáque visa concursum suum adiungere. Addi posset quartus modus quo Deus diceretur spectare formalem determinationem voluntatis. Nullus horum dicendi modorum, Sequano Theologo satisfacit. Nam primus inuehit notitiam impossibilem, & Deo indignam ac libertatis humanæ, diuinæque sanctitatis euersiuam, quod probat variis rationibus quas distinctè infra proponam. Secundus verò modus, apertè recidit in primum, quantumuis videatur ab eo differre quia aliis verbis concipitur. Tertius modus, supponit dari determinationem virtualem, huic Doctori visam intolerabilem. Quartus manifestè supponit, diuinum concursum esse priusquam sit. Supponit enim vt detur concursus, spectari à Deo actionem, quæ tamen esse nequit absque concursu diuino.

II. Re ergo ad hunc statum deducta, eò deuenit idem Theologus, vt dicat, non posse suppetere viam vllam, qua explicemus quid spectet Deus, & à quo obiectiuè determinetur siue excitetur, vt tunc, non ante vel postea, concursum suum nobis adiungat. Cum tamen, si eum reuera adiungit, dubitare non liceat, aliquid ab eo spectari, ne temerè & cœco modo cooperetur. Omni autem tali via exclusa, affirmat

ipse, Deum non concurrere nobiscum ad actus liberos. Quod inprimis negat esse contra fidem. Ita enim sensit Durandus qui idcirco non audiuit hæreticus. Ita etiam sensit Aureolus, qui & Cardinalis fuit, & dedicauit suum opus Clementi Pontifici Maximo, quem (inquit) constat nequaquam fuisse passurum editionem operis, erronea vel temeraria doctrina fœti. Æquè poterat adducere pro eo placito Scotellum in 2. d. 37. qu. 1. conclus. 1 iuncta dist. 34. qu. vnica, in 4. modo dicendi, & Pelbartum Rosario 2. V. *Malum*. §. 7. Nam quamuis non prorsus expressè, tamen satis apertè suffragantur Aureolo. Post Aureolum, Pomponatius in opere de fato, sæpè tradit, negandum esse Dei concursum, tanquam libertati nostræ aduersantem, referente Sirenio 8. de fato cap. 21. Ante Aureolum verò Præpositiuus, quem S. Bonauentura ait fuisse *magnum Clericum*, disertè idem censuit quoad actum malum, vt referrent Ægidius Romanus latè in 2. d. 37. quæst. 1. art. 3. & Argentina eadem d. 37. qu. vnica artic. 3. Ea porrò distinctione, Magister sententiam illam concursum Dei ad prauos actus inficiantem, damnare non audet: & ibidem S. Bonauentura testatur, eam fuisse multorum antiquorum: præter eos qui ita illam non sequuntur, vt tamen pronuncient esse probabilem, inter quos est Altissiodorensis lib. 2. Summæ tract. 27. c. 3. cui Gregorium Ariminensem adiungit Vasques 1. 2. d. 129 c. 2. Quid quod D. Augustinus lib. 12. Confess. c. 11. astipulatus eidem sententiæ videtur? Fauet etiam apertissimè Petrus Hurtado de Mendoça disp. 10. phys. à §. 35.

latè negans, eam ſententiam Scripturæ aut Patribus repugnare, vllóve ineluctabili argumento conuelli.

III. Addit idem Sequanus Theologus, non modò non eſſe contra fidem negare Deo concurſum ad actus noſtros liberos, ſed etiam eſſe id neceſſariò affirmandum niſi velimus adigi ad agnoſcendum Deum peccati autorem. Impoſſibile enim cenſet Deum à peccati labe eximere ſi immediatè concurrat nobiſcum ad actum intrinſecè malum; v.g. ad actum mendacij: Quia cum tota ratio cur homo peccet, ſit, quia liberè ponit entitatem illam ex qua liberè poſita neceſſariò reſultat malitia; profectò ſi Deus æquè liberè eam entitatem ponat, imò cum maiore aduertentia quàm nos, æquè erit autor malitiæ. Nec poteſt obtendi ius vllum diuinum, quo Deus vtatur operando talem actum. Nullum enim reuera Deo eſt ius eiuſmodi, ad ſic agendum per ſeipſum; atque adeò neque ad idem agendum cum creatura. Quod ſi dicas, Deum eodem modo concurrere ad actum illum prout malus eſt, & prout vacat labe, facilè occurretur, dicendo; hominis quoque actum interdum vacare malitia, & tamen cum adſunt requiſitæ ad malitiam conditiones, malum ac turpem eſſe. Ac proinde cum Deo operante circa huiuſmodi obiectum, conditiones ad malitiam prærequiſitæ ſemper interueniant, infert Sequanus, Deo affricari peccati fuliginem, ſi ad materialem actionis entitatem cooperetur. At quo iure negatur Dei cooperatio ad vnum genus actuum liberorum, eodem naganda æquè eſt ad omnes.

Concludit itaque idem Theologus, reformandum esse principium illud quod hactenus visum est exploratum: Nempe necesse esse, Deum ad quosuis actus nostros naturales & supernaturales concurrere immediatè, ac concursu nostræ operationi identificato. Hoc enim principium vniuersaliter acceptum, falsum esse affirmat Theologus cum quo ago. Reformandum verò esse ait, per restrictionem ad actus libertate destitutos; gratiásque Deo esse agendas monet, ob patefactam tandem illius principij falsitatem, quam persuasit nonnullis; ita vt nuper eo agente cusa & propugnata sit in Dolana apud Sequanos Academia, thesis Theologica numero vndecima, in hæc verba. *Inest Deo impoßibilitas ab intrinseca & essentiali ipsius rectitudine & sanctitate, non modò prædeterminandi physicè voluntatem creatam ad actionem intrinsecè malam; sed etiam concurrendi ad eandem concursu identificato, immediato, & simultaneo.* Quod hæc thesis affirmat de actibus intrinsecè malis, Theologus quem dico, vniuersè asserit de liberis actibus. Nam ad actus quidem nostros non liberos, & ad quasuis agentium necessariorum operationes, concedit Deum cooperari; quia quoad huiusmodi actiones deest illa inenodabilis implexitas, ob quam putat certum esse, actus nostros liberos non posse consistere cum diuina nobiscum cooperatione immediata. Nempe quod impossibile sit, assignare quid Deus in in nobis videat, per quod excitetur ad coniungendum nobis, tunc, & non ante, vel postea, concursum suum. Quæ grauissima difficultas euanescit, negata

negata diuini concursus necessitate ad actus liberos.

Breuiculus eiusdem nouæ sententiæ Sequani Theologi, ab ipsomet concinnatus.

His iam ad prelum datis, quæ ex parte disputationum, eius quem dixi Sequani Theologi ad me transmissa decerpseram; commodum delata indidem ad me est, breuis summa totius sententiæ eiusdem Theologi, quindenario propositionum comprehensa, Dolæ typis cusa apud Antonium Binart, vniuersitatis Typographum iuratum, & in cœnobio suo, ab eodem Theologo, magno externorum concursu ac plausu defensa: quam de peritorum ac prudentum consilio, visum est hîc adscribere; cum ne affinxisse aliquid suspicionem ingeram; tum vt Lectores, de hac noua pugnantium inter Scholasticos acierum conciliatione, certius iudicium ferant. Ita habet:

THESIS THEOLOGICA: VNDE profecta sit dissensio inter Prædeterminantes ex vna parte, & modernos Assertores Scientiæ Mediæ seu Conditionatæ ex altera, & quòd ea finiri possit, ac debeat; reformata vna propositione philosophica, cuius falsitas causa fuit controuersiæ, & deceptionis vtrorumque.

I.



ON est controuersia inter eos quasi Prædeterminantes negent Deum per Scientiam Conditionatam intueri futura contingentia conditionata immediatè in seipsis, atque in propria eorum entitate, & existentia, quam habitura sunt, si conditio impleatur; tametsi plerique immeritò hoc illis attribuunt, vt sententiam ipsorum faciliùs impugnent; cùm potiùs expressè doceant quamlibet actionem conditionatè futuram esse rem aliquam indiuiduam, & singularem, de qua Deus interrogatus respondere posset, & quam ipse discernit ab alijs infinitis possibilibus, vocans quæ non sunt tanquam ea quæ sunt; fateantúrque Diuinum intuitum distinctè ferri in huiusmodi actionem conditionatè futuram immediatè, prout, & eodem modo quo eam videbit quando in seipsa existet à parte rei, & secundùm omnes rationes, & circumstantias existentiæ, non quam habeat iam actu, sed quam habitura est, si conditio impleatur.

I I.

Hinc ſequitur ; Prædeterminantes non impugnare ſimpliciter Scientiam Mediam , ſeu futurorum contingentium conditionatorum , quocumque modo explicatam. ſed duntaxat modum quem in illa explicanda Aſſertores illius tenuerunt , maximè verò vbi docuerunt Deum per eam Scientiam dirigi ad decernendum , prouidendumque nobis concurſum ſuum identificatum , & ſimultaneum , quem vtraque factio exiſtimat indiſpenſabiliter eſſe neceſſarium nobis ad operandum.

I I I.

Scaturigo & radix maximæ iſtius controuerſiæ hæc eſt, nimirum quia tam Prædeterminantes, quàm Aſſertores Scientiæ Mediæ, quos omnes quo ad hoc breuiùs poſſumus appellare Concurrentes, ſupponunt tanquam veriſſimam propoſitionem vnam Philoſophicam minimèque ad fidem pertinentem; quam nos ſaluâ illorum pace, ac reuerentia exiſtimamus eſſe falſiſſimam, atque adeo reformandam, & corrigendam : *Aiunt enim influxum, & cauſalitatem, ſeu concurſum Dei identificatum, & ſimultaneum tanta neceſſitate requiri, ad hoc vt creata voluntas vel minimum actum, bonum, aut malum poſſit elicere, vt ea ſit conditio indiſpenſabiliter neceſſaria, contradictionemque implicet creatam voluntatem operari, Deo non concurrente ad eamdem indiuiſibilem actionem, immediato, ſimultaneo, & identificato influxu Phyſico, ſicut contradictionem implicat creaturam exiſtere Deo non exiſtente: Ex quo ſanè principio omnis ferè profecta eſt contentio; multáque per euidentem conſequentiam ex eo deducuntur, quæ cùm ſint impoſſibilia,* euidenter oſtendunt

impossibile esse ipsum etiam antecedens.

I V.

Si enim Deus in tempore concurreret ad quascumque actiones nostras, non sufficeret illi ad hoc voluntas conditionata, indifferens, aut disiunctiua concurrendi vel ad hunc, vel ad illum actum; sed oporteret illum ab æterno habuisse decretum positiuum, absolutum, & efficax determinatè concurrendi ad omnes, & singulas actiones, quas elicimus, & nolitionem positiuam concurrendi ad eas quas de facto non elicimus, cum tamen possemus illas elicere; quia impossibile est vt Deus maneat suspensus, aut vt negatiuè, vel indifferenter se habeat circa aliquod obiectum; sed habere necessariò debet absolutum, positiuumque decretum, quo positiuè de qualibet re possibili statuat, vt ea producatur aliquando, aut è contrario vt nunquum producatur: Et sic quoties homo vel Dæmon elicit actum, verbi gratia, odij Dei, necesse esset Deum habuisse ab æterno actum volitionis qui sic exprimitur; volo in tali puncto temporis cum illo homine, vel Dæmone producere actum liberum odij Dei, & nolo pro tunc concurrere cum illo ad actum oppositum dilectionis, neque ad vllum alium ex ijs quos ipse potuisset elicere.

V.

Si Deus ab æterno decreuisset ita concurrere nobiscum in tempore influxu identificato ad quamlibet actionem nostram, vel decreuisset concurrere expectatâ determinatione, & consultâ atque exploratâ voluntate nostrâ, vel eadem non expectatâ, nec consultâ, sed antecedenter ad determinationem illius, neque enim potest dari alius modus concurrendi identificato concursu; quia concurrere consultâ, &

concurrere non consultà voluntate contradictoriè opponantur, & sunt duo modi concurrendi ita se habentes ad inuicem, vt si Deus concurrit nobiscum, necesse sit eum concurrere alterutro ex his duobus concurrendi modis.

VI.

Hinc sequitur; quòd si vera esset propositio qua asseritur necessitas concursus identificati, in qua Prædeterminantes & Assertores Scientiæ Mediæ conueniunt, oporteret ad explicandum decretum, quo Deus statuit concursum illum suum causis liberis exhibere, alterutram factionem amplecti, vel Prædeterminantium asserentium Deum ab æterno præfinire omnes actus nostros liberos inconsultis voluntatibus nostris; ac deinde in tempore præmouere, ac prædeterminare Physicè eas ad operandum, atque insuper cum illis immediata, atque identificata actione concurrere; vel Assertorum Scientiæ Mediæ statuentium Deum consuluisse ab æterno voluntates nostras & per Scientiam Mediam præuidisse, quid creatum arbitrium in singulis occasionibus facturum esset, prius ratione quàm ipse aliquid in particulari statueret de concursu suo, & ex illa præuisione, obiectiuè, & veluti ex pacto excitatum, decreuisse dare concursum huius potius quàm illius speciei, vt nostræ electioni imputetur quòd Deus nobis cooperatus fuerit ad hanc potiùs quàm ad aliam actionis speciem.

VII.

Veruntamen Assertores Scientiæ Mediæ demonstrarunt efficaciter opinionem Prædeterminantium asserentem Deum Physicè præmouere, ac prædeterminare voluntatem nostram, ac deinde concurrere cum illa influxu indistincto, & simultaneo, ad quascumque actiones no-

ſtras bonas, ac malas, plurimùm laborare in ſaluanda libertate noſtra, ac Diuina ſanctitate.

VIII.

Et viciſsim Prædeterminantes benè oſtenderunt, ſtante veritate iſtius principij de identiſicato concurſu, quod eſt omnium Concurrentium commune, Impoſsibile eſſe vt Deus voluntati cooperaturus exploret, ſcrutetur, expectet, & conſulat voluntatem creatam, vt præuidens quid ipſa ſit operatura, decernat concurrere ad eam ipſam operationem, eo quòd ante decretum concurrendi voluntas creata non appareat in conſpectu Dei, niſi qualis eſt ex ſe, ſecundùm ipſos, nimirum impotens, vt aiunt, prorſúſque inſufficiens ad operandum: Sanè Aſſertores Scientiæ Mediæ reperire nequeunt, quid ſit illud ad quod attendens Deus cognoſcat, & decernat exhibendum ſibi nunc eſſe, & non ante, vel poſt, concurſum creatæ voluntati operaturæ, eumque determinatum in hac potius, quàm in illa ſpecie, & indiſtinctum realiter ab operatione eiuſdem voluntatis, tametſi confugerint alij ad ipſam determinationem creatæ voluntatis, formalem, aut virtualem: Alij ad ipſius propenſionem, aut ad genericam rationem actionis: Alij ad relationem rationis, aut connotationem realem: Alij ad id quod voluntas eſſet operatura, ſi per poſsibile, aut impoſsibile operaretur ſola: Alij denique ad alios dicendi modos, prout ipſis occurrere potuit; ſcilicet quia ſtante identitate concurſuum, repugnat arbitrium præuideri concurſurum ad hoc aut illud, priùs ratione quàm Deus ad idem ſit concurſurus.

IX.

Cum igitur vtraque factio benè oppugnarit, confu-

taritque sententiam partis aduersæ, sequitur vtramque illam opinionem esse falsam, & nos meritò cogitasse de iterum examinando principio, ex cuius suppositione, si verum fuisset, sequebatur vt necessariò alterutra factio esset amplectenda: neque enim vlla definitio extat Conciliorum, aut Pontificum qua cogamur ad captiuandum intellectum in obsequium Concursus immediati, identificati, & simultanei.

X.

Sanè disputari potest in vtramque partem citra periculum fidei. Vtrùm voluntas creata præter conseruationem existentiæ suæ, & virtutis agendi, quam habet à Deo, indispensabiliter indigeat actuali eius concursu immediato, simultaneo, & identificato ad quamcumque actionem bonam, aut malam: sed pars negans, tametsi hac tempestate minùs communis, longè est tamen verisimilior, & dictis Patrum, Scripturæ, ac pietati conformior, quàm affirmans. Neque vllatenus accedit ad errorem Pelagij. Communis enim veraque sententia est, eum vel nunquam disputasse cum Catholicis de huiusmodi concursu identificato, vel si de illo disputauit, ac negauit, non tamen fuisse eum de hac re à Patribus reprehensum, sed quòd actus supernaturales necessarios ad salutem negauerit, & auxilium gratię Dei, per Christum, siue adiutorium speciale, internum, supernaturale, ac minimè debitum: paßimque aduertunt Theologi, quòd si sententiæ Patrum contra Pelagium prolatæ, quibus Diuini adiutorij neceßitas commendatur, possent intelligi de influentia, & concursu generali identificato, nos nihil ex illis haberemus pro Catholica veritate, & neceßitate adiutorij specialis, ac proprij gratiæ per Christum, quia omnes eludi possent interpretando eas de

adiutorio Dei per concursum generalem, quod est haud dubiè contra mentem Conciliorum, & Patrum.

X I.

Omnino admittimus Deum perfectissimè intueri per Scientiam Mediam, seu Conditionatam, quid creata voluntas in singulis occasionibus sit volitura, si ipse omnia prærequisita ad operandum exhibeat, simulque omnia actionis impedimenta remoueat, intueri inquam, prius ratione quàm decernat aliquid de apponendis, aut remouendis impedimentis actionis, imò & de voluntate in tali occasione, & circunstantiis, ac rerum ordine constituendâ, aut non constituendâ, non tamen ante, aut post decretum concurrendi concursu identificato, & simultaneo, quemadmodum voluerunt Prædeterminantes, & Assertores Scientiæ Mediæ, respectiuè: sed prorsus absque vllo tali decreto: quia nec concursus Dei simultaneus, & indistinctus requiritur ad hoc, vt creata voluntas operetur, nec consequenter decretum illius à Deo nobis conferendi.

X I I.

Possibile quidem est Deo concurrere immediato, & indistincto influxu Physico cum creaturis ad quasdam earũ actiones, ad quasdam verò alias est impossibile: *Nimirum inest Deo impossibilitas ab intrinseca illius rectitudine, & essentiali sanctitate, non modò prædeterminandi Physicè, voluntatem creatam ad actionem intrinsecè malam, sed etiam concurrendi ad eamdem concursu identificato & simultaneo: Neque si secus faceret, excusari posset à malitia, & formalitate peccati prætextu iuris ac muneris causæ primæ, & vniuersalis: quia si actus intrinsecè malus est, repugnat rectæ rationi, & legi naturali, nulla autẽ natura*

tura intellectualis (multóque minùs causa prima cui omnis iniquitas summè displicere debet) potest habere ius ad operandum illum, siue operetur sola, atque ex affectu erga actum, siue occasione sumptâ ex nequitiâ, & peccato alterius, neque Deus potest ob vllum tametsi altissimum finem, creaturæ ratione vtenti, aut sibimet ipsi legem debitumque imponere coëfficiendi actum qui produci nequeat absque iniquitate, & legis naturalis violatione.

XIII.

Sententia quæ negat Deum concurrere indistincto, & immediato influxu physico ad omnes actus nostros, tametsi à scholis prima fronte videatur aliena, & immeritò vrgeri acriter soleat censuris scholasticorum, nihilominus abundè saluat supremum Dei in creaturas dominium, nec non subordinationem causæ secundæ ad primam: & benè expedit, aut anteuertit plurimas difficultates, summè in Theologia controuersas: Neque est contemnenda auctoritas Cardinalis Aureoli, Durandi Episcopi, & aliorum qui iam olim eamdem secuti, pietatis, & doctrinæ laude floruerunt, vt nihil dicam de plurimis rerum Theologicarum peritissimis, cùm Sæcularibus, tùm etiam variorum Ordinum Regularibus, quibus hæc, non quidem noua, sed ex veteribus instaurata, atque ab aliquot annis renouata arridere cœpit sententia, propter quos verè dici potest, quòd Doctorum torrens in opinionem contrariam non conspirarit, & meritò sperari debet eam plurimos sectatores in posterum habituram, præsertim cùm facilè soluat argumenta partis aduersæ, ipsa verò pro se rationes, & argumenta producat, quorum idonea solutio hactenus non apparuit.

XIV.

Non potest vitari difficultas illa maxima, quæ peti solet ex decreto Dei concurrendi nobiscum identificato concursu, nec finiri discordia Prædeterminantium ab Assertoribus Scientiæ Mediæ, nec saluari incolumis libertas creaturæ, aut Diuina sanctitas, beneficio Scientiæ Mediæ stante principio illo Philosophico de quo supra: ac propterea soluendam arbitramur, seu potius anteuertendam difficultatem, inficiatâ, vt par est, necessitate diuini concursus identificati, & simultanei ad omnem actionem nostram, & consequenter inficiato decreto sic concurrendi, inficiato etiam vsu illo Scientiæ Mediæ quem plerique assertores illius eidem attribuunt, scilicet dirigendi Deum ad decernendum, prouidendumque nobis concursum suum identificatum, & simultaneum, ad quascumque actiones nostras bonas, ac malas, retentâ autem scientiâ perfectissimâ futurorum contingentium conditionatorum: Insuper inficiatis Prædeterminationibus Physicis, reformatóque illo principio Philosophico, cui veluti fundamento falso, ac non satis firmiter iacto, non nisi falsæ opiniones superædificari potuerunt. Denique dicendo Deum per Scientiam Conditionatam intuitum, quos actus voluntas operatura sit in singulis occasionibus, si in illis constituatur, & permittatur libertatem suam exercere (nimirum quia si conditio impleatur, voluntas operabitur liberè aliquem actum, vel liberè suspendet omnem, & Deus euentus istos ab æterno præcognouit.) Tum demum, posterius ratione, statuere de euentu conditionis, decernendo permittere, vel efficere vt voluntas in illis occasionibus constituatur, & liberè operari permittatur, aut è contra vt non constituatur, nec permit-

tatur, quo ipso, statim videt per Scientiam Visionis, implendam aut non implendam esse conditionem, atque adeo intuetur actum voluntatis, absolutè futurum, vel negationem eius: absque eo quòd decernat concurrere influxu identificato, & sic nihil est quòd metuamus libertati nostræ, vel Diuinæ sanctitati ex præscientiâ vel ex concursu Dei, aut ex decreto illius nobis conferendi.

X V.

Plurimum sanè vtilitatis attulit Theologis omnibus Prædeterminantium labor, dum fortiter obstiterunt, ne Scientia Media existimata fuerit vniuersum negotium absoluisse conciliationis libertatis nostræ, & diuinæ innocentiæ, ac sanctitatis, cum indispensabili necessitate diuini concursus identificati, & simultanei ad quaslibet actiones nostras tametsi illicitas, atque ex obiecto turpes: Assertores quoque Scientiæ Mediæ plurimam omnino promerentur laudem, quòd euidenter ostenderint Prædeterminationes Physicas nequaquam esse tolerandas, & Scientiam Conditionatam esse necessariam intellectui Diuino infinitè perspicaci, præsertimque esse vtilissimam ad prudenter sancienda decreta Prouidentiæ, ac Sapientiæ Dei. Vtraque igitur factio vtramque superauit, & vicissim vtrique cedere aliquid debuit & ambæ simul sumptæ dum mutuo se se impugnantes vtriusque vim eneruarunt, Sententiam nostram reddiderunt prorsus verisimillimâ, si non etiam (quod nos quidem persuasi sumus) omnino certam: *Saluo tamē Ecclesiæ Sanctæ Romanæ iudicio quæ circa hoc hactenus nihil definiuit, neque expressum dogma fidei condidit.*

Anno Domini 1632. Mensis Aprilis.

Diuinus nobiscum concursus ad quosuis actus, planè certus iudicio Scholasticorum.

IV. Hæc Sequanus Theologus;circa quæ,duo mihi præstanda video. Primum est,vt excutiam quale sit perfugium quod captare cogitur, abiecto modo dicendi quem proposui. Neque enim exigua doctrinæ à me proximo capite positæ,confirmatio erit,si ea abiecta,ad aliquod doctrinæ abruptum deuenire sit necesse. Hoc vbi primùm confecero, depellam secundo loco,quæ idem Sequanus in meam, imò communem doctrinam intorsit, prolatis distinctè ac fideliter eius argumentis,atque dilutis. Discussionem verò cæterorum quæ cum alibi ab hoc Theologo fusè traduntur, tum in Breuiculo nunc nunc transmisso & hîc recuso continentur,nec per maiores addere licet nec per præsens institutum. Illud tamen dissimulare in præsentia non possum,mirabile omnino videri,quorsum hic autor, cardinem difficultatis inter prædeterminantes (vt vocat,) & mediæ scientiæ assertores, in eo verti dicat,quòd necessitas diuini concursus ad actus nostros liberos,ab vtrisque agnoscatur ; quasi abrogato diuino concursu,plena pax inter vtrosque illos litigantes sit ineunda. Ideò enim titulus Thesium præfert, *omnem dissensionem finiri posse ac debere, reformata*, id est conuulsa & prorsus excisa, *propositione concursus necessitatem affirmante, cuius falsitas causa fuit controuersiæ & deceptionis vtrorumque.* Hoc dico, videri mihi omnino mirabile. Patroni namque prædetermina-

tionum, & autores ſcientiæ mediæ, nunquam de diuini concurſus neceſſitate conflixerunt, ſed tantùm de gratia præueniente efficaci, quam illi aiunt eſſe ineluctabilem; ita vt poſita ea motione ad actiones noſtras præuia, non poſſit non ſequi à nobis actio: quod ad diuinorum decretorum ſummam firmitatem ſtabiliendam, proferunt accommodatiſſimè; quomodò verò cum humana libertate & actus noſtri contingentia cohæreat, exponunt vt poſſunt. Qui verò ſtant in altera acie; aiunt, gratiam quidem efficaciter præuenientem, certò & infallibiliter effectum eſſe ſortituram; ita tamen, vt ſi luberet, abiici per nos poſſet ea gratia, & caſſa reddi: quo pacto actus noſtri contingentia perſpicuè retinetur; quomodò autem certitudo diuinæ prouidentiæ non lædatur, aptè explicant hi autores per ſcientiam mediam. Hæc autem difficultas de gratiæ efficacia cum libertatis vertibilitate, ritè fœderanda, æquè vrget, ſiue DEVS concurrat nobiſcum immediatè, ſiue non concurrat. Gratis enim admiſſo quòd Deus non concurrat, adhuc diſputatio ſupererit de diuinæ motionis ad operandum ſollicitantis eluctabilitate, déque vi decreti eam motionem decernentis. Vt quid ergo Sequanus pacarius, diſſidium de gratiæ efficaciter præuenientis ineluctabilitate vel eluctabilitate, componendum recipit per id de quo nulla eſt quæſtio; quódque cum eo de quo controuerſia eſt, connexionem nullam habet, hoc eſt per diuini nobiſcum concurſus inficiationem? Hoc planè non ſecus eſt, quàm ſi quis contendentes de vinea, conciliare tentet, excitata noua nec

vllatenus cum priore nexa, contentione de prato: quod non est lites sopire, sed serere. Vel certè non secus est, quàm si quis pedem saucium curaturus, oculis non caligantibus, collyrium adhibeat. Itaque liquere puto, hunc Theologum in conciliatione dissidentium quam molitur, ab ipso ostio aberrare, & omnia quæ profert de radice & remediis dissidij præd-terminatorum cum assertoribus scientiæ mediæ, non plus ad eam controuersiam facere, quàm Boreas ad Meridiem pertineat. Nunc de ea concursus diuini abrogatione, sin minùs per ordinem ad pacandam litem inter binas illas Scholasticas acies vigentem, quod inane est, & planè alienum; at absolutè, & in seipsa tantùm eam spectando, pronunciemus, quod fert, aut etiam postulat hic locus.

Est ergo quòd huic Theologo gratias agam, medullitùs & absque fuco, quòd non aliter sententiam à me propositam ruere posse censuerit, quàm consequenter admittendo quod admisit; nempe Deum non concurrere immediatè ad actus nostros liberos. Cum enim ipse constanter affirmet decretum prædeterminans euertere libertatem, atque adeò neget posse Deum in decreto illo videre quando concursum suum exhibere debeat; itémque cum meam ac communem aliorum id explicandi rationem refugiat; non habuit quò se reciperet, nisi ad inficiationem diuini nobiscum concursus immediati. Quem ego habeo pro scopulo, ad quem deuitandum, sententiæ meæ tenax esse planè vellem, vel

ſi leuorandæ eſſent longè grauiores difficultates, quàm quas Theologus prædictus in meum dicendi modum propoſuit. Nolo quicquam acerbius aut durius in hoc eius placitum ipſe ſtatuere, ſed omni illius confixione temperans, quid alij anterioris æui ac noſtri quoque Doctores de hoc eius placito pronunciarint, candidè referam. Et quamuis non me latet, illud aliqua ex parte diſcrepare à ſententia Durandi, eo quòd Durandus omnem planè Dei concurſum inficietur, quem iſte Theologus non niſi ad actus liberos negat: Tamen quia confixio Durandi per Theologos quos referam, ferè ſemper ſpectat ſententiam eius quoad actus liberos, præſertim inhoneſtos, vt liquebit legenti loca annotanda; meritò placitum Durandi idem hîc cenſebo cum placito quod excutiendum ſuſcepi; & quod iudicium de Durando hac in parte ferre graues autores referam, ad Theologum Sequanum transferre abſque iniuria licebit. Alij verò quos referam eandem ſententiam vniuersè damnantes, tacito Durando, ſiue illum ſubſecuti ſint ſiue præceſſerint, non eſt dubium quin cenſuræ ſecurim in aduerſarium impegerint. Proferam paucos duntaxat, ſed qui numeri damnum, autoritatis pondere penſent.

V. Magnus Albertus in 2. d. 35. artic. 7. agens de ſententia immediatum Dei concurſum ad omnes actus noſtros negante, ſic ait. *Alia opinio ferè exiit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica.*

S.Bonau. in 2. d. 37. art. 1. num.8. cum præmisisset quosdam antiquos fuisse ambiguos an Deus immediatè concurreret ad actionem nostram malitiæ substratam, subdit, *quia per multam discussionem dubia ducuntur ad manifestationem, ideò suo tempore contrariam opinionem communiter inualuisse; & esse absque omni ambiguitate tenendam.*

S. Thomas in 2. d. 37. quæst.1. art.2. *in corp.* relata sententia affirmante actus positiuos deformitati morali substratos non esse à Deo, addit: *hanc opinionem, ad præsens, nulli vel pauci tenent, quia propinquissima est errori duplici. Primò, quia ex ea videtur sequi quòd sint plura prima principia.* Hoc fusè & fortiter prosequitur, effugia omnia præcludens. *Secundò, quia aliquod ens essentiam habens, à Deo non esset, & ita Deus non esset vniuersalis causa omnium entium, quod est contra perfectionem primi entis.* Et lect. 2. in cap. 5. Ioannis, ait eam sententiam esse contra Scripturas.

Ægidius Romanus in 2. d. 37. quæst.1. art. 3. sententiam qua negatur influxus diuinus immediatus in actionem malitiæ substratam, vocat, *falsam & erroneam*; additque *per eam reuocari errorem Manichæorum de pluribus primis principijs.* Notátque id *non esse sub ambiguo ponendum.*

Thomas de Argentina in 2. d. 37. quæst vnica artic.3. ait, sententiam Præpositiui negantis Deum influere immediatè ad actum positiuum substratum malitiæ, *esse errorem, non opinionem.*

Thomas Brandvvardinus lib. 2. de causa Dei cap. 20. assu-

20. assumit probandum, *Deum necessariò esse coëffectorem cuiuslibet actus voluntatis humanæ, cuius oppositum Nembrothea & Pelagiana hæresis oblatrabat.* Cur Pelagij hoc esse placitum dicat, infrà aperiam. Idem autem tribuit Nembrotho, quia vt ex Iosepho refert, Nembroth fortitudini suæ, & non Deo adiuuanti, tribuebat actus suos.

Gregorius Ariminensis in 2. d. 34. q. vnica art. 3. ait, sententiam quæ negat Deum omnia coëfficere, *esse contra articulum fidei quo Deus visibilium & inuisibilium omnium factor* agnoscitur. Viderint, qui Gregorio tribuunt, quòd huic sententiæ inesse probabilitatem dixerit, an sententia quæ est contra fidei articulum, sit probabilis.

Robertus Holkot qu. 11. determinationum art. 4. *litera* AA. ait, *ex principijs fidei patere, oportere subscribere sententiæ quæ agnoscit immediatam Dei cooperationem ad quosuis actus.*

Ioannes de Bassolis in 2. d. 37. qu. vnica art. 2. ait, *esse falsam & periculosam positionem*, illam quę dicit Deum non coëfficere actus aliquos positiuos.

Petrus de Alliaco Card. Cameracensis in 1. q. 13. art. 2. proposit. 2. & 10. *litera H*, hanc propositionem, *Deus cooperatur ad quamcunque nostram operationem*, numerat *inter propositiones ex fide supponendas*; & hanc esse ait, *radicem ad defendendam causam Dei contra Pelagium.*

Gabriel Biel in 2. d. 1. qu. 2. art. 2. concl. 4. *litera D*, de eadem propositione loquens, ait, *eam clarè tradi in testimonijs Scripturæ innumerabilibus.*

Ioannes Capreolus in 4. d. 12 quæst. 1. *ad 1. Scoti contra secundam*, ait; *nullum Catholicum, sed solùm hæreticum Manichæum, posse negare, quòd Deus cum causis secundis quibuscunque, immediatè cooperetur.*

Alphonsus Tostatus Matth. 19. quæst. 178. ad 6. ait, negare quòd Deus coadiuuet vt causa vniuersalis, & cooperetur ad actus hominis, *esse hæresim.* Et mox subdit, *esse hæresim Pelagij.* Idem ad idem caput quæst. 179. *ad 7. pro prima via*, ait, *anathematizandum esse qui negauerit adiutorium diuinæ cooperationis*: Et loquitur de actibus naturalibus, & de adiutorio naturali, quod ait vocari posse gratiam, quia datur gratis.

Dionysius Carthusianus in 2. dis. 37. qu. 1. sententiam Durandi negantis immediatum Dei concursum nobiscum, vocat *erroneam*, & ait, *nullum suo tempore fuisse Doctorem qui ei auderet subscribere.*

Stephanus Brulefer in 2. d. 37. *initio*, sententiam quæ immediatum Dei nobiscum concursum agnoscit, ait, *esse absque omni ambiguitate tenendam.*

Franciscus à Christo in 1. d. 45. qu. 7. ait, sententiam Durandi tollentem Dei concursum, *non modò esse falsam sed etiam erroneam.*

Bartholomæus Medina 1.2 qu. 79. art. 2 ait, eandem Durandi sententiam *continere intolerabilem errorem, & esse contra veritatem diuinam.* Mox etiam addit, *esse opinionem damnatam.* An quia Stephanus Parisiensis Episcopus vibrato anathemate ea interdixit, teste Bradvvardino lib. 2. cap. 20. & habetur etiam inter articulos à Stephano damnatos anno 1227. cap. de Deo

num. 44. An quia cum Abulensi censuit, eam ad errorem Pelagij pertinere?

Gabriel Vasques 1. p. d. 99. cap 2. *Opinio Durandi negantis concursum Dei ad singulos effectus, nemini probatur: Imò ei nota erroris ab omnibus inuritur.*

Gregorius de Valentia t. 1. disp. 3. quæst. 1. p. 1. planè censet, sententiam Durandi negantis Deum nobiscum concurrere immediatè, *esse contra fidem.*

Ioannes Azor tom. 1. lib. 4. cap. 22. de eadem opinione sic loquitur. *Opinio Durandi, vt errorem, etiam in fide continens, communi Theologorum consensu refellitur.*

Ioannes de Salas 1. 2. tract. 13. disp. 10. sect. 2. num. 8. relata eadem sententia, subdit. *Hac sententia, erronea videtur, aut saltem temeraria & periculosa.*

Petrus Trigosius 1 p. Summæ S. Bonauenturæ qu. 13. art. 4. dub. 3. conclus. 3. cum latè circa hoc Durandum refellit, tum conceptis verbis ait, *eius sententiam esse expressè contra Patres, & contra Theologos, imò etiam contra omnes Philosophos.*

Franciscus Suares lib. de concursu Dei cap. 4. num 1. sententiam negantem immediatum Dei concursum nobiscum, vocat *errorem in fide.* Et disp. 22. Metaph. sect. 1. num. 7. addit, *contrariam veritatem, passim communitérque tradi à Scholasticis vt Catholicum dogma.*

Leonardus Lessius lib. XI. de diu. perfect. c. 3. nu. 8. ait, placitum Durandi *esse contra communem sententiam omnium Academiarum Catholicarum.*

Robertus Bellarminus lib. 2. de statu peccati cap. 18.

sic scribit. *Sententia Durandi, meritò passim ab omnibus refutatur; vt quæ Scripturæ diuinæ & SS. Patribus sit contraria.* Et lib 4. de grat. & lib arbit.cap.4. vocat *errorem, Scripturis, Patrum testimonijs, & manifestæ rationi repugnantem.*

Franciscus Zumel tomo 2. var. disp. discursu 5. sect. 2. ait, sententiam Durandi *esse apertè erroneam & contra communem sensum Doctorum, ac contra Sanctos Patres, & nominatim D. Augustinum, & contra sententiam Christi, Ioan. 5.*

Alexander Pesantius 1.p.q.13.artic.13.disp.3 ait, sententiam Durandi, *esse vt minimum periculosam, & contrariam apud omnes certam esse oportere.*

Gabriel Pennotus lib.8. propugn. hum. libert. cap. 9. disertè ait, *nunc sententiam Durandi ab omnibus Theologis censeri manifestum errorem.*

Didacus Ruis de volunt. Dei disp.39. num.11. sic loquitur. *Sententia Durandi tanquam erronea meritò communiter à Doctoribus respuitur.*

Vnanimis Scholasticorum pro concursu Dei consensus concluditur. Durandi & Aureoli autoritas eleuatur.

VI. Video nisi mihi ipse modum ponam, nullum fore Scholasticorum in hanc rem allegandorum finem. Communiter enim scholastici in 2. dist. 1. vel 37. aut. 1.p.q.103. vel 105. vel 1.2. qu.109. de sententia concursum Dei immediatum agnoscente loquuntur tanquam de dogmate indubitato: Contrariam autem

ſententiam, vel apertè configunt, vel ſupponunt auerſandam eſſe. Fuítque id iampridem adeò receptum inter Scholaſticos, vt ſcribat Dionyſius Ciſterc. in 2. d. 35. qu. 1. art. 1. §. *reſpondeo ergo*, de influxu immediato Dei in actus quoſcunque, *vix aliquem dubitare*. Cum igitur tam vnanimis ſit in hoc puncto conſenſus Scholaſticorum, & ex ijs permultos iam protulerim, conſulto abſtineo diffuſiore eorum adductione. Et quia cum agitur de rimanda ſoliditate ac certitudine ſententiarum, non eſt dubium quin Scholaſtici, aliis quibuſuis ſacris tractatoribus facem præferant, ijſque adhæreant ſiue ſacri interpretes, ſiue Hæreſeologi, mitto quamplurima vtriuſque illius generis Theologorum ſuffragia, quæ huc congerere nullo negotio licuiſſet, ſatis conſultum ratus munimento veræ ſententiæ ab autoritate Theologica, monſtrato in eam tam vnanimi conſenſu Scholaſticorum.

Vnus quidem & alter eorum, in contrarium producebantur, ſed quorum ingenia ſemper & vbique exſolutionem ſuam atque licentiam prodidere. Nemo ſanè Durandum & Aureolũ nouit, qui eam quidlibet contra Doctorum communem ſenſum proferendi libertatem in eis non improbet. Quid verò ſibi voluit Sequanus Theologus, cum huic quod excutimus, imò etiam eadem opera ac eodem iure, cuiuis alteri placito Aureoli, patrociniũ quæſiuit à Cardinalatu, & à Dedicatione operis ſui facta Clementi Pontifici maximo, huiuſque conceſſione, vt opus Aureoli cuderetur? ô bone, Clemens Pontifex cui dicatum

Aureoli opus legisti, est Clemens VIII. inter quem & Aureolum qui anno 1317. florebat, anni interiacent propè trecenti. Sed qui opus Aureoli, tanto post Clementi Pontifici inscripsit, fuit Cardinalis Sarnanus, qui illud à situ & blattis nostra memoria vendicatum, cum vix antea Aureolus nisi apud Capreolum legeretur, edi Romę curauit; vtinam accuratiùs & absque iugibus propè lacunis, & mendis crassissimis, quibus miserum in modum deformatur. Malè porrò cum Pontificibus ageretur, si omnia quæ ipsis inscripta leguntur opera, eo ipso approbare, & eorum doctrinam ratam habere cēserentur. Quam multi enim libros Pontificibus inscripserunt farinæ non bonæ & pessimæ notæ? Quinetiam cum quandoque Pontifices, libris sibi aut alteri inscriptis diploma priuilegij concedunt, quo editori aut Bibliopolæ gratificentur, vt accidit in hac Aureoli editione; nequaquam eo ipso approbant placita huiusmodi libris contenta, sed eorum discussionem & approbationem, constitutis Censoribus dimittentes, ipsi quod suum est præstant, & quâ supremi Principes, vt alij quoque supremi Dynastæ solent, indemnitati ac lucro editorum consultum volunt, non approbationi librorum. Itaque miror, autorem cum quo agimus eò esse prolapsum, vt suffragium aliquod sententiæ diuinum concursum immediatum diffitenti, quærere voluerit à dedicatione & priuilegio concesso editioni operis Aureoli, quo hæc eius sententia continetur.

Excusati pauci prisci: Et quàm tamen absint à noua sententia.

VII. De illis alijs priscis Scholasticis, qui vel influxum Dei in actus nostros diffiteri, vel non abhorrere à diffitentibus visi sunt; dicendum est quod ex S. Bonauentura superiùs attigi, *quia per multam discussionem, dubitabilia ducuntur ad manifestationem*, affulgente posteris vberiore luce, deprehensam esse illius placiti falsitatem. Scitè Ægidius in 2. dist. 37. qu. 1. art. 3. postquam retulisset quosdam antiquos Theologos sustulisse influxum Dei in actum positiuum malitiæ substratum, subdit. *Verùm posteriores, existentes super humeros priorum, longiùs vident quàm priores. Nam si Nanus esset super humerum Gigantis, longiùs videret quàm Gigas.* Itaque posteriores Theologi, vt facilè est anteriorum inuentis addere, perspexerunt quæ prioribus illis probabantur, esse verè improbabibilia. Nimirum sicut quod est apud Lyrinensem cap. 30. commonit. *Etiam cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurantur, limantur, poliuntur; lucémque, euidentiam, & distinctionem accipiunt*: Sicut inquam, *Ecclesia super senes intellexit, & quanto mundus ad extremum ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur*, (verba sunt S. Gregorij homil. 16. in Ezech.) Ita Scholastici posteriores, super senes intellexerunt, & pleraque omnino reijcienda esse agnouerunt, quæ anteriores vel probarant, vel non improbabilia existimarant. Primordia sanè semper

incultiora esse, tradit egregiè Tertullianus lib. de veland. virg cap. 1.

Obseruatione autem dignum est, latum discrimen inter eos quos dixi priscos Scholasticos, & Sequanum Theologum cum quo agimus. Illi enim agunt tantùm de actu positiuo substrato malitiæ, ad quem negarunt Deum concurrere, vel non improbabile censuerunt id affirmare, quia timebant diuinæ nitelæ & sanctitati; quam dedecere in speciem videtur influxus ille. Qua in parte loquuntur quidem inconsequenter, vt postea dicam: Tamen non negant influxum Dei nobiscum quoad alios actus, præsertim bonos. Et disertè Hurtado, quo Sequanus maximè nititur quamuis poterat fœliciùs exercere ingenium quàm in tentanda conuulsione apertissimæ veritatis, & fouendis ouis quæ alij excluderent, ídque in eo iure displiceat; nihilominus fatetur esse contra fidem, negare influxum Dei quoad actus non malos, ob apertas in contrarium Scripturas. At Sequanus cuius sententiam excutimus, negat influxum Dei immediatum in quosuis nostros actus liberos, etiam si bonos, & à quibus nulla Deo labes affricanda timeatur. Nullo ergo iure existimare potest, vllum planè Theologum præter duos illos Ismaëles, quorum manus contra omnes & manus omnium contra eos, Durandum dico & Aureolum, sententiæ huic suæ patrocinatos esse, eámve censuisse probabilem.

Suffragia Patrum, pro concursu Dei nobiscum.

VIII. Peperit vnanimem hunc consensum Theologorum

logorum posteriorum, obseruatus diligenter ab eis consensus Patrum in hac veritate tradenda. Passim namque Patres, siue insectando hæreticos quosdam antiquos qui mediatam tantùm effectionem rerum creatarum Deo tribuebant, siue Scripturæ pleraque loca diuinam rerum creatarum productionem celebrantia interpretantes, huic veritati sunt astipulati. In priore ordine sunt, Irenæus lib. 1 cap. 23. & Epiphanius hæresi 26. ac Tertullianus lib. de præscript. cap. 46. à quibus Gnostici refelluntur, eo quòd negassent Deo immediatam productionem rerum quarumcunque; & fabulati essent pleraque facta esse per Angelos qui soli processissent à Deo immediatè. Hoc refellunt Patres prædicti; & è contra confirmant, Deum esse omnium planè visibilium & inuisibilium effectorem, non mediatè tantùm quod etiam hæretici illi admittebant, sed etiam immediatè. Vnde quod in fidei regulis siue symbolis, & in quatuor primis generalibus Concilijs definitum est, Deum esse omnium visibilium pariter & inuisibilium conditorem, cum intorqueatur in hæreses prædictas, accipiendum est in sensum propositum, déque immediata rerum omnium effectione intelligendum.

In posteriore ordine proposito, sunt Patres, cum tractant illud Actorum 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*; aut illud Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*; vel illud 1. Corinth. 12. *Operatur omnia in omnibus*; nec non illud

Ioan 5. *pater meus vſque modò operatur*; ac denique cum verſant alia pleraque loca, quibus dicitur Deum *producere in montibus fœnum, & manibus ſuis feciſſe nos & plaſmaſſe totos in circuitu, ac pelle & carnibus nos veſtiſſe*, aut etiam *formaſſe nos in vtero*. Quorum locorum tametſi aliqua aliò fortaſſis obtorqueri poſſent, tamen ſpectata ſaltem Patrum autoritate à quibus in prædictum ſenſum vrgentur, non poſſunt non eſſe in eo ipſo ſenſu, maximi momenti apud quoſcunque Catholicos. Iuuat pauca quædam, ſed illuſtria Patrum dicta, circa propoſita ſcripturarum loca proponere.

IX. Chryſoſtomus hom 37. in Ioan. tractans illud, *Pater meus vſque modò operatur*, ſic ſcribit. *Quod ſi percontеris, & quomodò Pater operatur, cum ſeptimo die ab omni opere ceſſauerit, accipe quomodò. Prouidet, continet, temperat omnia quæ fecit. Cum igitur Solem orientem, Lunæ curſum, ſtagna, fontes, fluuios, naturæ vim in ſeminibus, in noſtris & brutorum corporibus progreſſum, cætera omnia quibus hoc totum conſtat, vides, intellige perpetuam Patris operationem.* Idem hom. 38. in Acta, expendens illud, *in ipſo viuimus, mouemur & ſumus*, hæc habet, præter cœtera ad hunc locum egregiè facientia. *Vide quomodò omnia illius dicit eſſe; Prouidentiam illius eſſe dicit, ac conſeruationem eſſe ab illo, operandi vim actum habere, & non perire.* Expendenda item quæ paulo ante dixerat ad illud, eiuſdem capitis, *dans omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.*

S. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 135. ad illud, *Pater meus vſque modò operatur*, ita Chriſtum loquentem inducit.

Si creditis nutu & voluntate opificis Dei, Sabathi quoque die, omnia gubernari, ac Solem quidem oriri, fontes fluere, plantas è terra prorumpere, ignem vsui hominum etiam die Sabathi seruire, cur temerè atque imperitè accusatis eum, per quem omnia pater operatur? Omnia enim Deus Pater non aliter quàm per virtutem & sapientiam suam qui filius eius est, peragit; propterea & ego operor. Monstrat idipsum pulcherrimè lib. 1. eiusdem operis cap. 5.

X. S Augustinus variis locis quę ex eo addensat pro more Greg. in 1. d. 45. q. vnica art. 1. conclus. 2. ex diuersis Scripturæ locis, hanc immediatam Dei ad quosuis actus causarum creatarum coperationem colligit. Illustris est qui habetur epist. 146. qu. 2. *Quod quaris,* inquit ad Consentium, *verùm sigillatim à creatore Deo, corporum lineamenta formentur, non te mouebit, si quantum potest humana mens, potentiam diuinæ operationis intelligas. Quomodò enim negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta quæ creantur, cum Dominus dicat,* Pater meus vsque nunc operatur? *Vnde illa cessatio septimi diei, ab ipsis naturis condendis intelligenda est facta, non ab earum administratione qua condita reguntur. Cum natura rerum à creatore administretur, & per ordines præfinitis locis & temporibus suis cuncta nascantur, Deus vsque nunc operatur. Nam si Deus nunc ista non format, quomodò legitur;* Priusquam te formarem in vtero noui te? *Quomodo etiam accipi potest.* Quod si fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit? *Nisi fortè credendum est, fœnum à Deo vestiri & à Deo corpora non formari? Cum enim dixit,*

vestit, *non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione satis indicat. Vnde est etiam illud Apostoli de seminibus quod supra commemoraui.* Non, *inquit*, corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vt putà tritici, aut alicuius cœterorum. Deus autem illi dat corpus quomodò voluerit. *Non dixit* dedit, *aut* disposuit; *sed* dat; *vt creatorem intelligas, efficaciam sapientiæ suæ, rebus quæ quotidie suis temporibus oriuntur, condendis adhibere. De quia sapientia dictum est*; Pertendit à fine vsque in finem fortiter. *Et non dixit*, disposuit, *sed* disponit omnia suauiter. Vix queat explicatiùs & fortiùs conuelli sententia negans interuentum Dei immediatum in quacunque productione. Nec minus splendidè in hanc ipsam rem philosophatur idem sanctus Augustinus libro 5. de Genesi ad liter. cap. 20. vbi cum retulisset quorundam sententiam, quòd Deus sit tantùm mediata causa rerum omnium, sic eam impugnat. *Sunt qui arbitrantur, tantummodò mundum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit & iussit, Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini*, Pater meus vsque nunc operatur. *Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari, non in hoc mundo*: Pater in me manens, *inquit*, facit opera sua, & sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. *Deinde quia non solùm magna atque præcipua, verùm etiam ista terrena & extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus*; Stulte tu quod seminas, non viuificatur nisi priùs moriatur. Et quid

ſeminas? Non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, ferè tritici aut alicuius cœterorum: Deus autem dat illi corpus quo modo voluerit, & vnicuique ſeminum proprium corpus. *Sic ergo credamus, vel ſi poſſumus, etiam intelligamus, vſque nunc operari Deum, vt ſi conditis ab eo rebus operatio eius ſubtrahatur, intereant.* Et mox. *Mouet itaque occulta potentia vniuerſam creaturam ſuam, cóque motu illa verſata dum Angeli iuſſa perficiunt, dum circumeunt ſydera, dum alternant venti, dum abyſſus aquarum lapſibus & diuerſis etiam per aërem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant ſuáque ſemina euoluunt, dum animalia gignuntur varióque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iuſtos exercere permittuntur, explicat ſecula, quæ illi cum primùm condita ſunt, tanquam implicita indiderat; quæ tamen in ſuos curſus non explicarentur, ſi ea ille qui condidit, prouido motu adminiſtrare ceſſaret.*

Ex his, D. Auguſtini mens in re propoſita, adeo ſplendet, vt nulla ſit illuſtratione opus. Nec eſt quòd cenſeamus, tantam lucem obtenebrari poſſe paucis illis verbis ex lib. 12. Confeſſ. cap. 11. quibus dixit, *Motum voluntatis in malum, quia peccatum eſt, à Deo non eſſe.* Hoc enim nequaquam ita eſt accipiendum, vt ſenſus ſit, actum phyſicum malitiæ ſubſtratum non pendere à Deo efficienter, quo pacto locus iſte illis aliis quæ ex Diuo Auguſtino propoſuimus, repugnaret: Sed ſenſus eſſe debet, actum malitiæ ſubſtratum, non eſſe à Deo, prout fundat malitiã formalem, quod eſt veriſſimum. Nam

vt ſic, actus pendet tantum à voluntate creata, ex cuius modo ſe habendi reſultat malitia in actu poſitiuo, qua non ſorderet, ſi fieret prout præciſè à Deo pendet. In hunc ſenſum, mentem Diui Auguſtini expoſuit Gregorius in 2. diſt. 34. quæſt. vnica artic. 3. ad 4. ſecutus Altiſſiodorenſem: Eſtque doctrina quoque S. Thomæ, cum alibi, tum quæſt. 3. de malo, artic. 2. & Scoti in 1. d. 41. Imò pleniſſimè & explicatiſſimè S. Anſelmi, cuius ſuffragatione iuuat obſignare hanc ſententiæ noſtræ communitionem ex SS. Patrum autoritate.

XI. Sanctus ergo Anſelmus doctrinæ D. Auguſtini ſtudioſiſſimus, & ad eam paſſim alludens variis locis, & quod nunc ex mente Diui Auguſtini eſſe diximus, clarè confirmat, & ſimul immediatum Dei concurſum in quoſvis actus noſtros, egregiè aperit. Libro de caſu diaboli cap 20. ita ſcribit. *Cum diabolus conuertit voluntatem ad quod non debuit, & ipſum velle, & ipſa conuerſio, fuit aliquid: & tamen non niſi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit; quoniam nec velle aliquid, nec mouere potuit voluntatem, niſi illo permittente qui fecit omnes naturas ſubſtantiales, & accidentales, vniuerſales, & indiuiduales. Inquantum enim voluntas, & conuerſio ſiue motus voluntatis, eſt aliquid, bonum eſt, & Dei eſt. Inquantum verò iuſtitia caret, ſine qua eſſe non debet, non ſimpliciter malum, ſed aliquid malum eſt: & quod malum eſt, non Dei eſt, ſed volentis ſiue mouentis voluntatem. Simplex quippe malum eſt iniuſtitia, quoniam non eſt aliud quàm malum, quod nihil eſt. Aliud verò malum eſt natura, in qua eſt iniuſtitia, quia eſt aliquid,*

& aliud quàm iniustitia, quæ malum & nihil est. Quare quod aliquid est, à Deo fit, & Dei est: quod verò nihil est, id est malum, ab iniusto fit, & eius est. Subdit continenter ex persona discipuli, mirum non debere videri, quòd Deus faciat omnes planè naturas siue substantias. A nemine autem concedendum videri, quòd Deus faciat immediatè omnes actiones, & nominatim prauum motum voluntatis, siue actionem nostram malitiæ substratam. Hoc ita retundit S. Anselmus. *Quid mirum si dicimus Deum facere singulas actiones quæ fiunt mala voluntate, cum fateamur eum facere singulas substantias quæ fiunt iniusta voluntate, & inhonesta actione?* Concludit ex persona discipuli, fatentis verè negari non posse quin omnis actio sit à Deo; à quo immediatè prodeat necesse est, quicquid verè aliquam habet essentiam. Neque hinc vllo modo accusari Deum circa actionem peccati, sed apertè excusari, eo quòd non sit Deus autor actionis prout inhonestatem fundantis.

Adducit hunc ipsum locum suum, & eandem doctrinam multipliciter roborat idem S. Anselmus in concord. cap. 7. editionis nostræ, siue ad finem primæ partis illius opusculi, vbi de hac re plenissimè. Plagulam duntaxat vnam aut alteram decerpam. *Omnis qualitas, & omnis actio, & quicquid aliquam habet essentiam, à Deo est, à quo est omnis iustitia, & nulla iniustitia. Facit igitur Deus omnia quæ iusta vel iniusta voluntate fiunt, id est bona opera & mala: In bonis quidem facit quòd sunt, & quòd bona sunt, in malis verò facit quòd sunt, sed non quòd mala sunt.* Et paulò post. *Sicut Deus*

non facit iniustitiam, ita non facit aliquid iniustum esse, qui tamen facit omnes actiones & omnes motus: quia ipse facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam potestatem volendi aut faciendi nisi illo dante. Ipsum quoque velle quod aliquando iustum est, aliquando iniustum, nec est aliud quàm vti potestate volendi & voluntate, quas Deus dat, inquantum est, bonum est, & à Deo est. Denique post aliqua concludit. *Sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, & quòd essentialiter sunt, & quòd bona sunt, in malis verò non quòd mala sunt, sed tantùm quòd per essentiam sunt. Quemadmodum enim non est essentia rerum nisi à Deo, ita non est recta nisi ab ipso.* In ipso fine eiusdem libri, siue cap. 24. idem explicatissimè iterat, dicens. *Deus habet in bonis quidem quòd bona sunt, per essentiam, & quòd bona sunt per iustitiam: in malis verò solummodò quòd bona sunt per essentiam, non quòd mala sunt per absentiam debitæ iustitiæ, quæ non est aliquid.* Non potuit S. Anselmus expressiùs tradere sententiam de immediato Dei ad quasuis actiones influxu, quàm his locis fecit.

Qui Patres abrogationem concursus Dei, in Pelagio damnarint.

XII. Nonnullos item Patres eandem sententiam tanquam certam tradidisse, & contrariam grauiter in Pelagio notasse, præstantes Theologi aduerterunt: vt Bradvvardinus lib. 2. de causa Dei cap. 20. Bellarminus lib. 4. de grat. & lib. arbit. cap. 4. Lessius lib. de

gratia

gratia cap. 13. num 8. quod item iam suprà ex Abulensi notauimus in cap. 19. Matth quæst. 178. ad 6. & qu. 179 ad 7. Quinetiam S. Thomas in 2. d. 28. qu. 1. art. 1. & 3. cum dixisset, sine diuino concursu generali qui laxato vocis rigore gratia dicitur, non posse hominem implere præcepta, etiam quoad operis substantiam, & non nisi naturaliter operando, subdit: Pelagium ea in parte errasse, quia cum gratiam Christianam, tum illam quoque naturalem gratiam negauerat.

Testatur hæc de Pelagio S. Augustinus lib. de grat. Christi cap. 4. relatis Pelagij verbis ex libro eius 3. de libero arbitrio, vbi disertè secernit, potentiam, actionem, & effectum; ac potentiam quidem, ait esse homini à Deo non autem duo alia. Et epist 106. *sub finem*, ac lib. de gestis Pelagij cap. 23. hic refertur Pelagii articulus in Concilio Diospolitano damnatus. *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio.* Et clarè epist. ad Demetriad. ait, *homines sine Deo operando ostendere quales à Deo sint facti.* quæ verba generalia sunt, & auxilium quoque naturale comprehendunt, ex Pelagii mente, qui incolumitati libertatis consultum volebat; censebat autem eam temerari per diuinam cooperationem: quod ob verborum generalitatem, & ob paritatem rationis, cadit etiam etiam in naturalem Nec est mirum ita visum esse Pelagio, cum Sequanus quoque Theologus idem censeat, tantundémque reuera difficultatis occurrat in monstranda indemnitate libertatis creatæ à naturali concursu, quàm à gratia.

XIII. Non obscurè eandem generalis concursus inficiationem, Pelagio tribuit Paulus Orosius in Apologia pro libertate verbis illis. *Mea semper haec est, fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solùm in corpore suo quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur, verùm etiam vniuersis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui æternamque clementiam subministrare, non vt tu asseris cum discipulo tuo Cælestio, (cui iam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est,) in solo naturali bono, & in libero arbitrio, generaliter vniuersis vnam gratiam contributam: sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis & singulis ministrare. Dicit enim Scriptura,* qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. *At tu fortè respondes. Ordinem suum composita benè natura custodit; ac per hoc Deus elementarijs semel cursibus constitutis, facit inde quæ facit. Quid ergo de illa sententiæ parte quæ sequitur, opinaris? Dat pluuiam super iustos & iniustos.* Hæc exempla apertè ostendunt, adiutorium Dei à Pelagio negatum quod ibi Orosius stabilit, non pertinere duntaxat ad auxilia gratiæ Christianæ, sed generalem quoque concursum, causis secundis diuinitùs subministratum complecti. Et ita sanè paulò post, cooperationem Dei ad opera prædicta naturalia, vocat in actu signato, *adiutorium Dei*; Et addit, *velle Deum opus iudicare hominis, quod ipse operatur in eo*, ac præter gratiam Christianam quam vocat *illud præcipuè donum quod Ecclesiæ & corpori suo peculiare largitur Deus*, agnosci vult

aliam *cooperantem gratiam*, quam permiſtim cum priore, nomine adiutorij diuini exprimit, & negatam à Pelagio profitetur; quem etiam vt vidiſti ſatis indicat ſenſiſſe ac dixiſſe, Deum mundo ſemel producto, deſtitiſſe à cooperando cauſis ſecundis, ſed eas ſiuiſſe ſibi, acturas quod collata ſemel virtute poterant.

XIV. Sed hanc fuiſſe Pelagij mentem, liquidiſſimò tradit S. Hieronymus ijs contra Pelagium libris, quos illum Oroſius, cum eam ipſe Apologiam pro libertate contexeret, *collata in modum dialogi altercatione* ſcripſiſſe dicit; & in anteriùs ſcripta epiſtola ad Cteſiphontem, quam item laudat Oroſius, aiens *vniuerſum Occidentem B. Hieronymi*, illis & alijs libris, *eloquium ſicut ros in vellus expectaſſe.* Sic igitur ſcribit S. Hieronymus epiſtola illa ad Cteſiphontem, cum ex Pelagio dixiſſet, nos Dei auxilio non indigere, ſed contentos ea gratia qua à Deo accepimus propriam voluntatem liberi arbitrij compotem, nullius præterea, ac ne Dei quidem, ope indigere, ne ſi indiguerimus, liberum frangatur arbitrium: cum inquã hæc ex Pelagio dixiſſet ibi ſanctus Hieronymus, ſubdit idem planè tradidiſſe vnum diſcipulorum eius, & omnino inficiatum eſſe, poſſe libertatem cum ea alienæ opis indigentia cohærere. *Deſtruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget: ſed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, niſi fecero quod voluero, ac per hoc, ait; aut vtor ſemel poteſtate quæ mihi data eſt vt liberum ſeruetur arbitrium; aut ſi alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me deſtruetur.* Vides quàm

hoc Cœlestij & magistri eius Pelagij fundamentum, vnum & idem sit cum fundamento quo Sequanus Theologus concursum Dei ad actus liberos inficiatur? Subdit Hieronymus. *Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? Quæ hæreticorum venena non superat?* Et mox. *Quod sursum deorsum iactitant, liberum à nobis arbitrium destrui, audiant è contrario, eos arbitrij destruere libertatem, qui malè eo abutuntur aduersus beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille qui semper Deo gratias agit, & quodcunque in suo riuulo fluit ad fontem refert, an qui dicit, Recede à me quia mundus sum, non habeo te necessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero: Quid rursum te ingeris vt nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleueris? Fraudulenter prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris admittere, & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia.*

XV. Hæc ne cui videantur ad solum gratiæ Christianæ adiutorium pertinere, & vt appareat, Hieronymum æquè ac supra Orosium, nomine *diuini adiutorij*, & gratiam Christianam, & naturalem cooperationem fuisse complexum, expendenda sunt hæc, quæ ibidem continenter subduntur. *Audite quæso, audite sacrilegum. Si (inquit) voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere: sem-*

per mihi auxilium Dei necessarium erit? Hæc Pelagij & Cœlestij sunt verba. Respondet verò Hieronymus. *Audi ingrate, imò sacrilege, Apostolum prędicantem. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Mox etiam ex cap. 4. Iacobi, acriter hæreticum increpat, quòd in his naturalibus actibus qui sunt memorati, & in profectione ad aliquem locum, ad Deum semper auctorem recurrere, & ex illius pendere voluntate nollet, ne liberum destrueretur arbitrium. Est ergo ex his manifestissimum, Pelagium eiúsque asseclas quos ibi impugnat Hieronymus, non modò cœlestes suppetias naturæ indebitas, sed naturalem quoque concursum, qui solus ad omnia proximè recensita opera necessarius est, sustulisse.

Eiusdem ordinis sunt illa opera ad quæ adiutorium diuinum esse necessarium, agnoscit idem sanctus Hieronymus sub initium libri primi contra Pelagianos, damnans Pelagium secùs sentientem cuius hæc verba refert ex persona Critobuli; *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio, ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manúmque aptare literis, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cætera huiuscemodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus?* Respondet Atticus qui Catholici partes sustinet. *Iuxta meum sensum, non posse perspicuum est.* Obiicit è contra Critobulus, id est Pelagius. *In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei gratia custoditur;* (ea inquam naturalis

gratia libertatis concessæ, de qua paulò superiùs,) *si ne hoc quidem absque Deo possumus facere?* Respondet Atticus Catholicus. *Non sic donata est liberi arbitrij gratia, vt Dei per singula tollatur adminiculum.* Addit Critobulus. *Non tollitur Dei adiutorium, cum creaturæ ex semel dati liberi arbitrij gratia conseruentur. Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me iuuerit, nihil possum agere, nec pro bonis me iustè operibus coronabit, nec affliget pro malis, sed in vtroque, suum vel recipiet vel damnabit auxilium.* Instanti verò Attico, hac ratione, Deum ad actus nostros dormitare dicendum, si in singulis operibus non adiuuat nos, sícque euerti gratiam Dei; illam inquam gratiam quæ exigitur ad opera prædicta; nempe naturalis cooperationis, & generalis concursus, respondet Critobulus. *Quo modo in cæteris creaturis conditionis ordo seruatur, sic concessa semel liberi arbitrij potestate, nostræ voluntati omnia derelicta sunt,* &c. *Si in omnibus ille cooperatur, non est meum sed eius qui adiuuat, imò qui in me cooperatur, præsertim cum absque eo facere nihil possim.* Videri possit, hæreticum relabi in id quod paulò ante negauerat, vel certè prodere, mentitum se priùs fuisse, cum dixerat, gratiam Dei non in beneficio tantùm creationis & collati arbitrij sitam esse, sed in eo quoque, *quòd per singula opera, diuino adminiculo fulciamur.* Id enim negare nunc videtur, verbis proximè relatis. Cæterum perstat impius in nequitia. Nam gratia, quam supra conditionis beneficium, aiebat agnoscendam, illúdque Dei adminiculum quo fassus erat nos egere præter gratiam creationis, est sola

gratia conſeruationis, quæ eſt beneficiũ eiuſdem naturalis ordinis cuius eſt gratia primæ creationis. De hac autem continuata naturali gratia intellexiſſe Pelagium, cum ſupra creationem, admiſit neceſſitatem diuinæ gratiæ, & adiutorij ad ſingulos actus, patet ex illis verbis quibus Critobulus depellit Atticum, affirmantem, liberi arbitrij gratiam, non ſic eſſe donatam vt Dei per ſingula tollatur adminiculum. *Non tollitur Dei adiutorium, cum creaturæ ex ſemel dati liberi arbitrij gratia conſeruentur.*

XVI. Liquet ex dictis, quàm non abs re S. Thomas, & Abulenſis, alijque ſuperiùs adducti; cenſuerint, Pelagium nomine diuinæ gratiæ quam negabat, non ſolùm gratiam Chriſtianam, ſed etiam beneficium concurſus naturalis, & vniuerſalis cooperationis complexum eſſe. Nam illud quoque beneficium, vt ſuprà ex Abulenſi aiebam, gratia dici poteſt quia gratis datur. Qua etiam ratione Patres Africani apud Auguſtinum epiſt. 93. dixerunt, *creationis beneficium non improbanda ratione poſſe gratiam appellari.* Nec diſſimiliter S. Hieronymus epiſt. 139. ad illud, *Domine refugium factus es nobis*; ait, *gratiæ eſſe diuinæ, quòd homo creatus eſt*; móxque etiam addit, intendens in cooperationem, & concurſum vniuerſalem: *Deus ita conceſſit liberum arbitrium, vt ſuam per ſingula opera gratiam non negaret, ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris, & ad eius contumaciam, qui ideò liber conditus eſt, vt abſque Deo nihil eſſe ſe nouerit.* Hanc ergo gratiam, homini per ſingulos actus, à Deo non negatam, hanc cooperationem gratuitam, vnà cum gratia

propriissimè & Christianè dicta negauit Pelagius, ne liberum arbitrium cui inde timebat, euerteretur, quod ipsum timet Sequanus ille Theologus cum quo pro eadem diuina gratia naturali, seu pro diuino generali concursu immediato, conflictamur.

Philosophi quoque, etiam Ethnici, pro Dei concursu steterunt.

Tantæ nubi testium sacrorum pro diuino nobiscum concursu immediato, tot inquam Christianis Doctoribus & SS. Patribus, quibus non nisi homines temeritate & quidlibet nouandi audacia illustres, Durandus, & Aureolus, vel multiplicium hæreseon infamia sordentes, Manes & Pelagius obstrepuerunt; si Philosophorum suffragium adiunxero, suscepisse laborem superuacuum videri potero. Ad doctrinæ tamen complementum, obiter quoque attingam consensum Philosophorum in hoc puncto. Præterquam quod sapienter admonuit Clemés Alexandr. 1. Strom. cap. 9. Christianam quidem doctrinam, hoc est Theologicam è Christianis fontibus haustam, per se perfectam esse, ac nullius indigam: accessu tamen Philosophiæ, etiam si veritas potentior non efficiatur, vsum tamen aliquem parari ad arcendos veritatis prædones; vnde & Philosophiam, sapientiæ tanquam vineæ, sepem ac vallum nominat Clemens. Quid quod Christiana & Theologica doctrina, vt idem addit, est quasi panis, Philosophica autem est obsonio similis, & bellarijs? *Desinente*

autem

autem cœna, vt ibidem ex Pindaro dicitur, *ſuauis eſt placentula.* Id eſt Philoſophiam parcè apponere poſt expletam Theologicis epulis famem, non eſt iniũcundum.

XVII. Verùm in Philoſophorum ad hoc negotium allegatione, miſſos faciam non modò priſcos illos, quorum dicta ex parte collegit Sirenius l. 1. de fato c. 10. ſed & alios benè multos poſteriores, quorum in hanc rem loca latè protuli in Natur. Theolog. diſt. 1. q. 2. artic. 1. Rectè enim dixit S. Cyrillus 2. contra Iulia. ad tit. 4. omnes Ethnicos ſapientes in hoc conſenſiſſe. Itaque vbi Ariſtotelem & paucos alios ex Philoſophis attexuero, receptui canam. Tametſi verò Ariſtotelem, concurſum Dei immediatum nobiſcum, ſuſtuliſſe exiſtimauit Gulielmus Pariſienſis. 1. 1. de vniuerſo cap. 26. & 27. & l. 2. eiuſdem operis cap. 9. nec non Henricus quodl. 8. q. 9. & Leſſius l. de grat. cap. 18. num. 8. & 11. nihilominus non videtur dubitandum, quin pro veritate propoſita ſteterit, vt ferunt loca à Sirenio ſuperiùs notata, quibus affirmat, in agentibus ſubordinatis qualia ſtatuit eſſe Deum & creaturam, inferius non poſſe agere ſine influxu ſuperioris. Ita habet 8. phyſ. t. 38. & 41. Cartuſianus lib. 2. de lum. Chriſt. theor. cap. 27. cum alia pleraque Ariſtotelis loca ad id profert, tum vnum ex quadam eius epiſtola de primo principio, qua aſſerit, primi principij ſiue Dei indeficientem communicatiuam vim, eſſe à ſe diffundere in omnia quæ fiunt, ideóque ſemper in actu eſſe. Sed nihil eſt neceſſe dubiæ fidei teſtimonia proferre, cum in

Philosophi indubitatis operibus prostent illustrissima, ac præsertim 2. Metaph. vbi radiis solis in hanc rem conscriptum dixeris textum quartum, quo traditur, *quod est maximè ens & maximè verum*, cuiusmodi citra omne ambiguum est Deus, *esse causam omnis entis*, atque adeò etiam actionis qua quodcunque ens producitur. Item 2. cœli t. 100. affirmat Pholosophus, *à Deo deriuari omnibus esse, & viuere.* Videsis insuper quæ ex eo notat Franciscus Picus lib. de prouid. parte. 1. cap. 9.

XVIII. Aristotelis nomine, Theologiam secundùm Ægyptios, Petrus Fauentinus ante annos circiter centum vulgauit, testatúrque Franciscus Roseus epistola ad Leonem decimum, se eos libros Damasci vidisse Aristotelis nomine prænotatos. Imo longè antè S. Thomas opusc. 16. Aristotelici illius operis nondum latinè editi meminit. Et quanquam valida argumenta quæ protuli in Prologo Natur. Theol. §. 5. n. 83. opus illud Aristoteli abiudicare videantur, tamen si paucos errores vt in scriptore Ethnico dissimules, liber est omnino eximius. Leguntur in eo tam luculenta támque densa huius veritatis testimonia, vt nihil possit adduci expressius. Signo nonnulla. lib. 3. cap. 3. *Ab ente necessario actiones omnes manant, eiúsque nutu omnis potestas in actum excitatur.* Lib. 5. cap. 6. *Primum agens, in agendo imperfectum non est, quoniam ipsum supra omnia quæ sunt, perfectum est*, &c. *Agentia verò omnia quæ primo inferiora sunt, illo indigent, horúmque actiones, eiusdem actionem desiderant. Ideóque omnia inferiora imperfecta, eorundémque actiones im-*

perfecta: atque eadem ratione, omnia quæ perfectionem aliquam possunt suscipere, hanc à primo agente recipiunt. Lib. 10. cap. 4. *Primum agens, Deus est, qui verè efficit, siquidem essentiam procreat, cum ipse sit vera essentia. Nec fieri vllo modo potest, vt sine hoc, ab alio quicquam procreetur.*

Autor libri de causis, quem otiosè aliqui Aristotelem esse censuerunt, cum sit Arabs, nec nisi Procli abbreuiator, (Picus in conclusionibus ex eo libro, vocat Abucatem Auenam,) permulta frequenter habet in hanc sententiam. Illustre est illud ex proposit. 1. *Causa prima adiuuat secundam causam super operationem suam, quoniam omnem operationem quam efficit causa secunda, prima etiam causa efficit.* Et mox. *Causa prima est maioris & vehementioris adhærentiæ cum re, quàm causa propinqua: Et non figitur causatum causæ secundæ, nisi per virtutem causæ primæ: quod est quia causa secunda quando facit rem, influit causa prima quæ est supra eam, super illam rem de virtute sua. Quare adhæret illi rei adhærentia vehementi.* Eodem sensu proposit. 6. ait, *causas secundas illuminari à lumine causæ primæ.* Mysticè sed optimè proposit. 32. cum præmisisset *si inuenitur vnum faciens acquirere non acquisitum, & aliud acquirere faciens acquisitum,* differentiam debere inter ea statui, & vnum esse primum, aliud secundum; subdit: *Illud ergo in quo est vnitas fixa non dependens ex aliquo, est vnum primum verum sicut ostendimus: & illud in quo est vnitas inuenta ex alio inuenta est, præter vnum primum verum. Si ergo est ex alio, est ex vno primo vero acquisita vnitas. Prouenit ergo inde,*

vt vni primo vero sit vnitas, & inde reliquis vnis: & non sit vnitas, nisi per vnum primum verum quod est causa vnitatis. Hæc pertinere ad dependentiam immediatam cuiuscunque entis à Deo, & ad coeffectionem Dei cum omnibus causis secundis, intelligitur ex textura vniuersæ huius propositionis 32.

Specimen iudiciorum, Christianorum Philosophorum, de contraria sententia.

XIX. Satis de Philosophorum Ethnicorum in hanc rem consensu. Christianos nihil mirum est omnes ad vnum, suffragatores veritati propositæ accessisse, quibus fidei Cynosura & Patrum doctrina præluxit. Pomponatium quem supra retuli aduersatum diuino nobiscum concursui Carpentarius digress. 10. in Alcino. negat vel Philosophis vel Christianis annumerandum. Certè quanta ambiguè fidei infamia flagarit, neminem latet, de quo plura in opere de iusta confixione librorum. Qui verò hactenus Philophi Christiani audiuerunt, pro vera sententia stant omnes. Itaque non modò immediatum Dei nobiscum, & cum causis quibusuis secundis concursum astruunt, sed etiam contrariam Durandi sententiam grauiter configunt. Paucos annoto.

Soto secundo physic. quæst. 4. conclusion. 1. sententiam Durandi vocat *erroneam, & contra prouidentiam qua Deus omnibus prouidet, & contra scripturas.* Et superiùs dixerat, *eam derogare religioni Christianæ.*

Toletus 2. physic. quæst. 8. conclusion. 4. ait, sententiam Durando contrariam, *esse ex scripturis manifestam.*

Bened. Pererius 8. phys. cap. 7. sententiam Durandi vocat, *nec piam nec veram, sed valdè periculosam.* Capite autem 8. contrariam ait, *non tantùm esse opinabilem aut probabilem, sed etiam omnino veram, certam, & indubitatam, de qua fas non sit Christiano Philosopho dubitare.*

Fonseca 5. Metaph. cap. 2. quæst. 9. sect. 2. *Est* inquit *Durandi opinio aut erronea, aut errori proxima, & Philosophiæ principiis, si quis rectè attendat, haud consentanea. Quòd enim Deus immediatè concurrat ad omnem creaturæ operationem, ex multis locis diuinæ scriptura colligi potest.*

Conimbricenses 2. phys. cap. 7. quæst. 12. artic. 2. sententiam diuinum concursum immediatum cum causis secundis agnoscentem, aiunt, *non solùm Philosophiæ principiis, sed diuinarum etiam litterarum doctrinę ita consentaneam esse, vt oppositum aut minimè tutum, aut erroneum sit. Eam communi assensu tradunt Scholasticę Theologię professores.*

Ruuius 2. phys. tract. 4. q. 7. ait *eam recipi à SS. Patribus tanquam contentam in scripturis, & ideò sententiam Durandi reputari erroneam.*

Murcia 2. phys. disp. 4. q. 2. dub. 4. placitum Durandi vocat *apertissimum errorem, non solùm in Philosophia, sed etiam in Theologia.*

Quę eius nota, colligenda ab aliquo ex dictis videatur.

XX. Superuacuum ſit plura colligere Philoſophorum Chriſtianorum pro hac veritate teſtimonia, cum ſufficiat vno verbo dicere, omnes, nemine refragante, conſentire, & contrarium placitum grauiter configere. Siue autem contra fidem ſit, vt non paucos auditi affirmantes, ſiue non ſit; de quo nihil volo ſtatuere, (ſtatuant quorum intereſt,) ex dictis tamen, vel me tacente, perſpicuè habetur huiuſmodi placitum repugnare torrenti Doctorum cum Theologorũ tum Philoſophorũ. Atq; adeò ſine iniuria dicturus quiſpiam videtur, placitum tantoperè ab omnibus deſertum, imo exploſum atque cõfixum, eſſe in ſummo vertice temeritatis, *quia indubitatę veritatis manifeſtatio eſt*, ait Caſſianus. l. de Incarn. c. 6. *autoritas vniuerſorum, & perfecta ratio eſt vbi nemo diſſenſit. Ita vt qui contra hoc ſentire nitatur, huius prima ſtatim fronte non tam ſit audienda aſſertio, quàm damnanda peruerſitas; quia præiudicium ſecum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuerſitatis impugnat; & audientię locum non habet, qui à cunctis ſtatuta conuellit. Confirmata enim ſemel ab omnibus veritate quicquid contra id venit, hoc ipſo ſtatim falſitas eſſe noſcendum eſt, quod à veritate diſſentit. Ac per hoc ſufficere ei etiam id ſolùm conuenit ad ſententiam damnationis, quod diſcrepat à iudicio veritatis.*

Rationes pro concurſu Dei. Prima, ex potentialitate cauſę ſecundę.

Secundùm autoritatem vrgenda eſt ratio. Quan-

quam enim Ocham quodl. 2. q. 1. conclus. 1. & in 2. q. 4. & 5. itémque Gabriel in. 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. concl. 1. *litera D*, nec obscurè Pennotus lib. 8. propugn. huma. libert. cap. 15. num. 9. negant id posse demonstrari ratione naturali, tantúmque concedunt posse rationabiliter persuaderi: Tamen rectiùs alij, admittunt id posse efficaciter conuinci, & clarè demonstrari; in quod præter cœteros latè & strenuè incumbit Bradvvardinus l. 1. de causa Dei c. 3. & 4. l. 2. à c. 20. nec segniter Gregorius in. 2 d. 34. q. vnica art. 3. & Ægidius distinct. 37. quæst. 1. artic. 3. & Bassolis eadem distinct. q. vnica, artic. 2. Ego vnam aut alteram rationem attigisse contentus, reliquas apud prædictos legendas dimittam.

XXI. Efficacissimam iudico eam quam breuiter sed optimè tradidit S. Bonauentura in 2. d. 37. artic. 1. q. 1. n. 8. sempérque tametsi subobscuriùs adhibetur à D. Thoma quoties hoc punctum attingit, vt q. 3. de potent. artic. 7. & lib. 3. contra gent. cap. 67. & 70. & 1. p. q. 44. art. 1. ac quæst. 105. artic. 5. Verba D. Bonauenturæ, quia pauca sunt, iuuat adscribere. *Quòd omnis actio siue substrata peccato, siue non, secundùm id quod est actio, sit à Deo, oportet ponere, si pensetur eminentia diuinę potentię & indigentia potentię createę. Quia enim Deus est causa primordialissima, ideò est influentiæ maximę in causas secundas, & adeò magnę influentię, vt nec modicum seu quantumcumque parum (dum tamen aliquo modo sit ens,) procedat ab aliqua causa creata, nisi cooperante diuina potentia. Omnis etiam potentia creata, quantum est de se, defectiua est, nec est purè actiua*: Ergo quan-

tumcunque faciat modicam operationem, necesse habet adiuuari ab ea potentia quę est actus purus propter omnimodam impermistionem cum materia, & quę sola sibi sufficit, nullo modo indigens adiuuari à causa alia. Et ideò hęc positio quę dicit omnem actionem esse à Deo secundùm quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est. Aliis verbis, sed reipsa eodem sensu, proposui & ex D. Anselmo confirmaui hanc rationem in Natur. Theol. d. 1 n. 7.

Recidit planè in hanc rationem, eadémque radice nititur, illa alia quæ ex conseruatione ducitur, & in hanc formam proponi potest. Effectus quilibet creatus, in suo fieri seu in primo instanti suæ productionis, est ens aliquod verum, non minùs quàm toto reliquo tempore quo durat. Sed toto illo tempore, cum sit essentialiter ens participatum, debet à Deo pendere effectiuè, & per continuatam productionem, siue per conseruationem accipere esse: Ergo & in primo instanti debet à Deo effici, cum non minus indigum sit diuinæ opis minúsque mendicum initio; Deus autem non minùs potens & ens maximè verum, quàm posteà cum res est iam producta. Et alioqui fatendum esset, entia quæ conseruari non possunt, hoc est successiua, non pendere à Deo efficienter, contra expressam Dauidis professionem, qua psalmo 138. agnoscit, si ad orientem mouendus sit, illhuc esse eum deducturam diuinam manum.

XXII. Nihil in hac argumentatione video labare, aut periclitari ab aduersarij negatione præter Minorem. Nam vt rectè vidit Gregorius in 2. d. 34. q. vnica

vnica artic. 3. ad 9. qui negant influxum Dei nobiscum, æquè negare debent, conseruationem rei per nos primùm productæ, fieri à Deo; quod tamen Gregorius rectè statuit nullo modo negari posse, & mihi videtur de fide, propter expressissimas Scripturas, Coloss. 1. Hebr. 1. Sap. 1. & 11. quas optimè in hanc rem ponderant Valentia 1. p. d. 8. qu. 2. p. 1. & Less. lib. 10. de diuin. perfect. cap. 4. à quibus aliqui quoque Patres in eam rem proferuntur; sed eximiè omnino id habent Nazianzenus orat. 34. tractans illud Psalmi 103. qui facis Angelos tuos spiritus. & orat. 36. librans illud, *qui fundasti terram super stabilitatem suam.* Chrysostomus homil. 3. in ad Coloss. circa illud *omnia in ipsum pendent*; Nyssenus egregiè, & ad sensum pietatis accommodatissimè, lib. de perfecta Christ. hom. forma ad Olympium, circa illud Hebr. 1. *portans omnia verbo virtutis suæ*; Photius in respons. ad qq. Amphilochij Cyziceni de variis Scripturæ locis, circa illud, *Pater meus vsque modò operatur*; S. Augustinus lib. 3. in Iulia. cap. 9. & lib. 8. de Genesi ad liter. cap. 12. aliisque locis quæ congerit Gregorius in 1. d 45. qu. vnica, artic. 1. concl. 3. Quod autem nunc id non agam, vt omnium rerum immediatam à Deo conseruationem ac continuatam productionem stabiliam, verba horum Patrum quæ sunt ad id expressissima, non appendo: missámque etiam facio rationem eius rei ineluctabilem, quę ex diuini dominii plenitudine in res omnes ducenda est. Neque enim posset Deus si luberet, res omnes destruere, (quod dubitare non licet quin præstare posset si vellet, nisi

conseruaret eas, possetque mera cócursus subductione ad nihilum redigere. Quam rationem alibi ad penitissimas vsque fibras discussi, & vndecunque firmaui. Clara ergo & indubitata est quarumcunque rerum conseruatio immediata à Deo.

Ea verò supposita, ęquè clara est prima productio: quandoquidem initio productionis cuiuslibet rei, Deus non minùs est ens maximè verum, & creatura quælibet non minùs tunc est ens potentiale, ac diuina manu & subsidio indigens, quàm reliquo tempore quo conseruatur, & à Deo pendet per continuatam productionem. Ergo debet quoque ab eo primùm pendere, n'e hîc habeat proportione locum expostulatio Diui Augustini aduersus Semipelagianos; quos queritur dedisse Deo secundas tantùm; sibi verò solis primas arrogasse. Paucis hanc ipsam rationem expressit S. Paulinus epist. 38. quæ est ad Iouium, verbis illis. *Cum constet quod cernitur aut sentitur, alienæ opis, vt consistat & maneat indigere, non potest ambigi, aliunde etiam vt crearetur eguisse. Quod cum ita sit, omnia ex Deo orta fateamur necesse est.* Et inferiùs. *Vt ratio & veritas docet, omnia operum Dei in quibus consistimus, & quorum pars sumus, omniáque munerum eius quibus inter vitæ istius fragilis & caducæ incerta regimur atque seruamur, ad ipsum referamus, nihílque ab illius potestate nostro remoueamus errore, quia velimus nolimus, ipse nostri, vt omnium, & creator, & Deus est,* &c. *Ipsi omne quod sumus, impendamus, & quæ illi placita sunt, studeamus discere, & facere curemus. Tunc defæcata mente puriùs intuentes, vi-*

debimus hanc esse veritatem, vt à Deo sint cuncta quæ sunt. Hæc ille vt inferiùs loquitur, *Dei Philosophus, Peripateticus Deo, Pythagoræus mundo.*

Secunda, ex impedibilitate actionis causæ secundæ.

XXIII. Accedit ratio quam suggerit Rubionius in 2. d. 34. quæst. 2. artic. 1. ex eo petita, quòd nisi Deus cum causis secundis concurreret, non posset earum actiones impedire. Cum enim non sit nisi triplex modus actionem aliquam impediendi; nempe primus per causæ destructionem; secundus per contrarij motus immissionem; & tertius per subductionem concausæ alicuius necessariæ; Perspicuum est, primum horum modorum non nisi cum Dei iniuria posse hîc ingeri, quippe nullo pacto consentaneum ei plenissimo dominio quo Deus pollet in res creatas quascunque, tametsi non destructas. Absurdissimè enim quis diceret, non posse Deum, hominem ab operando impedire nisi eum destruendo; quasi vis humana adeò valida sit, vt si superstes maneat, inhiberi diuinitùs ab operatione non possit. Secundus verò modus propositus, locum plerunque non habet: quia pleræque actiones contrario carent, vnde impediri non possunt per formæ sibi contrariæ immissionem. Restat ergo vt fateamur, tertium modum esse admittẽdum; ac proinde idcirco potest Deus quascunque actiones creatas impedire, quia necessariũ est vt cooperetur quibusuis

agentibus ſecundis, quæ obſtipa & inertia iacerent Deo illis non cooperante, & effectus eorum coëfficiente cum ipſis, vt eſſentialiter exigit indigentia qua laborant ex ratione entis potentialis. Eludunt verò non elidunt hanc rationem, qui dicunt, Deum ob ſummam creaturæ ad ipſum ſubiectionem, nihil licet faciat, aut tollat, poſſe per nudum imperium inhibere actionem cauſæ ſecundæ ab ea ſola manaturam. Hoc videtur ludicrum; quia imperium ſi nihil ad actionem promendam requiſitum adimat, vel niſi aliquid ponat quod ſit cum actione incompoſſibile, eſt aliquid mere extrinſecum, & relinquit res quo ſtatu erant; vt pleniùs tradunt, qui probant, præfinitionem purè immanentem, nihil extra Deum immutare, quamuis ſit imperium diuinum efficaciſſimum.

Tertia, ex determinatione ad indiuiduum.

XXIV. Eſt etiam apud me non parum valida ratio qua vtitur Gregorius in 2. d. 34. qu. vnica, artic. 3. *in ſecundo principali*, iunctis iis quæ habet in 1. d. 35. & Rubionius in 1. d. 38. qu. 1. concl. 3. ac in 2. d 34. qu. 2. *ſub finem*, multíque alii ſuo loco adducti, contendentes Dei eſſe determinare cauſas ſecundas ad indiuiduum. Hinc enim efficaciter inferri poteſt Deum ſingulas actiones cum cauſis ſecundis coëfficere. Nam facultas cauſæ ex ſe ſumpta, indifferens eſt ad plures ex indiuiduis actionibus per ipſam elicibilibus, perindéque illi eſt, ſiue hanc ſiue illam actionem numero tantùm ab iſta diſtinctam priùs profundat: nec vt ad

id conetur, possit se ad vnam potiùs quàm ad aliam determinare, cum omnes æquè eam lateant, nec vllam distinctè cognoscat. Necessarium ergo omnino est, fateri, determinationem illam debere ab extrinseco fieri. Circunstantiæ autem temporis & loci aliæque similes, à quibus nonnulli hanc determinationem petierunt, sunt planè extrinsecæ, nec plus poscunt hanc numero actionem quàm aliam similem. Planè ergo efficitur, causam secundam ex se ad plures indiuiduas actiones indifferentem, non aliter determinari ad hanc potiùs quàm ad illam indiuiduam actionem, quàm ab agente extrinseco libero, & singularium illarum actionum distinctè præscio, cooperante causæ creatæ; hoc est à Deo, qui è pluribus illis numericis actionibus, hanc potiùs primo loco quàm aliam pro libertate deligit, & vt à se simul & à creatura operabunda profluat, determinat; non per aliquid præimmissum, sed immediatè coëfficiendo. Video quædam ad plenam huius rationis firmitatem desideranda, quæ quòd instituti huius fines excedant, à me dimittuntur in præsentia. Sunt tamen alibi plenè & accuratè stabilita, & apud me sunt admodùm rata. Ideóque non immeritò, ad veritatem in qua confirmanda versamur, corroborandam, adhibere ea possum.

Concursus necessitas, ad liberos actus extenditur.

XXV. Non puto esse operæpretium rationes

plures ad rem præsentem adducere. Cum autem quæ propositæ sunt, & præsertim prima, manifestè euincant radicem indigentiæ diuini concursus in creatura operante, esse rationem entis participati ac potentialis, deposcentis perpetuam entis à se manutenentiam, tum quoad esse, tum quoad operationem suam; ratio verò entis participati & potentialis æquè cadat in agentia libera atque in alia, manifestum videtur, non aliter hac in parte de causis liberis philosophandum esse, quàm de necessarijs, vel absque libertate operantibus. Nam si voluntas creata non exigit cooperationem causæ primæ ad actum suum liberum, nequaquam id habet quia libera est, sed quia respectu actus liberi habet virtutem proximam & immediatam, quæ sola ad talis actus profusionem sufficiat; alioqui enim actus non eliceretur. Vnde quamuis dicere quis posset, virtutem huiusmodi, plenam & extrinsecæ assistentiæ non indigam, debuisse concedi voluntati intuitu libertatis qua pollet, tamen formaliter ratio cur possit sola in actum liberum dari debet, quia est plena & integra virtus respectu illius. Atqui voluntas non est efficacior aut potentior respectu sui actus liberi, quàm respectu sui actus necessarij, cũ sit vna & eadem respectu vtriusque. Ergo si potest se sola elicere actum liberum, æquè poterit se sola elicere actum necessarium. Imò multo magis, quia quamuis actus liber possit esse substantialiter idem cum necessario, tamen modus prodeundi liberè à causa, est longè sublimior ac nobilior, quàm modus manandi ab ea ex necessitate. Vn-

de si prior non postulat concursum extrinsecum, neque posterior eum postulabit. Quòd si voluntas potest actum suum necessarium, eodem iure quo liberum, elicere absque Dei cooperatione; dubitare non licet, quin aliæ quoque causæ naturales & necessariæ, æquè possint per seipsas & seclusa Dei assistentia coëfficiente, suas operationes causare. Est enim omnimoda paritas. Quare videtur mihi Sequanus Theologus omnino inconsequenter loqui, cum concessa necessitate diuinæ cooperationis ad actum libertatis expertem, eam tamen necessitatem negat respectu actus liberi, etiam boni, de quo maxima fuit ratio censendi quòd sit à Deo.

Hinc verò euertitur prætensa ab aduersario necessitas reformandi principium vulgatum quo diuinus concursus ad omnes actiones nostras necessarius affirmatur; nec tam eius reformatio, quàm deformatio & peruersio dicenda est, qua principiũ illud ad solos actus necessarios restringitur. *Regulæ* sanè *fidei* & quæ ijs iunguntur, *irreformabiles & immobiles sunt*, autore Tertull. li. de veland. virg. c. 1. Erronum est, ac vt ex Apostolo loquitur S. Cyprian. li. de vnit. Eccles. n. 54. *habentium deformationem religionis, virtutem autem eius abnegantium*, moliri reformationem, eorum quæ benè sunt constituta, & quia cum fidei placitis sunt nexa, ne tentari quidem debuerant. *Gloriantur*, ait Irenæus lib. 3. cap. 1. *emendatores se esse.* Grauissimè item sanctus Hilarius libro ad Constantium Augustum, expostulat per specié reformationis antiquæ

doctrinæ, *manentia demutari, & accepta perdi*, &c. *Quod enim emendatum est, semper proficit; vt dum omnis emendatio displicet, emendationem omnem emendatio consequuta condemnet: ac si iam quicquid illud est, non emendatio aliqua sit emendationis, sed cœperit esse damnatio.*

Rationes contra concursum, cuiusmodi.

XXVI. Restarent dissoluendæ rationes quibus Durandus & Aureolus necessitatem diuini nobiscum concursus appetierunt, nisi verè dixisset Ocham in 1.d.42. litera F, *nullam huiusmodi rationum esse reuera multùm apparentem.* Si quæ tamen sunt in contrarium rationes, quæ speciem aliquam difficultatis possint ingerere, ea præsertim est quam Pelagius vrgebat, ducta ex clade libertati inferenda per diuinum concursum: itémque ea quæ plerosque antiquos Scholasticos malè vexauit, metuentes temerationi sanctitatis diuinæ per influxum in malitiam, si Deus actum turpitudini morali subiacentē coëfficiat. Quæ item fuere motiua quibus autor quem excutimus ad hanc crambem recoquendam adductus est. Quòd ergo de his difficultatibus mox sim acturus, cœteræ verò à Gregorio in 2. d.34. qu.1. artic.3. *ad argumenta contra tertiam*, sufficienter extricentur, moras hîc in eis non nectam.

Palmaris quoad actus liberos; ex eo quòd nullus proferatur modus idoneus, exponendi quomodò Deus videat quandonam sit concurrendum.

Sic obstructo ac præcluso vnico perfugio quo recipiebat se Theologus Sequanus cum quo agimus, quandoquidem rectè supponit, prædeterminationem non cohęrere cum libero voluntatis motu quaquauersum, ideóque eam omnino repudiat; non superit quò diuertat, nisi ad sententiam nostram reueniat: Idque facturum non dubito, si quę intorsit in eam argumenta, infringam, & eneruia esse demonstrem, quod secundo loco faciendum receperam. Vt autem nodo cuneum admoueamus, recolendum est eam illi in hoc negotio palmarem ac inexpedibilem occurrisse difficultatem vt initio monui, quòd censeat perspici non posse quomodò Deus non agat cœco modo si cooperatur nobiscum ad actus liberos. Quis enim explicet quomodò Deus prudenter & citra libertatis creatæ temerationem concursum suum illi impendat, cum nihil videat à quo obiectiuè determinari & excitari possit, cur nunc potiùs, quàm ante, vel post, cooperari cum voluntate debeat? Tentatum quidem hactenus est à variis vt id exponerent, vno fere trium modorum; nempe vel .1. dicendo Deum attendere quid factura esset voluntas si se sola posset agere; & tunc impendere concursum, cum videt eam ita se habere, vt actura esset si se sola posset

agere. Vel certè 2. dicendo, Deum attendere secuturam voluntatis determinationem si per ipsum non stet, velítque cócurrere. Vel denique 3. dicendo, Deũ spectare virtualem determinationem voluntatis, prę̨uiam determinationi eius formali, quæ sita est in primo eiusdem actu elicito. Nam quod quartò dici poterat, attendere Deum hanc ipsam formalem voluntatis determinationem, nulla ratione admitti potest, quia vt formalis determinatio non iam ex hypothesi sed absolutè excudatur, exigitur concursus diuinus iuxta nostram sententiam. Non ergo potest spectari determinatio formalis vt agnoscatur quandonam præcisè sit exhibendus concursus: quia sic concursus esset, priusquàm exhiberetur. Hoc postremum rectè omnino statuitur ab aduersario. Quę autem circa tres alios propositos modos obijcit, excutienda sunt, & quàm solidè veréque opponantur, dispiciendum.

XXVII. Illud tamen ante omnia iuuat monere, primum & secundum modum dicendi propositum, non esse reuera duplicem, sed in vnicum recidere. Quod enim Deus dicatur ad concursus sui exhibitionem, spectare quid voluntas creata faceret, si se sola & absque Dei concursu agere posset; & quod dicatur spectare actionem quam conditionaliter præscit exorituram à voluntate si per ipsum non stet; Hæc inquam duo eodem reci lunt. Nam si verum est, voluntatem creatam, si non stet per Deum sine quo non potest agere, acturam hoc aut illud, Ergo verum est, eandem si absque Deo posset agere, idipsum præstituram in eo euentu: quia tota ratio cur voluntas

in eo euentu deposcat diuinam assistentiam, est impotentia qua præpeditur ne sola operetur. Si igitur impotentia agendi absque Deo excluderetur, non est dubium quin voluntas esset tunc operatura. Idque tametsi de facto & absolutè est impossibile, tamen sub ea hypothesi est planè verum. Neque enim nouum est, vt quæ simpliciter & absolutè sunt falsa, sint vera sub conditione, etiamsi impossibili. Est quippe impossibile vt Spiritus sanctus non procedat à Patre & Filio, & ab vtroque non distinguatur; & tamen verè dicimus, quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab eo. Et eam veritatem quam communis Theologorum sensus contra Græcos agnoscit, non potest Deus ignorare, cuius oculatissimus intellectus non potest non peruadere ad quodcunque verum: cum eo ipso quod verũ est, sit cognoscibile; & certum sit nihil cognoscibile effugere obtutum intellectus infinitè perspicacis, cuiusmodi est diuinus. Verum igitur est quod si per impossibile causa secunda posset se sola agere, nó præueniret nec subsequeretur quasdam circunstantias, sed ijs positis operaretur. At omne verum videt Deus. Igitur hoc videt. Et hoc ipsum est quod aliter dicitur, in illis circunstantijs quandoquidem creatura impotens est ad per se agendum, videri à Deo operationem ex voluntate secuturam, si per Deum nó stet, quo opitulante potest agere, non opitulante non potest; actura tamen si agere posset. Sunt itaque duo illa adeò intimè nexa & inuicem implicita, vt diuelli non debeant. *Creatura nunc si se sola posset*

operari, operaretur. Et, *Creatura, si non stet per Deum, (quia sine eo non potest agere,) nunc operabitur.* Quæ causa est cur plerunque iidem autores, nunc vno, nunc alio ex his modis rem istam explicent. Vt tamen distinctè & perspicuè singula difficultatum ab aduersario propositarum capita dissoluamus, recensebimus tanquam duos hos dicendi modos, qui reuera non nisi vnum plenum atque completum efficiunt. Nunc aduersarium audiamus.

Deum dici primò non posse spectare, quid factura esset voluntas si sola posset agere; prima aduersarij ratio, ex talis notitiæ impossibilitate, & indignitate.

XXVIII. Impugnat primò primum dicendi modum propositum, nempe quòd Deus ad exhibendum concursum, excitetur obiectu operationis quam elicitura tunc esset voluntas, si se sola posset agere. Hoc impugnat, quia cognitio qua Deus attingat quid voluntas creata esset operatura si se sola posset agere, est impossibilis, & indigna Deo; in quá rem laudat Granadum 1. p. tract. 5. de scientia Dei disp. 3. sect. 4. & poterat æquè citare Didacum Ruiz de volunt. Dei disp. 29. sect 2. ex eo enim apertè profecit, cum ipsa quoque eius verba vsurpet. Probat autem eam cognitionem esse impossibilem, quia per eam voluntas creata exhiberetur vt independens, ac proinde vt impeccabilis, quod adeò falsum est, vt sit planè impossibile Deum id scire, & tam absurdam

cognitionem in Deum cadere. Et quamuis gratis daretur posse notitiam illam in Deum cadere, tamen non posset esse vsui ad prælucendum diuinæ voluntati, eamque dirigendam vt assistat creaturæ volenti peccare, & vt motum Physicum malitiæ substratum coëfficiat, quandoquidem voluntas Deo sic obiecta, proponeretur illi vt impeccabilis. Quod si gratis quoque concedere libeat, creatam voluntatem posse in eo statu obijci peccabilem, tamen adhuc impossibile erit, Deum decernere concursum ad actionem quam creatura faceret si sola posset agere: quia actio eruptura ab agente secundo si se solo posset agere, differret specie ab actione quæ ab eodem agente simúlque à Deo elicitur. Ergo Deus decerneret rem impossibilem, si decerneret, vt à se & ab agente secundo prodeat illa ipsa actio, quæ ab agente secundo prodiret si posset solum agere.

Dissoluitur.

Respondeo, posse hoc argumentum facilè declinari, exprimendo sententiam nostram illis aliis verbis quæ supra retulimus, & monstrauimus exhibere secundum dicendi modum, recidentem reuera in hunc primum. Nempe dicendo, Deum vt videat quando concurrere debeat, spectare actionem nostram conditionaliter secuturam, nempe si per Deum non stet. Intorta enim in sententiam nostram sic expressam aduersarij argumenta, cadunt imbellia sine ictu. Imò euanescunt prorsus, quia subducitur totum

fundamentum quo nituntur. Vnde liquet quàm non ſit primi huius argumenti ſolutio deſperanda, quantumuis in eo magna vis fiat. Admiſſa tamen aliquali ſecretione, primi & ſecundi modi dicendi ſupra propoſiti.

XXIX. Reſpondeo, ſcientiam qua Deus cognoſcat quid voluntas creata eſſet actura ſi ſe ſola poſſet agere, non eſſe impoſſibilem, vel Deo indignam, vt falsò aſſumitur. Monſtratum enim ſuperiùs eſt, verum eſſe quod ſi voluntas per impoſſibile poſſet ſe ſola agere, non præueniret, nec ſubſequeretur quaſdam circunſtantias, ſed ijs poſitis operaretur. Hoc autem verum non poteſt Deum latere, cum ſit magna perfectio, & intellectum ſummè perſpicacem & infinitè cognoſcitiuum, nullum planè quod verum & cognoſcibile ſit, poſſit fugere. Et inde ſequitur, eam notitiam non eſſe Deo indignam; cum nulla perfectio ſimpliciter ſimplex, ſiue illimis, & à fœculentiis noſtris ſeparabilis, Deum dedeceat. Quidni ergo ex ea veritate agnita, dicere liceat dirigi Deum & obiectiuè excitari, vt poſitis circunſtantijs illis adiungat voluntati creatæ concurſum ſuum, eíque ad reipſa operandum opitulator accedat?

Et agnoſcit quidem Deus, voluntatem creatam ſi ſe ſola poſſet agere, fore independentem quoad agere, non tamen agnoſcit eam fore independentem quoad eſſe. Sicut cum dico, *ſi ſententia Durandi, præcisè prout ab ipſo proponitur, vera eſſet, agens creatum eſſet independens quoad agere*, non idcirco dico agens creatum eſſe independens quoad eſſe, vt ne-

que Durandus id affirmauit. Item quod caput est, independentia illa in agendo, non obiicitur Deo vt actualis & absoluta, quo pacto adiungeretur ei impeccabilitas, sed obijcitur tantùm sub conditione impossibili: ac proinde quia conditio nunquam poni poterit, voluntas nunquam concipietur potiens impeccabilitate, quæ non affectatur independentiam in agendo conditionatè tantùm conceptam, sed independentiam absolutè & simpliciter competentem naturæ. Quare Deus voluntatem creatam sub ea hypothesi concipiens vt independentem in agendo, adhuc concipit eam vt absolutè & de facto dependentem ac peccabilem. Vnde potest ei præparare ac decernere concursum ad motum positiuum malitiæ substratum, si in eum ipsa feratur, cúmque sola eliceret, si se sola agere posset.

Eum dico, non quòd velim, actum voluntatis in ea hypothesi constitutæ Deo obiectum, esse numericè vel specificè eundem qui postea absolutè excuditur à Deo simul & creatura; quæ erat postrema aduersarij instantia: Sed quòd videns Deus voluntatem erupturam in actum, (amoris v. g) si se sola posset agere, accingatur ad concurrendum cum ea, vt excudat actionem proportionalem qualem cum Deo potest elicere: id est alterius quidé indiuidualis ac specificę entitatis, sed tamen similis & eiusdé denominationis, puta amoris. Quanquã quòd specificam diuersitatem cócedo, inter actioné à voluntate sola erupturam, & eam actioné quam voluntas cú Deo elicit, ad

præcidendas tantùm tricas id concedo: gnarus alioqui, actionem nunc ab vno, mox ab alio principio manantem, posse esse eandem specie, præsertim cum diuersa illa principia sunt subordinata. An non enim eadem specificè actio est, quæ à voluntate sola, & quę cum habitu elicitur? Facile ergo dici posset, actionem à voluntate sola erupturam si se sola posset agere, nó esse concipiendam vt specie diuersam ab ea quam voluntas concurrente Deo elicit: Sed vt abstinerem disputatione non necessaria, & ab hoc instituto aliena, malui specificam illarum actionum diuersitatem vltrò dare; & ea supposita, argumento satisfacere.

Altera ratio, ex clade inde imminente libertati.

XXXIX. Impetit secundò aduersarius eundem primum dicendi modum, quia per eum exscinditur libertas, cui maximè consultum volumus. Nam voluntas non est libera in actione quam eliceret si posset sola operari, quia nemo liber est in eo quod ageret, præsertim ex hypothesi impossibili. Sed neque libera est voluntas in actione quam cum Deo elicit. Nam hæc actio, neque potest habere libertatem ab actione hypothetica prorsus experte libertatis: neque potest eam habere à voluntate, quæ priusquàm agat, accipit à Deo antecedenter & ipsa inconsulta, concursum ad quem actio cum eo indentificata non potest non sequi. Sanè is qui liberè esset Deum amaturus,

turus, niſi ineluctabili adactione abriperetur ad amandum, (v. g. communicatione ſubita viſionis beatificæ,) non diceretur iam beatus liberè amare, quia ad id determinaretur aliunde. Neque ergo is dicetur liberè agere, qui ſi ſe ſolo poſſet agere, permitteretur à Deo ſibi ipſi, & operaretur cum exſolutione & expeditione ad vtrumlibet: nunc autem per concurſum à Deo antecedenter & inconſulta creata voluntate exhibitum, exſolutione illa & expeditione ſpoliatur.

Infringitur.

Reſpondeo. Hoc argumentum depromptum eſt ex Didaco Ruiz diſp. 29. de volunt. Dei ſect. 2. à quo adhibetur ad probandum, malè aliquos conari aſtruere prædeterminationem, eámque cum voluntatis libertate conciliare, dicendo; idcirco voluntatem tametſi prædeterminatam manere liberam, quia non prædeterminatur niſi ad actionem quam elicitura eſſet, ſi ſe ſola poſſet agere. Contra eam doctrinam, optimè omnino militat argumentum propoſitum, quia libertatis exercitium nulla ratione poteſt fœderari cum potenti illa aſtrictione ad vnam partem, inuecta per antecedentem prædeterminationem. Et videtur ſanè manifeſta implicatio in adiecto, dicere quòd voluntas ſinatur agere actionem quam elicitura eſſet ſi ſe ſola poſſet agere: tum addere, voluntatem ad eam actionem prædeterminari. Sic enim voluntas non ferretur in actionem illam ſuopte nutu,

& impetu proprio, ſed vi extrinſecæ determinationis, inconſulta voluntate latæ: Cum tamen de ratione liberi exercitij voluntatis, ſit, vt voluntas ad illud per ſeipſam non aliunde determinetur. Quare contra doctrinam illam quam impugnat Ruiz, optimè militat argumentum ex eo deſumptum; contra nos verò qui prædeterminationem ablegamus, nullam vim habet. Dinſtinctiùs id aperiam, attingens ſingulas argumenti propoſiti partes.

XXXI. Actionem igitur quamdiu tantùm præ noſcitur conditionatè futura, ſi voluntas ſe ſola poſſet agere, ſicut non eſt actu & reipſa actio, ſed tantùm eſſet ſi conditio poneretur, ita fateor non eſſe actu liberam. Addo tamen liberam fore, ſi conditio reipſa poneretur, & actio exerceretur de facto, à facultate libera ſibi permiſſa. At quamdiu conditio non purificatur, actio neque eſt libera, neque fruticum libertatis particeps: honeſtatis inquam & meriti, vel turpitudinis atque demeriti. Quod ſpectans S. Proſper epiſtola ad Auguſtinum, merita conditionatis actionibus implantata, à Semipelagianis inuecta, vocauit *merita commentitia, nouóque abſurditatis genere fabricata.* Quod ſi actio, quamdiu eſt tantùm conditionatè futura, non eſt actu libera, perſpicuè infertur, actionem cum reipſa exercetur, non habere libertatem formaliter ab actu illo hypothetico refuſam. Quis hoc fingat? Aut quomodò aduerſarium ſubiit cogitatio, vt in ea inſulſitate refellenda tempus prodigeret? Actio ergo cum reipſa exercetur, habet libertatem à voluntate; quam quod aduerſarius, in

ſententia diuini concurſus neceſſitatem agnoſcente, præueniri à Deo ait, immiſſione concurſus prædeterminantis, falsò id affirmat, & contra ipſam vocabuli notionē: ſic enim concurſus non eſſet, ſed præcurſus; nec cooperatio, ſed præoperatio. Præimmittit quidē Deus ſeminiũ cogitationis, & affectus proportionati bonæ actioni eliciendæ; hoc eſt motionē gratiæ, illuminatione intellectus, & voluntatis cœlitùs delibutæ ſuauitate contentam, ſi agatur de opere ſupernaturali: itémque motiones naturales proportionales, bonæ fortunæ tributas, ſi agatur de bono opere purè morali: Vtraque tamen illa præmotio, eſt longè alia à concurſu de quo agimus, & ea poſita, adhuc poſſet non ſequi actio. Eſt enim eluctabilis, vt de benedictionibus dulcedinis quibus ſupernaturaliter præuenimur, ſancitum eſt in Tridentino ſeſſ. 6. can. & cap. 4.

XXXII. Concurſus verò diuinus de quo agimus, tantùm abeſt, vt vel momento temporaneo vel naturâ præcurrat concurſui noſtro in eundem actum, vt potiùs concurſus noſter ſit prior diuino, ratione: quatenus Deus non ſe applicaret ad coefficiendam nobiſcum actionem liberam, niſi voluntas obiiceretur operabunda, & priùs ratione agnoſceretur à ſe determinari. Expreſſit id planè optimè quoad ſimultatem realem vtriuſque concurſus, & neutrius prioritatem realem, Ochamus in. 1. d. 42. q. vnica *litera F,* ſub finem, verbis illis. *Non eſt imaginandum quòd cauſa prima in aliquo inſtanti cooperetur ad effectum, & in ſecundo inſtanti cooperetur cauſa ſecunda ad eundem*

effectum. Et si dicatur, quòd causa prior priùs agit, ergo in illo priori non agit causa secunda: Dicendum est, quod dicendo causa prior priùs agit, *si intelligitur quòd in aliquo instanti agat causa prima in quo non agat causa secunda, simpliciter falsum est, quia in eodem omnino instanti agunt. Si autem intelligatur, quòd causa prior, est principalior, & illimitatior, & perfectior; sic potest concedi, quamuis fortè non de virtute sermonis. Sed hoc nihil est ad propositum.* Exscripsit Ochamum propè verbatim Bassolis in 2. d. 37. q. vnica artic. 2. *ad confirmationem secundi argumenti ex ratione*; Immensus autem in hoc puncto est Bradvvardinus lib. 2. de causa Dei cap. 28.

Prioritatem verò rationis concursus nostri præ diuino, egregiè expressit Gregorius in 2. d. 34. q. vnica artic. 3. refellens Aureoli argumentum, quo probat, Deum non concurrere ad actum positiuum substratum malitiæ. Quærebat enim Aureolus, an idcirco concurreret Deus, quia voluntas se determinat ad operandum, vel è conuerso; an certè simul conuenirent ad profundendum eundem actum, & vndecumque veritati incommodare satagebat. Respondet Gregorius in hæc verba. *Dico quòd Deus sequitur determinationem voluntatis, non quod determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate & actu eius, quæ primò fiat à voluntate, sicut imaginari videtur argumentum: Nec etiam intelligendo, quòd priùs natura voluntas agat actum illum quam Deus, propriè loquendo de priori natura: quoniam tunc sequeretur, quòd posset illum agere Deo non coagente, sicut patet ex defini-*

tione prioris ſecundùm naturam. Sed ad hunc ſenſum dico, Deum ſequi determinationem voluntatis, quoniam ideò Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit: Et ideò magis propriè dicitur Deus coagere voluntati talem actum cauſanti, quàm voluntas dicatur coagere Deo. Non potuit Gregorius aptiùs exprimere prioritatem illam rationis quam cauſæ ſecundæ liberæ tribuo præ prima. Idem omnino benè tradit Olkot q. XI. determinationum artic. 4. *litera* CC, & ſæpè idem inſinuat Baſſolis in 2. d. 37. q. vnic. art. 1. & 3.

Ratio tertia, ex ſecutura diuinæ ſanctitatis violatione.

XXXIII. Impetit tertiò aduerſarius eundem primum dicendi modum, quia iuxta eum Deus ſtatuitur peccati autor. Quamuis enim Deus prænoſcat, voluntatem ſi ſe ſola poſſet agere tunc peccaturam, tamen concurſu ſuo illam præueniens, & antecedenter ad id determinans, fit illi exitij cauſa: non minùs quàm is qui præſcius Petrum vim ſibi illaturum, ac ſæuiturum in ſeipſum hora tertia, anteoccuparet tempus illud, eúmque confoderet hora prima. Similiter ergo ait aduerſarius, iuxta nos, Deum præſcium peccati à voluntate eliciendi ſi ſe ſola poſſet agere, implanare illam & præcipitem agere in ſcelus, eam ad id antecedenter determinando, & potenter imo ineluctabiliter vrgendo.

Depellitur.

Respondeo. Apage blasphemiam, quæ non de fonte nostro, sed de cœnosa Caluini scrobe hauritur. Non implanat Deus voluntatem ex se operabundam, nec præuenit, aut præcipitem agit, sed ei se ad peccandum accingenti, concomitanter adiungitur, & cooperatur ad physicum actum, ex quo prout manante à creatura, prodit malitia. Vnde quia eademmet Dei & creaturæ actio, prout à Deo prodit, non est malitiæ eidem superstructæ fundamentum, illibata manet diuina sanctitas, non obstante concursu Dei ad physicum actum peccato substratum; ad quem Deus tantum abest vt voluntatem abripiat, vel antecedenter determinet, vt potiùs idcirco tantùm ad illum cooperetur, quia voluntas id deposcit. Egregiè id tradidit S. Anselmus in calce concordiæ, verbis illis. *Mala facit sola culpa hominum, quia ea Deus non faceret, si ea homo facere non vellet. Facit tamen hæc quod sunt, quoniam condidit in homine voluntatem, qua cum sine iustitia vtitur sola culpa hominis, mala sunt quæ operatur.* q. d. Deum quia creauit voluntatem liberam, teneri tanquam causam primam, non negare ei concursum quocunque ipsa flecti velit. Tamen si flectatur ad malum, Deum ad illam partem necessarium concursum suppeditare, non ex inclinatione aut præfinitione sua, sed quia ita allubescit voluntati, cuius modum se habendi sequitur malitia; cum modus se habendi Dei indifferens sit, & futurus planè idem, si ex modo habendi hominis, nulla labes actui illi phy-

ſi:o qui per vtrumque coefficitur, affricaretur.

Ita planè accipio Origenem l. 3. periarch. cap. 1. *ſub finem*, verbis illis quæ aliqui ad negatum ab eo diuinum influxum in actum malitiæ ſubiacentem obtorſerunt. Propoſuerat Origenes quæſtionem, quomodo dicat Apoſtolus ex Deo eſſe, velle noſtrum. Id enim videri & libertatem peſſundare, & facere Deum malæ volitionis autorem. Reſpondet autem hoc modo. *Sicut ex Deo habemus hoc ipſum quòd homines ſumus, quòd ſpiramus, quòd mouemur, ita & quòd volumus ex Deo habemus. Vt ſi dicamus, quòd mouemur ex Deo eſt, vel quòd ſingula quæque membra officio ſuo deſeruiunt & mouentur, ex Deo eſt. Ex quo vtique non illud intelligitur quia quòd mouetur manus, v. g. ad verberandum iniuſtè vel ad furandum, ex Deo eſt; ſed hoc ipſum quòd mouetur ex Deo eſt: Noſtrum verò eſt motus iſtos in quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona vel ad mala conuertere. Ita ergo eſt quod dicit Apoſtolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate, vel in bonis, vel in malis deſideriis. Similiter quoque & de effectibus ſentiendum eſt.* Non potui ſatis mirari, tam planis támque perſpicuis Origenis verbis inædificari potuiſſe illum adeò auerſum ſenſum, quod admittat quidem Origenes influxum Dei immediatum in motus potentiarũ, non tamen in motus voluntatis, eo quod eo influxu libertatem cenſuerit auferri. Nec D. Thomas 3. contra gent. c. 89. inſulſum illum ſenſum Origeni affinxit, ſed quò alij improuidè verba eius detorſiſſent, ſignificauit. Ego ſanè quamuis certum habeam Deum immediatè concurrere ad

actum voluntatis, non dubitarem tamen, illis ipsis verbis quæ in Origene patent calumniæ, exprimere quod dixi de tali influxu Dei in actum positiuum malitiæ substratum, vt tamen malitia consequatur solum modum se habendi voluntatis in eo actu eliciendo, non item modum quo Deus ad eundem eliciendum pertractus se habet.

XXXIV. Eodem porrò modo indubiè accipiendus est Augustinus l. 2. de lib arbit. c. 20. cum dixit, *motum auersionis qui est peccatum, ad Deum autorem non pertinere.* Ita enim habent codices emaculati, & ita iam olim contra recentem hæreticæ editionis corruptelam, eum locum legerunt Aureolus in. 2. d. 37. q. 1. & Gregorius in 2. d. 34. q. vnica, artic. 3. *in calce argumentorum contra conclusionem*, & artic. 2. *in tertio argumento contra secundam*, qui vtrobique respondet, & benè euincit, S. Augustini mentem esse quam dixi. Nec dubito quin eodem modo accipiendus sit Hugo Victorinus q 280. in c. 11. ad Roma. cum negat peccata esse ex Deo aliquo modo, ídque ait esse de mente D. Augustini. Consultissimè profectò & Augustinus & Hugo, imo passim Patres, negant peccatum, etiam quod positiuum est, esse ex Deo, vt significét in quem autorem referenda sit peccati formalitas implantata actui, cuius materiale qua tale, est etiam à Deo, sed non prout illa entitas sumitur formaliter, ac quatenus pugnans cum lege, quod habet à solo modo se habendi voluntatis: quæ proinde sola dicenda est causa peccati, quamuis Deus materiale formalitati illi substratum coefficiat cum voluntate.

Vnde

Vnde castigandus est modus loquendi in hac re, adhibitus ab OLKOT q. XI. determinationum artic. 4. litera CC. cœtera egregiè philosophante. *Ad primum, inquit, concedendum est, quòd Deus est causa peccati, sed non dicitur autor peccati, quia hoc est speciale in libero arbitrio constitutum, quod si homo vult aliquid, Deus coagit cum voluntate illam volitionem: Sic tamen quod prima causalitas huiusmodi volitionis, est voluntas. Vnde hæc propositio est vera*, Voluntas vult, igitur Deus vult hanc volitionem esse, quia voluntas sic vult, siue bona siue mala. *De lege communi, quia aliquando causat specialiùs voluntatis volitiones, & continuat eas, sic quod non est in potestate voluntatis illas dimittere. Quia igitur Deus statuit, quandocunque homo voluit vti aliquo arbitrio suo, Deus vult sibi coagere, & non cogit liberum arbitrium hominis agere nisi homo sponte velit, ideò peccatum dicitur esse ab homine, sicut ab autore, & non à Deo, & tamen ab vtroque est, sicut à causa effectiua partiali. Omnes autem autoritates quæ sonant quòd Deus nullo modo est autor mali, sic debent intelligi, quòd Deus non est causa totalis vel prima quare homo peccet, quæ necessitet hominem ad peccandum.* Tametsi ex aliis plerisque ibidem ab OLKOT traditis, perspicuum est, mentem ei fuisse non læuam; & cum admisit Deum quamuis non sit peccati autor, esse tamen peccati causam, nihil aliud intendisse, quàm Deum coëfficere actum positiuum subiacentem malitiæ, tamen ea verborum illuuies abstergenda est, qua Deus, peccati causa partialis & coeffector statuitur, ab hoc autore. Cœtera exosculor tan-

quam verissimè & in hanc rem aptissimè prolata. Non hæreo vlteriùs in discussione huius pũcti, quod versaui latissimè in Moral. dist. 4. à num. 337. ad 366. & in Natur. Theol. distinct. 1. à num. 51.

In hac meta non omittam monere, hoc quoque Sequani Theologi argumentum cui satisfacimus, desumptum ab eo fuisse ex Didaco Ruiz disp. 29. de volunt. Dei, sect. 2. impugnante nonnullos qui vt Physicam prædeterminationem cum voluntate libera fœderarent, aiebant, idcirco voluntatem creatam à Deo prædeterminatam manere liberam, quia prædeterminatur ad actum quem faceret si se sola posset agere. In huiusmodi doctrinam meritò Didacus Ruiz argumentum propositum intorquet: quia clarum est, voluntatem ineluctabili prędeterminatione adactam, non manere expeditam vt vertatatur quaquauersum. Nec dici reuera potest, eam sic operantem vel potiùs in opus actam, facere quod suoptè nutu factura fuisset si se sola agere posset; qui erat noster ille primus dicendi modus, cui aduersarius hunc calceum, alteri pedi à Ruizio fabrefactum, parum commodè aptauit.

Non posse secundò dici, Deum spectare actionem sub conditione nunc secuturam, probatio aduersarij.

XXXV. Pergo ad ea quæ aduersarius opponit contra secundum dicendi modum supra propositum: nempe quo affirmabatur, Deum vt nunc, non

priùs, vel postea, concursum suum exhibeat, spectare actionem quam conditionaliter prænoscit ex voluntate tunc secuturam si per ipsum non stet, velítque concurrere. Contra hoc sic argumentatur. Si Deus idcirco videt sibi esse nunc concurrendum, quia nunc creatura ei obijcitur operari quantum in ipsa est, & nisi per Deum stet, ergo operatio creaturæ antecedit actualem diuini concursus exhibitionem, contra quam fert sententia quæ agnoscit diuini concursus necessitatem ad quosuis actus nostros.

Euertitur.

Respondeo. Operatio creaturæ non antecedit actu & reipsa concursum diuinum, sed tantùm conditionatè; quatenus ante Dei concursum actu exhibitum, obiicitur diuino intellectui operatio voluntatis creatæ, tanquam exoritura ab ea, si ipsa voluntas se sola posset agere: aut (quod eodem recidit,) si non stet per Deum, velítque ipse cum voluntate concurrere. Ea autem antecessio conditionalis, quia non extrahit rem è statu nihili, non exigit concursum diuinú de facto exhibitú sicut quamdiu res tantùm possibilis est, nullo eget diuino concursu reipsa impenso. Sanè códitio apposita, non extrahit reipsa actionem e statu merę possibilitatis; sed quod spectat ad essendi actualitaté, actio conditionaliter futura, ęquè est nihil, ac ea quæ est merè possibilis, pro qua nullus Dei concursus actualis exigitur. Fatendú ergo similiter est neq; pro actione hypotheticè tantùm futura, quádiu conditio

non ponitur, actualem vllum diuinum concursum desiderari. Atque ita assertio necessitatis diuini concursus, non pugnat cum obiectiua ad eum exhibendum determinatione, per actionem conditionatè tantùm positam, & in eo statu cognitam à diuino intellectu infinitè perspicaci. De sola volitione creata actualiter posita, falsò diceretur, eam esse reipsa; & siue natura, siue tempore, aut temporis momento priorem diuino concursu, ideóque excitare obiectiuè Deum ad concurrendum.

Dici tertiò non posse, attendere Deum ad virtualem voluntatis determinationem, argumenta aduersarij.

XXXVI. Restant adducenda quæ aduersarius obijcit contra tertium dicendi modum supra propositum, quo scilicet asserebatur, Deum non concurrere cœco modo, & prudenter ac incolumi lib rtate creata concursum suum illi exhibere, quia vt eum nunc potiùs, quàm antea, vel postea exhibeat, attendit ad virtualem voluntatis determinationem, præuiam determinationi formali, quæ sita est in actu elicito, & à me declarata ac stabilita est locis ab aduersario signatis, nempe in Natur. Theol. dist. 8. à num. 85. & à num. 368. & in Morali dist. 2. à num. 103. Hanc determinationem virtualem Sequanus Theologus, ait, *per seipsam apparere satis incredibilem, & continere doctrinam ferè intolerabilem, ac nimia sua subtilitate laborantem.* O dori sanè flores, quibus placitum illud

nostrum aspergit, subiecta longa in illud conclamatione.

Summa impugnationum est, quòd iuxta eam doctrinam, voluntas creata, immutata & omnino eadem manens, incipit de nouo habere determinationem quam ante non habebat, móxque etiam non habebit; qua ratione inficiatio omnium modalitatum fundari posset. Item determinatio hæc virtualis, tota refertur in causam secundam, quæ proinde potest se sola aliquid præstare: quidni ergo etiam, formalem determinationem? Quomodò verò hæc formalis determinatio dici poterit libera, & ad meritum imputari, cum tota libertas sit exorta in ea determinatione virtuali, eáque posita, non sit vltrà locus resultui, sed necessariò sequatur determinatio formalis? Quidni etiam æquè mereremur per solam virtualem determinationem, quantumuis negato diuino concursu formalis determinatio impediretur? At hoc esset, statuere totum meritum nostrum independens à quouis principio creato supernaturali efficienter concurrente, quod non nisi ad formalem determinationem efficiendam adhibetur: nihílque aliud etiam esset, quàm statuere libertatis exercitium, non in agendo formaliter, sed in se determinando virtualiter; quod est contra receptissimam sententiam Doctorum. Tandem potentia libera debet ita concipi, vt possit agere & non agere quousque actio ipsa ponatur: quia quamdiu ponuntur sola prærequisita ad agendum, salua debet esse facultati liberæ flexilitas sua in vtramuis partem. At determinatio virtualis, est

de prærequisitis ad agendum, cum sit ipsum vltimum causæ complementum.

His argumentis, existimat aduersarius, probari manifestè, non modò determinationem illam virtualem esse commentitiam, sed etiam quamuis admitti posset, non posse Deum ad illam attendere, vt agnoscat quandonam sibi sit cum voluntate creata concurrendum: quandoquidem vt volitio creata sit libera, necesse est, eam priusquam formaliter ponatur, adhuc concipi suspensam, & talem vt possit poni & non poni, quicquid antecedat; quod posita determinatione virtuali tametsi præuia, dici non potest.

Firmatur è contrà, veritas prædictæ determinationis.

XXXVII. Respondeo, dimissis sentibus illis aut rhamnis verborum aculeatorum, quæ muliebre est intorquere vel regerere, doctrinam qua virtualis determinatio asseritur, per seipsam apparere satis credibilem; nec tãtùm esse tolerabilem, sed omnino admitti debere; non denique nimia subtilitate laborare, sed vel mediocribus ingenijs patere eius veritatem & soliditatem posse. Nam quæ tanta ingenij obtusio erit, vt nõ percipiat, causam ad plura indifferentẽ nõ priùs posse causare vnum quid quàm indifferẽtia eius tollatur, & ipsa causa determinetur? Quamdiu enim indeterminata maneret, nihil determinate faceret. Ergo causam liberam, cum sit ad plures effectus indifferens, necesse est determinari, priusquàm vllum eorũ producat. Atqui primus actus elicitus, quem passim

cum Scoto vocamus determinationem formalem, est verus quidam effectus voluntatis liberæ, vt per se notum est. Igitur priùs natura quàm producatur, necesse est voluntatem liberam determinari ad illum causandum. Ea autem determinatio causæ ad producendam primam determinationem formalem, cum sit de complemento causæ, teneátque se ex parte eius, ita vt absque illa non intelligatur plenè potens ad causandum, non potest dici esse ipsamet determinatio formalis quæ per causam iam determinatam producitur: Ergo est aliquid anterius; Nempe ipsamet causa libera, quæ cum nunc posset vim suam actiuam applicare ad alium actum oppositum quem ęquè elicere poterat, aut æquè ab vtroque cessare; ipsamet determinat se nunc, id est vltrò se applicat, ad potiùs causandum illum suum omnium primum effectum, ad quem mox iure & priuilegio causæ liberæ, eadem licet manens & immutata, desinet esse determinata & applicata. Et hæc est illa determinatio quam virtualem appellamus, vt à formali secernatur.

Vix porrò puto esse necesse, quæ contra veritatem huius determinationis ab aduersario sunt obiecta, multis depellere. Sunt enim ijs locis quæ superiùs signaui, copiosè discussa, nec noui quicquam proferri video quod alicuius sit momenti, aut quod ferè determinationem illam virtualem legitimè conceptam impetat. Aduersarius enim de ea virtuali determinatione philosophatur, vt de aliis quibusuis formis nó liberis, & vt de actu quodá secúdo meriti ac demeriti capace per se ac seorsim à deter-

minatione formali. Similitérque censet, eam determinationem virtualem terminare causationem aliquam seorsim à volitione. Censet præterea, formalem determinationem posse inhiberi diuinitùs, posita iam determinatione virtuali; quam etiam negat, respectu actuum supernaturalium, debere vegetari per auxlium gratiæ indebitum, ac naturam superans. Ad hæc, totum libertatis exercitium putat contineri ea determinatione virtuali, eámque numerat inter prærequisita ad libertatis negotiationem; cum quibus, vt libertas perstet, debet posse componi non actio. Tandem causam liberam, ea virtuali determinatione per ipsammet posita, censet necessitate deuinciri, nec vltrà gaudere libertate. At hæc omnia falsa sunt, nec nisi adulterinam determinationis virtualis notionem, efformatam ab aduersario produnt, vt liquebit legenti quæ citatis locis tradidi. Itaque non est necesse, hanc ferè alterius tractationis parenthesim, longiore in his discutiendis excursione producere vlteriùs.

Per eandem, præsenti difficultati satisfieri, demonstratur.

XXXVIII. Supposita autem veritate determinationis virtualis, classis vniuersa argumentorum aduersarij, quatenus in rem præsentem adhibetur, ad vnum scopulum naufragabit, si dicamus, Deum non videre determinationem virtualem voluntatis, formali eiusdem determinationi præuiam, nisi iuncta & connotata

connotata determinatione formali, ſecutura in poſteriori naturæ; quippe ad quam voluntas ſic ſumpta, ideſt prout actu agens, dicit ordinem eſſentialem, & cum qua eſſentialiter & impræciſibiliter connectitur, ſolo naturæ ordine interiacente. Nolim tamen interiectum illum imagineris, quaſi morulam aliquam intra temporale momentum congeminatam, in qua voluntas ſit vltimo completa & determinata antecedenter, nec dum tamen ſit primus eius effectus: atque adeò in qua, licet cauſa eò vſque deducta, primus effectus inhiberi poſſit: ac denique in qua libertas & meritum exerceantur, ſcorſim ab actu ſecundo qui primùm profunditur in poſteriori naturæ. Hæc omnia ablego ad Deum fabulinum. Supponunt enim ludicram inſtantium naturæ imaginationem, quæ pleriſque in multis imponit, vt benè notarunt Ocham in 1. d. 42. *littera F*, Rada q. de ordine naturæ in diuinis *ad finem*, Manzolis in formalitatibus D. Thomæ c. 7. & Sirectus in formalit. Scoti, artic. 2. principali & 4. partiali, ex Mayronio in 1. Eſt ergo interiectus ille, non niſi dependentiæ & cauſalitatis. Quod aliter dicitur, eam prioritatem eſſe tantùm prioritatem *à quo*, non *in quo*; ſeu eſſe *præſuppoſitionem huius ad hoc*, quamuis nunquam ſit ſimpliciter loquendo, quod prius dicitur, quin ſimul ſit quod poſterius appellatur.

Deus ergo proſpiciens actionem à voluntate exorituram, ſi ſe ſola vt nutus eius ferret, poſſet agere; aut quod eodem recidit, perſpiciens operationem ex voluntate ſecuturam, ſi per ipſum Deum & co-

operationem eius non ſtet, eo ipſo perſpicit virtualem voluntatis determinationem. Introſpicit enim perfectiſſimè creatam voluntatem ac eius genium. Vnde videt quid ipſa in his illíſve circunſtantijs eſſet ſuopte nutu determinatè operatura, ſi poſſet ſe ſola agere, aut ſi ipſe nolit ei deeſſe. Quare conditionibus illis poſitis, quia videt voluntatis genium ac natiuum impetum ferre, vt ſic operetur, eo ipſo videt determinationem voluntatis virtualem ad talem actum, & ad eum cum voluntate coefficiendum ſe applicat. Ex quo perſpicuè ſequitur, hunc poſtremum dicendi modum, planè recidere in primum & ſecundum ſuperiùs expenſos; nec aliud eſſe dicere, Deum vt agnoſcat eſſe ſibi nunc, non ante, vel poſtea concurrendum, ſpectare virtualem voluntatis determinationem; ac dicere, Deum vt agnoſcat quandonam impendere concurſum ſuum debeat, ſpectare quid nunc voluntas faceret, ſi ſe ſola poſſet agere, aut ſi per ipſum Deum non ſtet, velítque ipſe cum ea concurrere.

Permitto nunc lectori iudicium, de gratiarum actione quam Sequanus Theologus Numini habēdam indicebat, pro tandem detecta falſitate receptiſſimi principij quo neceſſitas diuini concurſus ad actus liberos affirmatur. Statuat æquus Lector, iuſtiúſne indicenda ſit cumulata & plena gratiarum actio Numini, quòd liquere plane videatur, verè Iſaiam accidentem Deo, humillimè præter cœtera profeſſum eſſe, *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.*

CAPVT V.

Christi libertatem illata licet face nouæ de libertate sententiæ, æquè tenebricosam & inexpeditam perstare. Lux ei aliunde affusa, prisca notione libertatis retenta.

I. TITVLVS capitis tricesimi tertij, libri primi, apud autorem, sic habet. *Eadem sententia*, (de libertate per amplitudinem & eminentiam formaliter explicanda, reiecta veteri notione libertatis per indifferentiam ad vtrumlibet,) *inde confirmatur, quod iuxta illam, libertas Christi IESV euidentissimè exponitur, & difficultates in aliorum sententia penè insuperabiles, nullo negotio dissoluuntur.* Eximium planè nouæ huius doctrinæ decus, si per eam euidentissimè discussa caligine quanta omnium hactenus Theologorum ingenia obtexit, fas est euidentissimè tam sublimem veritatem conspicari, & difficultates iuxta priscam libertatis notionem propè insuperabiles, ita complanantur vt non appareant. Sed vt constet quanto iure ista dicantur, operæpretium est quædam breuiter ad ipsius difficultatis nodum percipiendum annotare. Tum quomodò eum dissoluat autor, subijciemus, & excutiemus: & quomodò reuera dissoluendus sit, attingemus. Vnde apparebit, quanta sit ad

hanc veritatem perſpiciendam nouæ ſententiæ opportunitas, vel etiam neceſſitas iuxta autorem.

Nodus de Christi libertate, ob eius impeccabilitatem.

II. Præmittendum itaque eſt, Chriſti Domini voluntatem humanam, fuiſſe phyſicè impeccabilem. Chriſtus enim non modò peccatum non habuit, nec iuuentus eſt dolus in ore eius, ſed ne peccare quidem potuit, cum ob exquiſitam directionem cuiuſuis peccati excluſiuam, humanitati ſuæ à Verbo ſuſtentante debitam, tum ratione ſanctificationis ſubſtantialis, qua eadem humanitas Deitatis vnguine delibuta fragrabat. Quod fuſiùs perſequi, alterius eſt instituti. Vt neque huius loci eſt expendere, veréne autor l. 1. c. 33. n. 3. & 4. contendat, nomine phyſicæ impeccabilitatis Chriſto tribuendæ, comprehendendam eſſe excluſionem poteſtatis cadendi in quemcunque perfectionis defectum.

Sic conſtituta Chriſti impeccabilitate, ſtatuenda pariter eſt vt certa, Chriſti libertas. Non enim hæc duo diſſonare cenſenda ſunt, vel eſſe inſociabilia. *Numquid* ait D. Auguſtinus l. de prædeſt. SS. c. 15. *metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat; ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſeruire non poterat?* Ex Chriſti merito, libertas eius redditur indubitata. Meritum enim, vt initio primæ partis huius opellæ pręmiſimus, eſt frutex libertatis. Cum ergo de Chriſti pro nobis merito liqueat, certa quo-

que debet esse eius libertas.

III. Hinc ergo grauissima, & nunquam satis enodata difficultas oritur, circa Christi libertatem ad non agendum quod de præcepto affirmatiuo mandabatur. Ad quam materiam me restringo, quia non potest esse controuersia de materia præcepto negatiuo substrata. Nam circa eam, Christus non habebat paratum concursum diuinum: vnde nec libere agere, nec mereri circa eam potuit, seclusis actibus talis impotentiæ approbatiuis, quos nunc non attendimus, intenti in solos actus directè attingentes materiam negatiuis illis præceptis prohibitam. At circa actus præcepto affirmatiuo indictos, habuit Christus concursum paratum, & libertatem ac merendi facultatem. Vnde existit grauissima illa difficultas quam dicebam. Nam si Christus circa eam materiam liber erat, vt ex eo patet, quod circa eam merebatur; quomodò non poterat ea exercenda abstinere? Atqui abstinendo violasset præceptum affirmatiuum propriè dictum. Ergo vel abstinere non poterat, atque adeò liber non erat; vel si abstinere poterat, obnoxius peccato erat, poterátque eo sordere; contra quam fert physica eius impeccabilitas, quæ proinde iuxta vulgarem libertatis notionem, omnino videtur cum libertate collidi.

Christus veris præceptis affimatiuis, etiam de subitione mortis, obstrictus.

Quod assumpsi & supposui, præceptum affirma-

tiuum cui Christus subiacebat, quódque exequendo liberè agebat & merebatur, fuisse præceptum propriè dictum, negatur ab aliquibus de præcepto mortem subeundi, in cuius tamen perpessione voluntaria, constitutum præsertim fuisse Christi meritum, est extra controuersiam. Nazianzenus certè orat. 42. *sub medium*, ait, Patrem accepisse quidem Christi sanguinem, non tamen postulasse vt illum funderet. Nec minus perspicuè tale præceptum inficiatur S. Chrysostomus homil. 59. & 68. & 84. in Ioan. & homil. 3. in ad Philipp. Basil. l. de Spir. sancto c. 8. Theophylactus & Euthymius Ioan. 15. & expressissimè S. Anselmus l. de meditat. redempt. gener. human. c. 4. & l. 1. cur Deus homo c. 9. Ex recentioribus Ribera in c. 10. Ioan. ad illud, *hoc mandatum accepi*. Nec putant hi autores se vrgeri vocibus *præcepti*, aut *obedientiæ*, quibus Scriptura plerumque vtitur, agens de crucis subitione & mortis perpessione per Christum: quia sæpè in Scripturis, quæ Deus accidere permittit, habentur tanquam subeunda ex diuino præcepto. Quo pacto Dauid à Semei appetitus, dixit, Deum Semei præcepisse, vt ipsum conuitijs proscinderet. Nimirum ingenijs docilibus, & Deo placere satagentibus, diuina permissio tenet locum præcepti. Et ita præceptum de morte subeunda Christo impositum, intellexit Clem. Alex. 4. strom. Similitérque executio sic latè dicti præcepti, rectè nominari potuit obedientia. Præterquàm quod secluso præcepto propriè dicto, potuit esse in Christo obedientia perfectissima, qualis interuenire censetur

absque præcepto, cum quis præuenit mandatum, & solo nutu accedente, priusquam præceptum interponatur, obtemperat.

IV. Non licet tamen hac ratione difficultatem propositam elidere vel eludere, & declinare. Certum quippe est, Christum, (quod ad difficultatem propositam satis est,) veris aliquibus præceptis & legibus subiacuisse. Id enim saltem de naturalibus præceptis est indubitatum: quia cum natura Christi humana non possit sibi esse regula, necessariò dirigi debuit interuentu legis diuinæ naturalis, mandantis v. g. Deum colere, matrem honorare, & huiusmodialia. Idque non negat Bartholomæus Medina 3. p.q.7.artic.1. vt malè ei tribuit Bened. Iustinian. in c. 2. ad Philipp. v. 8. n. 3. Tantùm enim inficiatus est Medina Christum subiacuisse legi Mosaicę, contra quàm censuit Ioannes Medina q.1. de satisfact. nixus quibusdam scripturis, quę facilè de subiectione voluntaria accipi possunt. At subiacuisse Christum pręceptis naturalibus, & legi ęternę, nec negauit Bartholomęus Medina, nec negare potuit. Imo Christum non fuisse à materna potestate exemptum, pręterquàm in iјs quæ Patris erant, affirmat Salazar in opere de concept. c.30. & in c.8. Prouerb. n.142. pro se referens Maldonatum, & reiiciens contra sentientem Toletum in c.2. Lucæ, annot.84. Nec sanè subiectio erga parentes, quicquam importat ingenuitati contrarium, sed potiùs pietatem cum filiatione connexam.

Pręceptum denique mortem subeundi, fuisse ve-

de prærequisitis ad agendum, cum sit ipsum vltimum causæ complementum.

His argumentis, existimat aduersarius, probari manifestè, non modò determinationem illam virtualem esse commentitiam, sed etiam quamuis admitti posset, non posse Deum ad illam attendere, vt agnoscat quandonam sibi sit cum voluntate creata concurrendum: quandoquidem vt volitio creata sit libera, necesse est, eam priusquam formaliter ponatur, adhuc concipi suspensam, & talem vt possit poni & non poni, quicquid antecedat; quod posita determinatione virtuali tametsi præuia, dici non potest.

Firmatur è contrà, veritas prædictæ determinationis.

XXXVII. Respondeo, dimissis sentibus illis aut rhamnis verborum aculeatorum, quæ muliebre est intorquere vel regerere, doctrinam qua virtualis determinatio asseritur, per seipsam apparere satis credibilem; nec tâtùm esse tolerabilem, sed omnino admitti debere; non denique nimia subtilitate laborare, sed vel mediocribus ingenijs patere eius veritatem & soliditatem posse. Nam quæ tanta ingenij obtusio erit, vt nó percipiat, causam ad plura indifferenté nó priùs posse causare vnum quid quàm indifferétia eius tollatur, & ipsa causa determinetur? Quamdiu enim indeterminata maneret, nihil determinate faceret. Ergo causam liberam, cum sit ad plures effectus indifferens, necesse est determinari, priusquàm vllum eorú producat. Atqui primus actus elicitus, quem passim

cum Scoto vocamus determinationem formalem, est verus quidam effectus voluntatis liberæ, vt per se notum est. Igitur priùs natura quàm producatur, necesse est voluntatem liberam determinari ad illum causandum. Ea autem determinatio causæ ad producendam primam determinationem formalem, cum sit de complemento causæ, teneátque se ex parte eius, ita vt absque illa non intelligatur plenè potens ad causandum, non potest dici esse ipsamet determinatio formalis quæ per causam iam determinatam producitur: Ergo est aliquid anterius; Nempe ipsamet causa libera, quæ cum nunc posset vim suam actiuam applicare ad alium actum oppositum quem ęquè elicere poterat, aut æquè ab vtroque cessare; ipsamet determinat se nunc, id est vltrò se applicat, ad potiùs causandum illum suum omnium primum effectum, ad quem mox iure & priuilegio causæ liberæ, eadem licet manens & immutata, desinet esse determinata & applicata. Et hæc est illa determinatio quam virtualem appellamus, vt à formali secernatur.

Vix porrò puto esse necesse, quæ contra veritatem huius determinationis ab aduersario sunt obiecta, multis depellere. Sunt enim ijs locis quæ superiùs signaui, copiosè discussa, nec noui quicquam proferri video quod alicuius sit momenti, aut quod ferè determinationem illam virtualem legitimè conceptam impetat. Aduersarius enim de ea virtuali determinatione philosophatur, vt de alijs quibusuis formis nó liberis, & vt de actu quodã secũdo meriti ac demeriti capace per se ac seorsim à deter-

minatione formali. Similitérque censet, eam determinationem virtualem terminare causationem aliquam seorsim à volitione. Censet præterea, formalem determinationem posse inhiberi diuinitùs, posita iam determinatione virtuali; quam etiam negat, respectu actuum supernaturalium, debere vegetari per auxlium gratiæ indebitum, ac naturam superans. Ad hæc, totum libertatis exercitium putat contineri ea determinatione virtuali, eámque numerat inter prærequisita ad libertatis negotiationem; cum quibus, vt libertas perstet, debet posse componi non actio. Tandem causam liberam, ea virtuali determinatione per ipsammet posita, censet necessitate deuinciri, nec vltrà gaudere libertate. At hæc omnia falsa sunt, nec nisi adulterinam determinationis virtualis notionem, efformatam ab aduersario produ͂t, vt liquebit legenti quæ citatis locis tradidi. Itaque non est necesse, hanc ferè alterius tractationis parenthesim, longiore in his discutiendis excursione producere vlteriùs.

Per eandem, præsenti difficultati satisfieri, demonstratur.

XXXVIII. Supposita autem veritate determinationis virtualis, classis vniuersa argumentorum aduersarij, quatenus in rem præsentem adhibetur, ad vnum scopulum naufragabit, si dicamus, Deum non videre determinationem virtualem voluntatis, formali eiusdem determinationi præuiam, nisi iuncta & connotata

connotata determinatione formali, ſecutura in poſteriori naturæ; quippe ad quam voluntas ſic ſumpta, ideſt prout actu agens, dicit ordinem eſſentialem, & cum qua eſſentialiter & impræciſibiliter connectitur, ſolo naturæ ordine interiacente. Nolim tamen interiectum illum imagineris, quaſi morulam aliquam intra temporale momentum congeminatam, in qua voluntas ſit vltimo completa & determinata antecedenter, nec dum tamen ſit primus eius effectus: atque adeò in qua, licet cauſa eò vſque deducta, primus effectus inhiberi poſſit: ac denique in qua libertas & meritum exerceantur, ſeorſim ab actu ſecundo qui primùm profunditur in poſteriori naturæ. Hæc omnia ablego ad Deum fabulinum. Supponunt enim ludicram inſtantium naturæ imaginationem, quæ pleriſque in multis imponit, vt benè notarunt Ocham in 1. d. 42. *littera F*, Rada q. de ordine naturæ in diuinis *ad finem*, Manzolis in formalitatibus D. Thomæ c. 7. & Sirectus in formalit. Scoti, artic. 2. principali & 4. partiali, ex Mayronio in 1. Eſt ergo interiectus ille, non niſi dependentiæ & cauſalitatis. Quod aliter dicitur, eam prioritatem eſſe tantùm prioritatem *à quo*, non *in quo*; ſeu eſſe *præſuppoſitionem huius ad hoc*, quamuis nunquam ſit ſimpliciter loquendo, quod prius dicitur, quin ſimul ſit quod poſterius appellatur.

Deus ergo proſpiciens actionem à voluntate exorituram, ſi ſe ſola vt nutus eius ferret, poſſet agere; aut quod eodem recidit; perſpiciens operationem ex voluntate ſecuturam, ſi per ipſum Deum & co-

operationem eius non ſtet, eo ipſo perſpicit virtualem voluntatis determinationem. Introſpicit enim perfectiſſimè creatam voluntatem ac eius genium. Vnde videt quid ipſa in his illíſve circunſtantijs eſſet ſuopte nutu determinatè operatura, ſi poſſet ſe ſola agere, aut ſi ipſe nolit ei deeſſe. Quare conditionibus illis poſitis, quia videt voluntatis genium ac natiuum impetum ferre, vt ſic operetur, eo ipſo videt determinationem voluntatis virtualem ad talem actum, & ad eum cum voluntate coefficiendum ſe applicat. Ex quo perſpicuè ſequitur, hunc poſtremum dicendi modum, planè recidere in primum & ſecundum ſuperiùs expenſos; nec aliud eſſe dicere, Deum vt agnoſcat eſſe ſibi nunc, non ante, vel poſtea concurrendum, ſpectare virtualem voluntatis determinationem; ac dicere, Deum vt agnoſcat quandonam impendere concurſum ſuum debeat, ſpectare quid nunc voluntas faceret, ſi ſe ſola poſſet agere, aut ſi per ipſum Deum non ſtet, velítque ipſe cum ea concurrere.

Permitto nunc lectori iudicium, de gratiarum actione quam Sequanus Theologus Numini habēdam indicebat, pro tandem detecta falſitate receptiſſimi principij quo neceſſitas diuini concurſus ad actus liberos affirmatur. Statuat æquus Lector, iuſtiúſne indicenda ſit cumulata & plena gratiarum actio Numini, quòd liquere plane videatur, verè Iſaiam accidentem Deo, humillimè præter cœtera profeſſum eſſe, *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.*

CAPVT V.

Christi libertatem illata licet face nouæ de libertate sententiæ, æquè tenebricosam & inexpeditam perstare. Lux ei aliunde affusa, prisca notione libertatis retenta.

I.  ITVLVS capitis tricesimi tertij, libri primi, apud autorem, sic habet. *Eadem sententia*, (de libertate per amplitudinem & eminentiam formaliter explicanda, reiecta veteri notione libertatis per indifferentiam ad vtrumlibet,) *inde confirmatur, quod iuxta illam, libertas Christi JESV euidentissimè exponitur, & difficultates in aliorum sententia penè insuperabiles, nullo negotio dissoluuntur.* Eximium planè nouæ huius doctrinæ decus, si per eam euidentissimè discussa caligine quanta omnium hactenus Theologorum ingenia obtexit, fas est euidentissimè tam sublimem veritatem conspicari, & difficultates iuxta priscam libertatis notionem propè insuperabiles, ita complanantur vt non appareant. Sed vt constet quanto iure ista dicantur, operæpretium est quædam breuiter ad ipsius difficultatis nodum percipiendum annotare. Tum quomodò eum dissoluat autor, subijciemus, & excutiemus: & quomodò reuera dissoluendus sit, attingemus. Vnde apparebit, quanta sit ad

hanc veritatem perſpiciendam nouæ ſententiæ opportunitas, vel etiam neceſſitas iuxta autorem.

Nodus de Chriſti libertate, ob eius impeccabilitatem.

II. Præmittendum itaque eſt, Chriſti Domini voluntatem humanam, fuiſſe phyſicè impeccabilem. Chriſtus enim non modò peccatum non habuit, nec iuuentus eſt dolus in ore eius, ſed ne peccare quidem potuit, cum ob exquiſitam directionem cuiuſuis peccati excluſiuam, humanitati ſuæ à Verbo ſuſtentante debitam, tum ratione ſanctificationis ſubſtantialis, qua eadem humanitas Deitatis vnguine delibuta fragrabat. Quod fuſiùs perſequi, alterius eſt inſtituti. Vt neque huius loci eſt expendere, verène autor l. 1. c. 33. n. 3. & 4. contendat, nomine phyſicæ impeccabilitatis Chriſto tribuendæ, comprehendendam eſſe excluſionem poteſtatis cadendi in quemcunque perfectionis defectum.

Sic conſtituta Chriſti impeccabilitate, ſtatuenda pariter eſt vt certa, Chriſti libertas. Non enim hæc duo diſſonare cenſenda ſunt, vel eſſe inſociabilia. *Numquid* ait D. Auguſtinus l. de prædeſt. SS. c. 15. *metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideò in illo non libera voluntas erat; ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſeruire non poterat?* Ex Chriſti merito, libertas eius redditùr indubitata. Meritum enim, vt initio primæ partis huius opellæ pręmiſimus, eſt frutex libertatis. Cum ergo de Chriſti pro nobis merito liqueat, certa quo-

que debet esse eius libertas.

III. Hinc ergo grauissima, & nunquam satis enodata difficultas oritur, circa Christi libertatem ad non agendum quod de præcepto affirmatiuo mandabatur. Ad quam materiam me restringo, quia non potest esse controuersia de materia præcepto negatiuo substrata. Nam circa eam, Christus non habebat paratum concursum diuinum: vnde nec libere agere, nec mereri circa eam potuit, seclusis actibus talis impotentiæ approbatiuis, quos nunc non attendimus, intenti in solos actus directè attingentes materiam negatiuis illis præceptis prohibitam. At circa actus præcepto affirmatiuo indictos, habuit Christus concursum paratum, & libertatem ac merendi facultatem. Vnde existit grauissima illa difficultas quam dicebam. Nam si Christus circa eam materiam liber erat, vt ex eo patet, quod circa eam merebatur; quomodò non poterat ea exercenda abstinere? Atqui abstinendo violasset præceptum affirmatiuum propriè dictum. Ergo vel abstinere non poterat, atque adeò liber non erat; vel si abstinere poterat, obnoxius peccato erat, poterátque eo sordere; contra quam fert physica eius impeccabilitas, quæ proinde iuxta vulgarem libertatis notionem, omnino videtur cum libertate collidi.

Christus veris præceptis affimatiuis, etiam de subitione mortis, obstrictus.

Quod assumpsi & supposui, præceptum affirma-

absque præcepto, cum quis præuenit mandatum, & solo nutu accedente, priusquam præceptum interponatur, obtemperat.

IV. Non licet tamen hac ratione difficultatem propositam elidere vel eludere, & declinare. Certum quippe est, Christum, (quod ad difficultatem propositam satis est,) veris aliquibus præceptis & legibus subiacuisse. Id enim saltem de naturalibus præceptis est indubitatum: quia cum natura Christi humana non possit sibi esse regula, necessariò dirigi debuit interuentu legis diuinæ naturalis, mandantis v. g. Deum colere, matrem honorare, & huiusmodi alia. Idque non negat Bartholomæus Medina 3. p. q. 7. artic. 1. vt malè ei tribuit Bened. Iustinian. in c. 2. ad Philipp. v. 8. n. 3. Tantùm enim inficiatus est Medina Christum subiacuisse legi Mosaicę, contra quàm censuit Ioannes Medina q. 1. de satisfact. nixus quibusdam scripturis, quę facilè de subiectione voluntaria accipi possunt. At subiacuisse Christum pręceptis naturalibus, & legi ęternę, nec negauit Bartholomęus Medina, nec negare potuit. Imo Christum non fuisse à materna potestate exemptum, pręterquàm in ijs quæ Patris erant, affirmat Salazar in opere de concept. c. 30. & in c. 8. Prouerb. n. 142. pro se referens Maldonatum, & reiiciens contra sentientem Toletum in c. 2. Lucæ, annot. 84. Nec sanè subiectio erga parentes, quicquam importat ingenuitati contrarium, sed potiùs pietatem cum filiatione connexam.

Pręceptum denique mortem subeundi, fuisse ve-

rum præceptum poſitiuum Chriſto impoſitum, communior eſt Patrum ſententia, quam Iuſtinia. v. illo 8. n. 5. fuſiùs confirmat, & accuratè Toletus in c. 10. Ioan. annot. 14. Imo S. Anſelmus qui pręceptum hoc poſitiuum inficiari videtur, difficultatem relinquit planè integram; cum non obſcurè tradat loco allegato, c. 8. & 9. Chriſtum ex præcepti charitatis naturali obligatione, ad tantam noſtram ſpiritualem miſeriam vitæ ſuæ temporalis, tametſi pretioſiſſimæ, diſpendio reparandam, aſtrictum fuiſſe mortem pro nobis ſuſcipere, quod id ſciret eſſe vnicum medium ad ſubleuationem extremæ neceſſitatis qua omnes laborabamus. Et quanquam veriſimile eſt vtrumq; præceptum hîc concurriſſe, tamen ad rem præſentem ſatis eſt, interueniſſe præceptum poſitiuum; & quidem verum & propriè dictum, quale inſinuant plurimæ ſcripturæ, & quale importari videtur per obedientiam, quę dicitur in eius executione interueniſſe.

Quod ſi verum præceptum fuit, non potuit deſtitui vi ad culpam obligante, & ſe habere ad modum legis purè pœnalis, vt de quarundam religionum regulis affirmat Bellarm. l de leg. c. 11. & Suarez 5. de leg. c. 4. & à quibuſdam, de præcepto quod expendimus pronunciatum eſt. Sed non rectè. Nam hoc eſt dicere, non fuiſſe verum præceptum, ſed tantùm monitionem, aut directionem, vel certè cōuentionem de ſubeunda pœna ſi hoc aut illud admiſſum fuerit: ſubeunda inquam, non per modum pœnæ propriè dictæ, quæ ſupponeret culpam &

obligationem

obligationem ad eam, sed per medium incommodi: ita vt quamuis de subeundo tali incommodo possit dari verà lex verúmque præceptum, non tamen de exequendo opere ob cuius prætermissionem irrogatur tale incommodum. Cum ergo toties scripturæ, moriendi præceptum Christo impositum, & eius obedientiam celebrent, frustra fingitur hoc præceptum simile fuisse legibus purè pœnalibus, quæ verè non sunt leges. Præterquàm quòd violationi huius legis, nulla alicuius incommodi irrogatio respondisset, distincta à morte de qua lex ferebatur. At in legibus purè pœnalibus, tale aliquod incommodum distinctum à legis materia, est assignandum, vt fert ipsa vox *legis pœnalis*.

Duplex nodi propositi implexitas.

V. Itaque difficultas proposita non potest declinari inficiatione verorũ aliquorũ præceptorum ad culpã obligantium quibus Christus subiacuerit. Quo constituto, difficultas illa potest ex duplici capite vrgeri, sicut Christi impeccabilitas ex duplici capite oritur nempe vel ex vnione hypostatica, vel ex visione beatifica. Sed primum caput, non est adeò explicatu difficile. Quia non obstante vnione hypostatica, attentóque præsenti modo quo Deus ad extra se habuit erga humanam Christi voluntatem, facilè intelligi potest, quomodò Christus liberè impleuerit præceptum impositum. Potuit namque Christus eius adimpletione abstinere, spectato eo proceden-

di modo quem Deus de facto cum eius voluntate humana tenuit; non adigens eam, sed tantùm sollicitans per auxilia congrua, quia præsciebatur eis consensura, & paritura præcepto abque adactione. Tali quippe motioni diuinæ resisti potest, ideóque quantum est ex isto capite salua fuit Christi libertas, simúlque illæsa mansit impeccabilitas, quatenus Deus si præuidisset voluntatem Christi fuisse motionibus congruis restituram, interposuisset manum robustam, quæ adegisset parere præcepto, & declinare peccatum. Quod est dicere, Christum hoc solo capite spectato, fuisse liberum; non tamen futurum fuisse liberum, si Deus per scientiam mediam prænouisset, effectum non fuisse secuturum absque motione ineluctabili libertatem pessundante, eámque interposuisset: vt certissimè fecisset, ad auertendam à Christo culpam.

Alterum ergo difficultatis caput, acriùs pungit. Nam beatus amat Deum super omnia, & quidem necessariò, ac ex suppositione antecedente voluntatem beati. Cum illa autem dilectione super omnia, vniuersum voluntatis affectum exsugente, cámque prorsus abripiente incompossibilis est violatio præcepti affirmatiui de quo agimus. Quomodò ergo dici potest, obseruationem eius esse liberam & meritoriam? Id enim circa primum caput inde expediebamus, quod non obstante vnione hypostatica, attentóque modo quem Deus reipsa cum Christo seruauit, Christus non adigebatur seruare præceptum; tantúmque proponebatur adigendus, nisi præui-

ſus fuiſſet conſenſurus motioni congruæ repudiabili. Vnde eo tantùm capite ſpectato, quamuis Christus benè ageret indefectibiliter, tamen liberè implebat præceptum, & ſolo illo modo ſpectato quem de facto Deus cum eo tenuit, (non autem eo quem tenuiſſet, ſi præuiſus fuiſſet non obediturus,) potuiſſet legi non obſequi. At ſpectato hoc ſecundo capite, ea reſponſio præcluditur: quia obſeruatio præcepti, eſt neceſſariò coniuncta cum amore Dei ſuper omnia, conſequente viſionem: ita vt non minus neceſſariò ſequatur ad amorem illum Dei obſeruatio diuini cuiuſuis præcepti, quàm ad efficacem finis intentionem, ſequatur electio mediorum quæ ſunt ad manum. quomodo ergo Chriſtus, in adeò neceſſaria præcepti affirmatiui obſeruatione, liber fuit? Vviclefus ſanè apud Vvaldenſem l. 1. doctr. c. 25. n. 9. abiecit haſtam, profeſſus Chriſtum eſſe paſſum neceſſitate, non libertate.

Iudicium de anteriorum enodationum reiectione per aduerſarium.

VI. Hîc aduerſarius contra priſcam libertatis notionem conclamat. Vix enim, ac ne vix quidem, iuxta eam conſtare poſſe putat, quomodò Chriſtus ſit liber circa materias propoſitas, cum tamen certum ſit fuiſſe circa eas liberum. Idque ex magno Dyoniſio pro more copioſè ac profundè confirmat l. 2. c. 9. Propoſitis ergo capite illo 33. libri primi, varijs modis iam olim propoſitis enodandi hanc difficulta-

rem, supposita prisca notione libertatis, in nullo conquiescit; questus quòd *dum in hac controuersia quisque studet primas suas cogitationes & inuentiones defendere, potiùs quàm emendare; & sese tutari aduersus contra sentientes, mirum quàm multa, & inutilia, & à vero aliena, à multis proferantur.* Cuiusmodi in primis esse ait, quod aliqui dicunt, substantiam operum Christo præceptorum fuisse ei necessariam; circumstantias tamen, eo quòd præceptum in eas non caderet, liberas remansisse. Nec aliter statuit, de eo quod alij dicunt, liberum fuisse Christum, quia actu reflexo approbauit actus quos non poterat non præstare, sic apud se statuens: Etiam si possem Patris præceptum prætergredi, vellem tamen illud seruare, idque nunc fixum habeo. Eodem loco habet, quod dicunt alij, Christum fuisse liberum, quia in primo momento quo innotuit illi voluntas Patris, non iubens, sed merè proponens æterna de hominum redemptione consilia, vltrò & volens acceptauit quod poterat refugere. Tádem omnium maxime subsannat postremum modum quo aliquos vsos refert, asserentes Christum fuisse liberum, quia varij numero actus interni quibus acceptari poterant Patris mandata, potestati Christi permittebantur; ita vt quamuis vno aliquo eorum non posset non acceptare iussa Patris, potuerit tamen vel hac interna actione, vel alia numero dumtaxat distincta, id præstare. quas autor num. 6. ait esse ineptias, & longa declamatione eas exagitat.

Quidquid verò sit de refutatione anteriorum di-

cendi modorum ab autore adhibita, quæ quanti sit, poterit ex dicendis constare; postremus modus dicendi quem retulit, iure ab eo suffixus fuisset, si alicuius reuera esset. Et quamuis inuenisse eum dicendi modum videri possit Gamachæus; tamen vtcunque sonent verba, sensus eius longè alius fuit; & ab autore, qui Gamachæum agnoscit Magistrum, longè alio sensu accipitur. Coniectura ergo est, autorem vt haberet quomodò vim dicendi suam effunderet, quod fecit hoc loco copiosè, grauissimis Doctoribus, intérque eos Sancto Thomæ, cuius planè est is modus dicendi, affinxisse ineptias. Qui enim Christi libertatem exponunt per potestatem ad varios actus internos, non adeò ineptiunt, vt agant de potestate ad actus numero tantùm differentes, quæ verè ab autore dicitur *euanida, & ingloria prælectio, nullius omnino ponderis, nullius laudis:* sed agunt de potestate ad varios actus internos, substantialiter distinctos in genere moris, v. g. de volitione moriendi ex motiuo iustitiæ, vel ex motiuo charitatis, aut obedientiæ. Quæ est illa ipsa via expediendi hanc difficultatem, quam inijt S. Thomas 3. p. q. 18. artic. 4. ad 3. cum dixit, Christum fuisse liberum, quia voluntas eius licet esset determinata ad bonum, tamen non erat determinata ad hoc vel illud bonum. Itaque non fuit quòd aduersarius in responsionem prædictam tantoperè excandesceret. De alijs plerisque rationibus inidoneis eandem difficultatem elidendi, quas autor missas fecit, tametsi non minus essent probabiles quàm quas adduxit, non est quòd pro-

nunciem: quia hîc non tam de hac difficultate, omnibúsque modis eam euacuandi disputamus, quàm possitne duntaxat legitimè exhauriri, eo modo quem iuxta nouá de libertate sententiá autor iniuit.

Enodatio aduersarij per nouam libertatis notionem.

VII. Ait igitur c. illo 33. n. 7. & seqq. Christi libertatem frustra quæri in indifferentia ad agendum & non agendum, siue in indifferentia ad multa: sed in eo potiùs, quòd voluntas adhæreat vni in multis, fini inquam vltimo in medijs: vnde oritur sublimitas & dominatio respectu huiusmodi mediorum, quibus voluntas non alligatur nisi prout finis ordo deposcit. Ex quo fit, vt quo maior & firmior est adhæsio ad finem, siue ad Deum, eo perfectior sit libertas. Atqui Christus perfectissimè inhæsit Deo à quo nulla vi auelli potuit, fuítque ita à creaturis solutus, vt illis absolutè ac secundùm se non inhæreret, sed Deo in illis, siue iuxta Dei ordinationem & beneplacitum, quæ est indifferentia erga eas seruato ordine finis. Fuit igitur liberrimus, etiamsi absoluta agendi & non agendi indifferentia destitueretur posita diuina ordinatione de sic vel sic agendo, v. g. de morte subeunda. Quamuis enim semota diuina ordinatione posset mortem defugere, tamen ea supposita, oportuit illum mori. Neque tamen temerata inde est eius libertas, quia quãuis necessitas quæ proficiscitur ex subiectione ad inferiora, libertaté excludat; at nó necessitas quę oritur ex subiectione & ad-

hęsione ad Deũ; cũ creatura quãto est Deo subiectior, tanto sit liberior, ex Aug. epist. 89. Existimat porrò autor, hanc fuisse sententiam D. Tho 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. cum ait, Christum fuisse determinatum ad bonum, sed non ad hoc vel illud bonum. q. d. fuisse determinatum ad Deum, sed non ad creaturas absolutè ac secundùm se; (sic enim ad eas erat indifferẽs,) at determinatum ad eas fuisse quatenus Dei ordinatione continebantur. Eandem sententiam ait esse omnium discipulorum D. Thomæ, itemque Philippi Gamachæi, qui Christum dixit fore liberum, quantumlibet omnia eius opera, & operum circumstantiæ omnes, essent à Patre determinatæ, dummodò non esset intrinsecè determinatus ad vnum, hoc est ad creaturas. Denique idem tribuit Ioanni Puteano, eo quòd dicat, Christum potuisse non mori quantum per obedientiam licebat.

Est planè inanis.

VIII. Non est quòd in huius doctrinæ inanitate demonstranda multus sim. Nititur enim fundamento apertè nullo; nempe notione noua libertatis, quam in superioribus satis disiecimus, monstrauimusque non cohærere cum ea libertatis vertibilitate in vtramque partem, quam Scripturæ, & omnes retrò DD. ac PP. agnoscũt. Mirabile verò est autoris de lectorũ ingeniis iudicium, quibus persuadere se posse credidit, S. Thomam in ea fuisse sententia, vt per determinationem Christi ad bonum, quam admit-

tit cum indeterminatione ad hoc vel illud bonum, intellexerit determinationem ad finem cum indeterminatione ad media: siue determinationem ad Deum, cum indeterminatione ad creaturas, quas S. D. expresserit per *hoc & illud*. Cum tamen tam perspicuè D. Thomas, per determinationem Christi ad bonum, designarit eius impeccabilitatem, qua non nisi benè ac honestè agere poterat, quamuis in potestate eius esset agere vel non agere, vnde hoc aut illud particulare bonum resultat, & ideò iuxta D. Thomam liber esset. Adhæserunt de more sancto Doctori omnes Thomistæ, quos aduersarius per auxesim supra Olympum exaggeratam, nouitatis suæ patronos laudat.

Tam porrò libera est aduersario vocum vsurpatio, vt qui apud D. Thomam, per determinationem ad vnum, intelligi vult determinationem ad Deum cum libertate cohærentem, mox apud Gamachæum nomine determinationis ad vnum, intelligi velit determinationem ad creaturas, exclusiuam libertatis. Ita enim commodum erat, vt Gamachæo præceptori illuderetur, & simplici lectori fucus fieret, dum non suspicatur esse recèns cusam opinionem, quæ grauis illius Theologi nomine venditetur. At is tantum abfuit ab hac nouitate, vt ne per somnium quidem de ea cogitarit vnquam. Nam libertatem Christi disertè 3. p. q. 18. conclus. 2. exponit eo modo quem Sancto Thomæ attribuimus. Libertatis verò antiquam notionem, approbat distinctissimè & explicatissimè 1. 2. loco superiùs prolato: eóque nomine

ne ibidem q. lxi. c. 6. explodit physicam voluntatis prædeterminationem per gratiam efficacem, quod posita ea prædeterminatione, ruere dicat flexilitatem voluntatis in vtramque partem, atque adeò etiam libertatem quæ tali flexilitate constituitur. Quare miranda est aduersarij libertas in allegando pro se Gamachæo. Nec aliter de Puteano dixerim. Quod enim ait, Christum potuisse non mori quatenus per Patris obedientiam licebat, ego quoque profiteor; quamuis mihi in mentem non veniat insinuare aduersarij sententiam. Nulla igitur lux, ab aduersario, Christi libertati illata est.

Vt autem liquidò constet, libertatem Christi posse commodè intelligi retenta prisca notione libertatis, nec nouam de ea sententiam esse necessariam vt Christi libertas intelligatur, exquirenda breuiter est germana dissolutio nodi initio propositi circa Christi libertatem.

Legitima enodatio.

IX. Aio igitur, Christum in quibusuis præceptis affirmatiuis, & nominatim in præcepto de morte subeunda, liberum fuisse; quia quamuis generatim astringeretur ad obediendum, tamen & substantia actus, & circumstantiæ obseruationis præcepti, & nominatim tempus executionis, itémque intensio & motiuum volendi, permittebantur potestati Christi: Et quod permagni refert, Christus spectata iustissima Patris voluntate & necessitate nostra,

ita affectus erat, vt cognoſcens ſe ad id præcepto aſtringi, valdè gauderet; vt ijs contingit quos barbarè dicimus *facere de neceſsitate virtutem*. Atque ita ex tribus capitibus peto integram reſponſionem, quam plerique ex vno duntaxat petunt.

Nam S. Thomas 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. & q. 29. de verit. artic. 6. ad 10. Vaſq. 3. p. d. 74. c. 5. Moncæus diſp. 9. ſelecta c. 10. Val. t. 3. d. 1. q. 19. p. 2. Becanus c. 13. q. 2. Albertinus 5. princ. compl. coroll. 3. n. 24. & 25. & Herice 1. p. d. 24. n. 40. idcirco cenſent Chriſtum fuiſſe liberum in obſeruandis præceptis affirmatiuis, quia quamuis in genere determinatus eſſet ad bonum, tamen non erat determinatus ad hunc vel illum modum operationis: quatenus ſubſtantiam actus quem neceſſariò exercebat, (neceſſariò enim volebat mortem præceptam,) poterat elicere ex motiuo charitatis in nos, aut in Deum, vel ex motiuo iuſtitiæ, alióve aliquo non cadente ſub præceptum. Neque enim motiua virtutum præcipiuntur, ſed tantùm actus earum materiales. Nam v. g. ſeruus cui aliquid mandatur, non tenetur illud exequi ex motiuo obedientiæ: ſed dummodò rem præceptam exequatur, ſatisfacit præcepto & iuri mandantis, quodcunque tandem motiuum adhibeat. Quia ergo motiuum fuit Chriſto liberum, actus quoque interior qui ex motiuo deſumitur, fuit liber Chriſto, qui potuit vel ex hoc vel ex alio motiuo agere, ac proinde vel vnum vel alium internum actum eliccere. Non dico vnum vel alium indiuidualiter, (quod ad libertatem impertinens eſt, & veriſimilius eſt

pendere à ſolo Deo:) ſed vnum vel alium ſpecificè, quatenus liberum erat Chriſto, velle mortem pati ex hoc aut illo motiuo, ac proinde producere actum internum in hac aut illa ſpecie. Vnde quia actus interior facit vnum moraliter actum cum externo, in quem refundit ſuam libertatem & moralitatem, certè intelligitur, actum externum Chriſti prout ſubſtantem volitioni internæ liberæ quoad motiuum, fuiſſe quoque libertate aliquo modo perfuſum. Et hæc quidem non malè DD. prædicti.

X. Verùm niſi addamus libertatem circa intenſionem actus interni & externi, itémque circa circumſtantias temporis, & loci, & perſonarum mortem inferentium, modi quoque quo irroganda erat, & aliorum huiuſmodi: niſi item addamus libertatem circa ipſum exercitium atque ſubſtantiam externæ obſeruationis præcepti affirmatiui, habebimus libertatem valdè diminutam; nec maiorem quàm ſit libertas in ægro, qui cum grauiſſimo morbo conflictatur, reſpectu perpeſſionis morbi illius. Neq; enim mortis perpeſſio componit vnum moraliter actum cum interna voluntate mortem ſubeundi, ſed ad eam ſe habet tantùm obiectiuè: perinde ac morbus ad internam volitionem ægri patienter eum excipientis. Sicut ergo æger non dicitur liberè pati morbum, eáque perpeſſio non eſt illi libera quoad ſubſtantiam, quamuis motiuum internum quo morbú patienter tolerat, ſit ei liberum, ac proinde etiam actus interior: Ita Chriſtus non diceretur liberè paſſus mortem, ſi ipſa mortis ſubitio quoad ſubſtan-

tiam suam, non fuisset Christo libera: sed ad summum habuisset diminutam aliquam libertatem pertinentem ad solum actum interiorem, non autem ad externam perpessionem: quam tamen fuisse liberam Christo, docent Scripturæ quibus docemur Christum fuisse oblatum, quia ipse voluit; & in ipsa morte obediuisse, & posuisse pro potestate animam, nemine eam tollente ab ipso. Annuunt PP. nominatim S. Chrysostomus hom. 28. ad Hebr. ad illud, *proposito sibi gaudio*, & hom. 59. & 84. in Ioan. S. August. 9. Trinit. c. 13. & Hieron. in c. 53. Isaiæ ad illud, *oblatus est quia ipse voluit.*

XI. Quare admittendum est, non modò volitionem internam fuisse Christo liberam quoad speciem actus, (quod vnum importatur responsione nunc proposita) sed etiam fatendum est, liberam fuisse quoad exercitium. Item admittendum est, substantiam perpessionis suppliciorum, & quarumuis obseruationum quibus præceptum affirmatiuum implebatur, fuisse Christo liberam: quatenus Christus actum, quem ex aliquo motiuo operari tenebatur, operabatur ex motiuo à se delecto, & in ea intensione operabatur qua volebat, & eo tempore quo non obligabatur operari. Quod non tantùm valet pro præceptis positiuis, sed etiam pro naturalibus: habent enim ferè omnia tempus aliquod indeterminatum, ita vt non nisi aliquando, & vagè, ad eorum obseruationem astringamur. Vnde Christus præueniendo tempus illud, & operando priusquam vrgeretur vi præcepti mox violādi, habebat plenam

libertatem in obseruatione eius anticipata. Valent verò hæc multo magis pro præceptis positiuis, & nominatim pro præcepto de subeunda morte Deus enim non præfixerat Christo diem & horam mortis, & personas illam illaturas: sed tantùm præceperat, vt cum id iudicaret conuenire, subiret mortem ab impijs inferendam; ita vt non cùm primùm impij vellent, sed cum ipsi Christo placeret, inferenda esset. quod habetur ex plerisque locis, quibus docemur Iudęos frustra conatos esse Christum opprimere, *quia nondum venerat hora eius*. Verè *eius*, idest, ab ipso delecta, vt acutè vidit Caietanus Ioan. 19. Et hoc quoque pacto valet, quod Christus dixit potuisse se petere & impetrare legiones Angelorum quibus à morte tunc inferenda eriperetur, si eius perpessionem voluisset tunc differre. Hoc itaque modo, ipsa perpessionis admissio, libera est in seipsa, licet in communi esset necessaria, vt dixit D. Thomas: hoc est, licet moriendum aliquando esset Christo vi præcepti de subeunda morte. Nec tantùm habemus libertatem actus interni, (quæ aliqua sanè libertas est & meritoria,) sed libertati illi actus interni, iungimus libertatem externæ perpessionis, quatenus libera esse potest; nimirum quatenus pro tunc admittitur, cum tali tempore & tali modo illata, posset repelli.

XII. Ad pleniorem verò libertatem, & plenius meriti in Christo fundamentum, addi præterea potest cum Almaino in 3. d. 16. *sub finem*, Christum præter voluntatis actum suprà expositum, persæpe

insuper elicuisse actus aliquos reflexos, quibus etiãsi prior ille actus esset omnino necessarius, potuisset non parum mereri. Eiusmodi actus sunt, approbatio & gaudium quòd diuina gloria esset promouenda eliciendo talem actum pręceptum. Hi enim actus reflexi sunt liberrimi, & honestissimi, & ad illam ipsam virtutis speciem spectant ad quam subiecta materia eos trahit, v.g. si agatur de praecepti executione, eáque statuatur indeclinabilis, gaudere quod praeceptum sit indeclinabiliter & necessariò exequendum, est actus obedientiæ: fit enim ex affectu honestatis obedientiæ; quamuis illa executio, de qua est gaudium, non sit formaliter honesta, siue honestate obedientiæ, siue alterius virtutis, cum supponatur non esse libera. Sic ergo Christus Dominus quamuis ob interpositum præceptum, mortem necessariò subijsset, adhuc tamen potuisset mereri per actum internum, pertinentem ad obedientiam, quo liberè gauderet de imposita lege subeundæ mortis ad curandam redemptionem nostram, iuxta illud, *Propter hoc lætatum est cor meum.* &, *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.*

Nullus vsus nouæ libertatis ad hanc difficultatem.

Iudicet Lector, an expositio libertatis Christi per veram indifferentiam actiuam, fuerit aduersario desperanda: & an modus nouus, Christi libertatem explicandi, quem solus ipse, omnibus retro Doctoribus abiectis, iniuit, eo nomine fuerit confirman-

dus, quòd absque eius subsidio, inexplicabilis, & insuperabilibus difficultatibus obsepta sit Christi libertas. Præterea verò expendi velim, an non aduersarius omnino cogatur idipsum affirmare quod affirmaui: Certum enim est, Christum circa rem præceptam v. g. circa mortis perpessionem, aliquid præstitisse quod poterat non præstare, vel aliter præstare. Quod ferunt loca quibus Christus prodit se volentem offerri, & ponere animam suam auferente nemine. Et idem habetur ex laudabilitate & merito operum Christo præceptorum. Meritum autem & laudabilitas actus, consistit in eo quod aliquid nostrum ad actum contulerimus, quod potueramus non conferre; saltémque non eo modo. At præstitisse Christum, quod non præstare vel aliter præstare poterat, hoc ipsum est, habuisse indifferentiam actiuam, & vulgarem libertatem.

CAPVT VI.

Libertatem diuinam nihilo expeditiorem esse per nouam sententiam de natura libertatis. Aliter tamen expediri non incommodè.

1. HIC aduersarius antiquam de libertatis notione doctrinam miseratur, in qua necesse planè sit circa Dei libertatem cœcutire; cum tamen ipse per nouam libertatis notionem, non modò libertatem Dei quoad externa opera apertè explicet, ac citra laborem, (quod omnibus hactenus frustra connisis præstat l.2 c. 4. 5. 6. 7. 8. rursúsque capite 10. & 11.) sed etiam quod nemo hactenus vel cogitatione conceperat, diuinam libertatem respectu processionum immanentium perspicuè exponat lib.2.c.2.& 3. Verùm nos, de libertate Dei ad processiones internas, nihil hoc loco addemus ad ea quæ superiùs adducta sunt, excutiendo næuos nouæ doctrinæ: quia cum hæc sententia sit autori planè singularis; (Scotus enim, & si qui alij solam processionem Spiritus Sancti dixere liberam, vsurparunt liberum pro voluntario,) non potest noua de libertate sententia inde confirmari quòd alioqui certa & recepta sententia de libertate Dei ad intra, difficultatibus insuperabilibus sit premenda; nisi

subsidio

ſubſidio nouæ ſententiæ liberetur: quod iactari & obtendi poteſt, circa libertatem Dei reſpectu actionum externarum, indubitatam & ratam apud omnes. Hoc igitur loco, quo huiuſmodi indirectas nouæ de libertate ſententiæ probationes excutimus, opportunè in id inquiremus.

Quomodò liber Deus, iuxta aduerſarium.

II. Deum itaque autor l. 2. c. 4. n. 2. idcirco ſtatuit eſſe in externis ſuis actionibus liberrimum, *quia à ſua nequaquam amplitudine diſcedit, nec ab alio quoquam cietur ſeu principio ſeu fine, ſed ſola ſua bonitate inuitatur & impellitur.* Probat hoc ex iactis de libertatis natura principijs; quia cum liberum illud ſit quod ampliſſimè patet, & nullis omnino limitibus circunſcribitur, operari autem ſequatur eſſe, illud dicetur in operando liberum, quod vel ad ſummam amplitudinem tendit, vel in ea commoratur & conquieſcit. Deus autem huiuſcemodi eſt in operando. Procedit enim ad actus ſuos externos, non aliunde impulſus quàm à ſola ſua bonitate. Quare nullas ibi anguſtias patitur, nullis arctatur finibus, eſtque proinde liberrimus. Confirmat hoc autor c. 5. 6. 7. 8. autoritate D. Dionyſij, qui vbique celebrat amorem Dei, tanquam terminatum ad Deum propter ipſum; ad alia verò, non niſi propter Deum. Eo enim tandem reuoluuntur quæcunque tot capitibus apud autorem ex S. Dionyſio expaſſa proſtant. Eiuſdem ſententiæ libro 2. c. 10. & 11. contendit eſſe S. Thomam;

quia ait, radicem diuinæ libertatis esse immateriali-tatem. Item quia iuxta eum, Deus est sibi beatitudo sua, proindéque vult necessariò seipsum: creaturas quia ad eius beatitudinem non pertinent, non vult necessariò, sed liberè & cum indifferentia. Tandem quia S.D. agnoscit in Deo iudicium indifferens de mutila & potentiali bonitate creaturarum, ratione cuius non determinatur ad illarum amorem, sed est ad illas amandas & non amandas, creandas, & non creandas planè indifferens, atque adeò liber.

Non est ad rem ea resolutio.

III. Hæc quo propiùs considero, eo mihi in ea aptiùs videntur cadere quæ lego apud Hieronymum epist.61. Vetus narrat historia. *Quidam cum disertè diceret, ferretúrque impetu ac volubilitate verborum, causámque omnino non tangeret, prudens auditor & iudex; Benè inquit benè, sed quò istud tam benè?* Planè benè habent quæ autor profert de Deo immenso, séque in omnibus creaturis amante. Quid tamen hęc tam benè dicta, ad rem de qua agitur?

Esse sanè Deum suorum quorumuis externorum actuum finem vltimum, nec aliunde quàm à bonitate sua propelli ad operandum, extra controuersiam est: quia quamuis Deus ipse fine careat, habet tamen operationis suæ externæ finem aliquem. Quinetiam tamètsi vt probaui in Natur. Theolo. dist. 1. num. 18. internæ volitionis qua exterior actio indicitur, finem assignare non liceat ob interni illius

actus independentiam; fas tamen est, assignare rationem eius aliquam, quantumcunque in id magna austeritate concitetur aduersarius l. 2. c. 22. n. 14. Ea verò ratio volendi, est secundùm rationem causa diuinæ volitionis, ita vt vna diuina actio maneat ad aliam, sitque ratio eius. Quod rectè statuit Durandus in 1. d. 41. q. 2. n. 5. & ibid. Maior. q. 1. Suarez t. 1. 3. p. d. 41. s. 4. & l. 2. de prædest. c. 22. & cum plerisque alijs Didacus Ruis disp. 15. de volunt. Dei, sect. 3. Et potest quidem creatum aliquod bonum, fungi proximè munere rationis volendi, & causæ secundùm rationem respectu diuini actus interni: tamen vltima ratio semper est diuina bonitas, quæ Deum impellit, quoties ad aliquid extra se volendum aut causandum fertur. Hoc igitur est extra controuersiã.

Sed quid inde ad probandum, quòd libertas Dei circa processiones temporales & externas, sita sit in illa adhæsione Dei cum seipso, quoties operatur aut amat aliquid? Quid item inde ad probandum, quòd libertas diuina erga creaturas, non possit ac debeat, proportionaliter ad vulgarem notionem libertatis creatæ, intelligi de indifferentia ad terminationem diuini actus, vel non determinationem ad creaturas liberè à Deo volitas? Item quàm nihil conferunt hæc omnia, ad monstrandum quod mõstrandum fuerat: nempè quomodò potuerit Deus velle propter se condere bona creata, aut ea intra nihili abyssum mersa dimittere? Quomodò inquam idem diuinus actus volendi, necessarius quoad esse suum, potuerit ferre Deum & ad dandum esse rebus,

quo verè eum propulit, & ad negandum si libuisset? Hoc sanè erat quod monstrandum aduersario fuerat; non autem exspatiandum in multa & prolixa S. Dionysij & S. Thomæ testimonia, quibus affirmatur id de quo non quæritur; quod autem quęritur dimittitur intactú: quasi idem sit difficultates enodare, & noua placita solidè stabilire, quod paginas implere.

Difficultas præsens in quo sit, & quanta.

IV. Ego, vt liqueat celeberrimam difficultatem de diuina libertate circa processiones externas, non agere subsidio nouæ sententiæ de natura libertatis, illud primùm aperiam quod ad hanc rem vniuersam pernecessarium est; nempe in quo situs sit præcipuus difficultatis nodus. Tum dimissis placitis variorum quæ alibi plenè discussi, & breuiùs tametsi quantum satis est, in Natur. Theol. dist. 8 à n. 76. ad 85. subijciam modum enodandi quem arbitror legitimum. Eo autem benè perspecto, constabit, nihil fuisse necesse ad exponendam vel tuendam diuinam libertatem circa externa opera, nouam libertatis notionem confingere, sed habere quoque in Deo locum, indifferentiam illam penes quam communis sensus semper tulit, exponendam esse libertatem. Tametsi aliter spectanda sit in Deo ea indifferentia, quàm in nobis.

Nodus ergo circa Dei libertatem quoad externas eius actiones, in eo situs est, quod cum sit indubitatum esse in Deo volitionem propriè liberam, idque

multæ Scripturæ & Patres infinities prodant, ac etiam naturalis ratio euincat, vt præter cœteros videre est apud Bellarminum lib. 3. de grat. & lib. arbit. c. 16. tamen non videatur posse satis percipi, in quo sita sit ea volitionis diuinæ libertas. Nam volitio Dei, cum sit essentialiter actus infinitus, & ens à se, non potest esse, & non esse. Præterquàm quod diuina immutabilitas, quæ non minùs ex Scripturis & ex rationibus naturalibus rata est quàm diuina libertas, eam vicissitudinis capacitatem excludit. Atqui quisquis liberè vult, idcirco videtur liberè velle, quia potest non velle; sin minus abiiciendo actum volendi semel formatum, at saltem eum non eliciendo priusquàm sibi eum imprimat. Ergo cum Deus ea circa suum internum actum potestate destituatur, propter essentialem omnium quæ in Deo sunt necessitatem essendi, non videtur agnosci posse libertas vlla in diuino actu interno: cum tamen planè sit in eo agnoscenda, posito quod reuera competat Deo. Nam inde oportet eam refundi ad externos actus, si eam reipsa participant.

Tanta huius nodi implexitas est, vt quod prologuio 1. tetigi, aliqui ad eum dissoluendum, adacti fuerint proferre multa parum Deo digno, vt Caietanus 1. p. q. 19. artic. 2. alij blasphema & horribilia vomuerint, vt nuperus apud Batauos Atheismi Magister, Conradus Vorstius disp. 6. de Deo, propos. 36. & 37. & in notis ad illas propositiones. & c. 9. ac 10. exegeseos, quibus & alijs locis, vt hanc difficultatem extricet, Deum statuit potentialem, & obno-

xium nouis accidentibus ei ex tempore aduenientibus, & decedentibus. Alij inexplicabilem esse hanc difficultatem ingenuè professi sint, vt Vasquez 1. p. d. 80. n. 9. & 13. ac Pennotus l. 4. propugnac. libert. c. 2. n. 9. Plerique omnes ea dixerint, in quibus intellectus ægrè acquiescat: adigántque ad submissè ac humiliter profitendum Deo cum S. Hilario l. 12. de Trinit. sub finem, *non præiudicat de te sensui meo, naturæ nostræ infirmus imperfectúsque sermo, vt fidem intra silentium strangulet eloquendi inopia.* Omnino verè. Nam fidem diuinæ libertatis, certam & inconcussam tenemus Catholici. Eam tamen vel apud nos ipsos interno sermone eloqui, vel profani apud alios, tenuitate nostra prohibemur.

Affinis difficultas in humana libertate, quomodo enodetur.

V. Sensum meum hac in parte, & quid minus incommodè dici posse censeam, aperui iam pridem in Natur. Theol. dist 8. à n. 85. quibus affinia sunt quæ postea legi apud Salazarium in opere de conceptione cap. 24. §. 3. tota sect. 3. Constare autem ex illis puto, non aliter exponendam esse diuinam libertatem, quàm nostram quoad primum actum elicitum; & easdem ferè difficultates vtrobique enodendas occurrere. Vnde sicut libertatem nostram non reuocamus in dubium, ita multo magis ambigendum non esse de diuina libertate, quam supra captum nostrum longè altiùs efferri quàm libertatem creatam,

nemo non videt esse congruentissimum.

Duos igitur secerno in humana voluntate effectus liberos. Prior est, interna determinatio seu volitio, quæ me formaliter reddit volentem aut nolentem, determinátque formaliter ad vlteriores actus. Posterior est, actio externa quæ vi determinationis illius internæ indicitur, habétque refusam ab interno illo actu libertatem. Cum autem posterior hæc actio se habeat merè vt effectus libertatis, latè sumpta voce *effectus*, prout scilicet complectitur quicquid efficienter pendet, etiamsi sit modus ipse dependentiæ: Tamen prior actio, non est effectus tantú, sed hoc prætera habet quòd sit determinatio ad vlteriores actus, vel ad attingenda obiecta, quæ voluntas vi huius actus attingit formaliter. Est porrò hæc interna actio verè libera sub vtraque illa ratione; nempe & quà effectus, & quà determinatio voluntatis. Ita enim efficitur à voluntate, vt in priori naturæ ante eius profusionem & impressionem sibimetipsi factam, potuerit voluntas eam non efficere. Atque adeò ita per eam determinatur formaliter, vt potuerit in priori naturæ non determinari per eam. Ad hanc porrò formalem sui ipsius determinationem procudendam, cum planè oportuerit voluntatem alicunde determinari; (causa enim indeterminata nisi determinaretur nihil faceret,) non est tamen determinata ab istamet determinatione formali; quæ quamuis sit determinatio ad vlteriores actus, vel ad obiecta externa, non potest tamen esse formalis determinatio ad seipsam: cùm ne idem sit volitio sui

ipsius, & actus directus & reflexus sint vnica entitas, quod in actibus essentialiter finitis puto repugnare: Tum maximè, quia hæc determinatio formalis, est effectus quidam, ac proinde debet oriri à causa quæ sit ad eius profusionem determinata, priùs natura quàm effectus profunditur: quia determinatio est de complemento causæ, quæ priùs natura plenè & completè constituta supponi debet. Multo minùs potest voluntas ad primum illum effectum suum, siue ad primam determinationem formalem, determinari ab aliquo siue actu siue effectu posteriore, vt est per se euidens. Ergo fatendum est, voluntatem creatam ad illum suum primum effectum liberum determinari à seipsa. Ita vt voluntas, in puncto quidem temporis quo hanc potiùs quàm aliam determinationem formalem profundit, cum esset priùs natura indifferens & indeterminata, transeat in posteriori naturæ ad statum determinationis, antecedentè primi illius effectus profusionem. Hunc verò transitum, constat fieri absque vlla mutatione ex parte actus primi. Nihil enim proferri potest ante primum voluntatis effectum, seu ante primam formalem voluntatis determinationem, quo voluntas quæ priùs natura quàm ageret, indeterminata, & indifferens erat vt sic vel sic ageret, & vt formaliter seipsam sic vel sic determinaret, transierit in posteriori naturæ instanti, quod in vnico temporis instanti quo fit actio, secernendum est à priori instanti naturæ quo vigebat indifferentia; transierit inquam, ad statum determinatæ, qualis ex eo secundo

puncto

puncto denominatur. Ipsa ergo voluntas, absque vlla mutatione ex parte actus primi, iure & priuilegio causæ liberæ, in his & his circunstantijs determinat se ad profundendam talem determinationem formalem, quæ est primus eius effectus liber. Et idcirco libera est, quia prodit à causa talis naturæ & perfectionis, vt ab eadem quamuis immutata & se habente intrinsecè eodem modo quoad actum primum, potuerit prodire formalis hæc determinatio quia ita placuit, & non prodire si aliud libuisset. Ita vt in essendo quidem, entitas voluntatis perinde se habeat ante actionem illam primò elicitam, ac cum eam elicit: quoad habitudinem tamen siue terminationem ad illum primum effectum suum, hoc est ad primam formalem determinationem, aliter se habeat; non ob susceptam de nouo formam aliquam tali formali determinatione anteriorem, quod esset plusquàm terminari: sed absque vlla mutatione, profundendo formalem determinationem quæ ante non profundebatur; & ita eam profundendo, vt vi perfectionis propriæ potuerit eam non profundere. Nihil hic à me circa voluntatem creatam afferri video, quod non vsquequaque firmum sit. Nec puto aliter exponi posse indifferentiam illam, quam in nostro actu primo agnoscere debemus, respectu primi nostri actus secundi liberi, seu respectu primæ nostræ determinationis formalis.

Accommodatio enodationis illius ad rem præsentem.

VI. Ad eundem modũ explico indifferentiã diuinæ voluntatis respectu effectuum creatorum quorumcunque; ita vt quod in nobis ob finitatem naturæ non valet nisi quoad effectum primum liberum, in Deo qui essentialiter infinitus est, nec pro varijs obiectis varios formales actus postulat, valeat quoad omnes eius effectus liberos. Quemadmodum ergo noster primus effectus liber, siue nostra prima determinatio formalis quæ est actus elicitus à nobis liberè profusus, processit à nostra quadam perfectione anteriore actiuè indifferente, quæ immutata planè & nullo in se antecedenter recepto, profudit liberè effectum illum suum; idest, ita profudit, vt eadem manens posset non profundere: ita respectu effectuum quorumcunque creatorum, est in Deo indifferentia actiua, qua ab eo quantumuis immutato, & summam essendi necessitatem habente, effectus creati possunt prodire aut non prodire, prout Deo libuerit. Et hoc ipsum est quod passim dicunt Theologi in 1.d. 45. vel 46. & S. Thomas 1.p.q.19 art 3 ad 4. nempe diuinum actum internum esse necessarium quoad entitatem, & liberum quoad determinationem: Ac in his & his circumstantijs, esse pro libito volitionem obiecti, cuius eadem manens potuisset esse nolitio, si Deo libuisset. Sicut illa ipsa entitas actus primi, quæ in nobis est determinatio ad profundendam volitionem formalem; si voluntati li-

buiſſet, manens eadem potuiſſet eſſe determinatio ad contrarium actum, & ad oppoſitam formalem determinationem profundendam.

Nihil igitur neceſſe eſt, vt libertatem Dei circa creaturas à potentia ſua profundendas agnoſcamus, intelligere actum diuinum immanentem potuiſſe non eſſe in Deo. Sufficit enim quod vnus & idem perſtans, potuerit ad hoc producendum terminari vel non terminari. Sicut ſi fingeremus noſtrum actum primum eſſe ens eſſentialiter neceſſarium, quodque non poſſet non eſſe, tamen æquè poſſet libere profundere primam ſuam determinationem formalem: quatenus abſque vlla ſui mutatione entitatiua, poſſet pro libito terminari ad hunc actum ſecundum primò elicitum, potiùs quàm ad oppoſitum, ad quem profundendum æquè terminari potuiſſet, ſi libuiſſet, quia hoc eſt priuilegium cauſæ liberæ, vt Molina 1. p. q.19. artic. 3. *circa ad 4. &* 5. rectè attigit.

Inutilitas nouæ libertatis ad hoc negotium.

VII. Ex his, difficultas propoſita diſſoluitur non incommodè: manifeſtúmque efficitur ad intelligendam in Dei volitione libertatem, ratione cuius agnoſcatur in Deo vera indifferentia, nihil eſſe neceſſe ad aſylum nouæ ſententiæ confugere, ſed abſque ea veram indifferentiam quoad terminationem; (quæ ad libertatem ſufficit, vt ex noſtræ libertatis primo exercitio oſtenſum eſt,) perſpicuè

agnosci in diuina voluntate respectu creaturarum. Esse verò nouam sententiam ad hoc negotium planè inutilem, ex eo deprehendi poterit, quod ea, licet admissa, non explicatur quod maximè in hac re explicandum est: nempe quomodò Deus potuerit creaturas velle aut non velle condere, eásque amare vel non amare. Siue enim hoc sit liberè eas spectare, vt omnes hactenus senserunt, siue non sit spectare eas liberè, vt aduersarius opinatur: tamen eam indifferentiam esse Deo tribuendam, est extra dubium. At quomodò ea indifferentia cohæreat cum diuina omnimoda necessitate essendi, & immutabilitate, nunquam constabit hærendo in noua sententia.

CAPVT VII.

Diuinam circa electos prouidentiam æquè interuentu diuinæ scientiæ futurorum liberorum conditionatorum explicari oportere, ac ante fabricatam nouam de libertate sententiam.

I. NON alius locus stomacho aduersarij patuit magis. Nec hoc specto, quòd scientiam diuinam futurorum liberorum conditionatorum non nisi verbo tenus admittit, eam tamen reipsa negat: & cum Caluino Matth.11. quem idcirco ibidem castigat Stapletonius, ad extimum

veluti corticem, hoc eſt ad talium futurorum nudam probabilitatem, & cauſæ ad ea propenſionem, diuinum obtutum reſtringit, negata eidem peruaſione ad obiecti futuritionem, quam eſſe *apertiſſimam verbi Dei corruptelam* pronunciat Stapletonius. Sed hoc quod in vno & altero, præſtantibus quidem, ſed liberioris ingenij Catholicis ſcriptoribus: Ianſenio inquam, in concord. c. 47. & Catharino opuſc. de prædeſt. p. 2 *circa finem*, ab Eccleſia toleratur, autori ſane innoxium eſto. Stomachum eius, vt dixi, ſpecto. Tanto enim impetu in huius ſcientiæ vſum ad negotium gratiæ & prædeſtinationis, diuinæque circa electos prouidentiæ, efferbuit autor, tótq; vſum illum & eius aſſertores probris onerauit ac maledictis confixit, cum alibi, tum pleniſſimè lib. 1. c. 23. vt ſi eum non iam diſputantem, ſed declamantem præſertímque perorantem audimus, vix peſtilentior aura faciem Eccleſiæ afflauerit ab omni æuo Chriſtiano. Specialiter verò nec parcè vapulat ei Ludouicus Molina, vſus prædicti primus inuentor, auſus inde infandis vocibus cœlum Eccleſiæ inceſſare, ſugillato Auguſtino, quem ſus Mineruam, legitimum modum gratiæ & prædeſtinationis tractandæ & rectè aduerſus Pelagianos vrgendæ docere non puduit.

II. Ait igitur autor capite illo 23. n. 1. *De eo ferè conſtat, quod tam ſtudioſè obtrudant huius ſcientiæ opportunitatem & neceſſitatem: facere id quidem ſpecie tenus, vt libertatem hominis ſartam tectam tueantur: reuera autem NON ALIA CAVSA, quàm quia ſentiant,*

Deum libero hominis arbitrio non perfectè dominari; sed vt arbitrium nostrum liberum sit à diuinæ etiam potestatis iugo aliquantisper liberum & solutum esse debere. Subdit, hoc verò esse, manifestè sentire de Deo indignè, quippe qui hac ratione alligetur explorationi creaturæ, & statuatur à voluntate creata dependens, in præcipuo suo, & (vt vocat,) primario prædestinationis & iustificationis opere. Planè hoc esse latibulum Pelagianæ impietatis, ab amore propriæ excellentiæ, & insano aliquid sibi tribuendi ardore constructum, quo post damnatum ab Ecclesia Pelagium, eiúsque reliquias, homines in Catholica Ecclesia viuentes, initium sibi salutis suæ arrogare, & primam quoque vocationem sibi tribuere, energiam denique ac efficaciam gratiæ; ipsam inquam gratiæ animam, & gratiæ quasi gratiam, quódque in ea est florulentissimũ, & pretiosissimũ, Deo abiudicare, homini adiudicare nõ erubescũt. De hoc conuersa demũ oratione ad Deũ, magno animi sensu, magnáque inflãmatæ iusto zelo pietatis cõtentione, expostulat; vibratis multis Scripturis, quæ Deum omnipotentem, & ab homine infinitis parasangis elongatum perhibent, non alligatum explorandis humanæ voluntatis nutibus, aut hominis dispositioni obnoxium, vel impotem flectere quò libuerit, quocunque momento ac tempore creaturam suam: qualem indignè omnino Deum statuit nouitium inuentum huius scientiæ, ad vsum prouidentiæ Dei circa electos adhibitæ.

III. Hos verborum rhamnos, possem non vna

ſecuri concidere. Poſſem temeritatē iudicij momētis ſuis æſtimare. Quantú enim eſt, quod obtēdi ab aduerſarijs tutelam & indemnitatem humanæ libertatis, affirmat autor; reuera autem machinationem ab eis ſtrui aduerſus Dei dominium, & peruerſa aduerſus ſupremam Dei poteſtatem agitari cōſilia; proindéque perduellionis, & capitalis fraudis qua nulla poſſit videri immanior, reos eſſe ſecurè pronunciat? Hoc illum inconſultiſſimè effutiiſſe, non tam ob impactam noxæ atrocitatem; (quæ certè eſt ſumma, & in qua Dei maieſtas, & ius in omnia, atque adeò exiſtentia vertitur:) quàm ob iudicium de aliena conſcientia ſoli Deo peruia latum, me tacente res loquitur. Poſſem grandia illa autoris verba, veſicas eſſe quæ in crepitum inanem ſoluantur, demonſtrare nullo negotio. Nec facilius quicquam eſſet, quàm quæcunque tam horridæ criminationis firmamenta, diſijcere; & euidentiſſimè oſtendere, vniuerſam autoris de hoc argumento diſputationem, meras eſſe repetitiones, veréque cramben recoctam, noua tantùm piperis & aceti affuſione conditam. Et quanquam anteriores huius ſcientiæ impugnatores, conuitiorum parci non fuerant, vſque eo vt Franciſcus Suarez prolego. 2. de grat. c. 1. n. 5. aduerterit, vnum ex potiſſimis fundamentis reijciendi hanc ſcientiam & vſum eius ad gratiæ ac prædeſtinationis negotium, eſſe exaggerationes & probra ac conuicia, quibus non liberaliter modò ſed & prodigè vſi ſunt, quibus aliter ſentire viſum fuit: Neminem tamen legere memini in conuiciando circa hoc argumen-

rum valentiorem, & in concidendo probris vsu huius scientiæ magis strenuum, quàm autor fuerit. Nec Gulielmum Amesium Caluinistam excipio, tametsi magnis ipse quoque, huius scientiæ vsum, conuitiis appetit Tomo 4. Bellarmini eneruati l.3.c.3. thesi 5. vbi ait, *hanc esse opinionem Iesuiticam, quæ falsò Augustino tribuitur.*

Iuuat pauca quædam ex eo adscribere vt Hollandi huius Theologastri & autoris hac in parte consensio deprehendatur, constetque vtrunque tela in huius scientiæ vsum deprompsisse ex eadem pharetra. Sic igitur ibi mox scribit. *Nos credimus gratiam Dei, ex se & intrinseca sua natura, esse congruam & efficacem ad efficiendam conuersionem: sed Bellarminus congruitatem istam pendere facit ex rebus extrinsecis, hominis videlicet complexione, dispositione, & circumstantiis loci, temporis ac modi quo suasio illa adhibetur. Nos intelligimus, Deum conuersionis futuræ certam scientiam habere, quia decreuit eam: sed Iesuitæ scientiam finxerunt quam mediam appellant, qua Deum dicunt, ante decretum suæ voluntatis, certò agnouisse quid Petrus ex innata sua libertate facturus esset, si tali modo, loco & tempore, conuersio illi suaderetur.* Rursumque thesi 7. post adductas ex Bellarmino tres sententias circa gratiæ efficaciam; *nihil*, inquit, *ponit tertia sententia quod in prima non contineatur præter congruitatem suasionis singulariter congruentis ingenio eorum à quibus gratia recipitur: hæc autem congruitas in circumstantiis loci, temporis, & similibus, vna cum complexione & naturali dispositione hominis vocandi collocatur. Vel igitur ex istis*

circumstantiis

circunstantijs immediatè & proximè pendet efficacia gratiæ, secundùm istam sententiam, vel ex voluntate humana. Ad illas autem circunstantias efficaciam istam referre, indignius est quàm ad arbitrium voluntatis humanæ. Sequitur enim vt rectè obseruat Aluares disp. 83. n. 9. quòd vltima ratio differentialis propter quam auxilium gratiæ est efficax, sit reducenda ad aliquid naturale; scilicet in particularem complexionem huius indiuidui, aut in aliquam constellationem cœlestem, aut verò in aliquam sumptionẽ cibi aut potus, (adde etiam in placidum somnum;) ex quibus dispositio prouenit lenior & lætior, & ab admittenda suasione bona, minùs aliena. Et mox adducta Becani responsione eidem congruitati innixa, qua ex duobus eadem gratia excitante vocatis, vnus dicitur secutus vocationem quia ei congruebat, alter eam repudiasse ob incongruitatem; subdit Caluinista. *Effugium hoc est planè præstigiosum, si interna & externa motio, siue excitatio gratiæ, est eadem, locus etiam & tempus idem, cum similibus circunstantijs, sed congruunt vnius & non alterius ingenio aut indoli voluntatis, tum vnica causa differentiæ, est in eorum differenti ingenio & voluntate. Quod enim eadem specilla vnius oculis conueniant, & non alterius, causa non est in specillis, sed in oculis quibus adhibentur. Quod vna & eadem tentatio Diaboli congrua sit ad vnum seducendum & non alium, causa non est in tentatione sed in tentatis. Rectè igitur Aluares disp. 108. n. 4. secundùm hanc solutionem differentia tandem refunditur ad innatam libertatem huius hominis, & non ad aliud acceptum à gratia.*

IV. Hos igitur vt dicebam, & Caluinistæ Theologastri, & anteriorum quorundam, sed maximè autoris, in huius scientiæ vsum propositum, paliuros verborum, possem nullo negotio concidere, & excaudicare. Sed Pontificia iussa quibus noua huius scientiæ tractatione typis edita interdici, fama vulgauit, (rescriptum verò Pontificium hactenus videre non licuit;) impunitatem aduersario præstant; non licentiæ in violandis Pontificijs mandatis, si verè lata sunt, quam coercere non est meum; sed æstus quo in huius scientiæ vsum propositum, impotenter efferbuit; & insultuum quibus impar planè congressus Achilli, Ludouicum Molinam, hominem de sacra doctrina optimè meritum, lacessiuit. Nec illud obtendere ad vicem aduersario rependendam placet, quòd Innoc. 3. cap. *significasti* 2. de homic. & Alex. 3. cap. *si verò*, de sent. excommun. subministrant, *vim vi repellere, omnes leges & omnia iura permittunt?*

Multo minus velim aduersus maiorum iussa mutire, vel hiscere; aut etiam agitare animo, vnde de hoc interdicto interponendo suggestum sit; & an non ab iis qui causæ suæ diffidentes, eiusdem indemnitati prospectum voluerit hac suppressione; vt vt congruat vsui in Ecclesia Dei per tot secula emergentibus subinde difficultatibus vsurpato; non premendi, sed accuratè (modò citra censuram ac suffixionem,) excutiendi quæ possent ambigua videri; præsertim si ad hæresim quampiam reuincendam commodare possint, vt hîc sanè contingit. Quid enim si

Caluinista, de fœderanda libertate creata cum prædestinationis certitudine litem intentet, vt est quotidianum, & quod omni studio in libertatis cladem anniti id genus hominum solet, vrgeat ad concedendas diuinas præfinitiones antecedenter mouentes, nullúmque huius scientiæ vsum ad illud negotium esse posse, multis argumentis contendat disputatione scriptis consignata & typis edita? Obstructámne hanc quam solam capio, tuendę Catholicæ veritatis viam, de maiorum mente censere obstringar; & blateranti aduersus libertatem Caluinistæ, ludibrium debebo; aut non secus ac Iudæi sabatho impetiti, confodi deligam potiùs quàm imminentem ceruicibus meis Ecclesiæ hostem depellere; tantum ne maiorum voluntati obluctatus videar? Tale quid mussare, & vel in summo vertice, huiusmodi cogitationum flabris perstringi, nefas esto. Nam iuxta Bernardum l. de præcepto & dispensat. c. 13. *imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta maiorum studiosiùs discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit,* &c. *Delicata satis, imo nimis molesta est huiuscemodi obedientia.* Alibi secundum obedientiæ gradum exponens disceptatricem hanc obedientiam exagitat, cuius esse ait *facere post præcipientis imperium, quæstiones, cur, quare, quamobrem, sæpiùs interrogare; crebras ingeminare querelas; quærere, quare hoc præcipit? vnde hoc venit? quis hoc adinuenit consilium?*

V. Itaque omnem aduersus maiorum iussa cogita-

tionem abijciens, indicti (vt fama tametsi incerta, fert,) silentij tenax: Lectorem, si huius scientiæ vsum ad prædestinationis & gratiæ negotium ab autore exagitatum deprehendere cupiat, amando ad eos qui illum ante interpositum ista typis vulgandi interdictum, luculenter ac plenè tradiderunt, quos inter eminet Stapletonius aduersus Caluinum de insigni huius scientiæ vsu ad propositum finem disputans in antidotis in cap. 9. ad Rom. circa vers. 11. §. *Deum altitudine.* & cap. 11. v. 2. §. *præscientia in Deo*, & Suarez l. 1. de prædest. c. 6. & 7. Quod verò fecisse Antisthenem petulanter à quodam in facie contusum scribit Nazianzenus orat. 3. (Socrati idem tribuit Basilius, orat. de legendis libris Gentil.) neglecta scilicet alia vltione quacunque, percussoris nomen in fronte velut in statua, charta apposita, inscripsisse; id vnum mihi pro tot probris atque conuitijs reponere aduersario licet: *AVTOR LIBRORVM DE LIBERTATE DEI ET CREATVRÆ, PRO SVA MODESTIA ET MITITATE, IN DIVINAM SCIENTIAM FVTVRORVM LIBERORVM SVB CONDITIONE, EIVSQVE ASSERTORES CATHOLICOS DOCTORES BENE MVLTOS; PLAVSTRVM HOC CONVITIORVM ET MALEDICTORVM EFFVDIT.*

CAPVT VIII.

Scientiam Dei, & immutabilitatem decretorum eius, nullum à noua libertatis notione præsidium emendicare, vel admittere.

I. A Diuina ſcientia futurorum conditionatorum, ad prænotionem futurorum abſolutorum veniendum eſt. Vſque adeò enim feracem bonorum Theologicorum germinum ſuam nouam libertatis notionem cenſuit aduerſarius, vt ex ea præſidium quoque diuinæ præſcientiæ, & decretorum immutabilitati peti velit. Supponit ergo vt exploratum, & apud Theologos quoſcunque ſapienter ac dignè Deo Philoſophatos, planè ratum, diuinam futurorum prænotionem in diuinis decretis ac prædefinitionibus tanquam in ratione formali, fundari oportere. Illud item ex Patrum, & ſcholaſticorum, ac etiam Philoſophorum conſenſione, aſſumit; diuinam præſcientiam res futuras cauſare. Tandem fixam & vndecunque firmam diuinorum de rebus noſtris decretorum ſemel latorum conſtantiam & immutabilitatem, & ſacris oraculis, & Patrum dictis, euidentíque ratione, certam ſupponit. Hæc porrò omnia per nouam de libertate doctrinam ſtabiliri, inde monſtrat autor l. 1. c. 25. quod ea

doctrina non admissa, labascant vniuersa: nec appareat, quomodò cohærere possint cum libertate, ritu antiquo per indifferentiam actiuam exposita. Nobis ergo demonstrandum incumbit, quæcunque siue de diuinæ scientiæ quasi motiuo & causalitate in res creatas; siue de diuinorum decretorum semel latorum immutabilitate, rata sunt apud Theologos, nihil præsidij à noua libertatis notione, eiúsve principiis, expectare; vt vel admittantur, vel commodissimè explicentur: sed iuxta priscam libertatis notionem quęcunque de diuinis illis perfectionibus admittenda sunt, probè constare.

Quid ad doctrinam de præscientia iuuare dicatur noua libertas.

II. De scientia futurorum, illud in primis affirmat autor capite illo 25. n. 1. iuxta nouam de libertate doctrinam, constare quod à grauissimis Theologis traditum, omnibus æquè approbandum censet; nimirum hanc diuinam scientiam niti eminentissima ratione formali, nempe diuina prædefinitione, siue decreto æterno, quo Deus ex se & antecedenter ad nos, nutúsque nostros sancit aliquid futurum. In hoc quippe omnium sublimissimo & eminentissimo motiuo, iuxta nouam doctrinam, dici potest Deus percipere futura, quę in sua ipsorum præsentialitate quandoque extitura, attingit vt in obiecto materiali. Quòd dici non potest salua prisca libertatis notione; quia indifferentia actiua non cohęret

cum antecedente illo decreto, siue prædefinitione diuina. Quinetiam absque hoc quasi motiuo quod prisca libertatis explicatio excludit, euerti diuinam omniscientiam, contestatur autor l. 1. c. 18. n. 5. Additque eodem capite 25. n. 7. perbellè hinc constare quod passim Patres agnoscunt atque Philosophi, nempe scientiam hanc Dei quæ visionis appellatur, esse causam existentiæ rerum, sicut causa essentiæ earum est scientia simplicis intelligentiæ. Hæc enim futurorum absolutorum præscientia, iuxta nouam de libertate doctrinam, est nixa diuino decreto quod existentiam præcedit & eam causat: id quod etiam scientiæ decreto nixæ, & existentiam æquè præcedenti, iure tribuitur iuxta nouam de libertate doctrinam, cum qua antecessioni illi causali decretorum, & scientiæ visionis perbellè conuenit: non item cum antiqua de libertate doctrina, quæ diuina de liberis nostris actibus decreta antecedentia, & ex ipso Deo ante consultam humanam voluntatem concepta, non admittit.

Præfinitio de qua autor statuit quod dictum est, seu cui tribuit rationem motiui respectu diuinę præscientiæ, non est prædefinitio purè immanens, sed mouens: hoc est, non est decretum diuinum, quo Deus nihil extra se faciat quo voluntatem potenti præimmissione quasi degrauet ad operationem, vel forti abreptione ad cooperandum trahat: sed est pręfinitio, vi cuius suo tempore voluntas ad operandum adigetur. Nam pręfinitio purè immanens, quādiu talis est, nihil immutat in rebus, vnde spectata

immediatè & in seipsa, & non attentis ijs quæ vi eius fierent, si aliquid deesset per quod irrita reddi deberet, non læderet libertatem creatam, vt fusè probaui in Mor. dist.2.à n.278. & in Natur. Theol. dist.8. n.191. Itaque non lædit libertatem, sed læderet, nisi ipsamet libertas dederet se vltrò, faceretque quod fuerat purè immanenti præfinitione constitutum. Præfinitionem verò mouentem, autor rectè statuit non cohærere cum indifferentia actiua, seu cum antiqua libertatis notione: Et tamen hæc est præfinitio illa, quam de communi Theologorum sententia, contendit esse motiuum diuinæ præscientiæ futurorum illorum, quæ à Deo simul & à voluntate creata prodibunt. Ad hęc enim futura restringi debet hæc disputatio, dimissis in præsentia ijs futuris quæ à solo Deo sunt proditura, & faciliùs defendi possunt pręuideri à Deo in sua prædefinitione de iis causandis suo tempore, tanquam in primo talis pręnotionis fundamento. Hoc quippe est fundamentum prænotionis de quo agimus in hoc negotio. Nam quin decretum Dei, etiamsi posterius sit determinatione voluntatis humanę, possit esse ratio aliqua, saltem secundaria, pręnoscendi futura absoluta à Deo simul & nobis causanda, dubitari non potest. Sed quæritur de primo fundamento, & quasi motiuo, seu vt castiùs loquamur, de prima ratione formali qua Deus nostros effectus liberos præscit. Hanc autor, vt dicebam, ait esse prędefinitionem diuinam mouentem, seu decretum Dei efficax, & latum antecedenter ad quamcunque præuisionem nostræ determinationis,

determinationis, quam ait esse communem sententiam Doctorum. Indéque conciliat nouæ suæ de libertate doctrinę autoritatem, quòd cùm iuxta antiquam libertatis notionem ea, communis doctrina de motiuo diuinę præscientiæ stare nequeat, iuxta nouam notionem optimè consistat.

Decretum efficax, non est ratio prima prænotionis.

III. Ego in sententia quæ decretum Dei efficax seu pręfinitionem mouentem statuit esse primum diuinę nostrorũ actuum pręscientiæ fundamentum, video esse communiter & vnanimiter, Sectarios nostrates, post Caluinum qui l.3. institut.c 23. § 6. laudato in eam rem Laurentio Valla, ita docuit explicatè omnino ac disertè, verbis illis, *non alia ratione Deus quæ futura sunt prævidet, nisi quia ita vt fierent decrevit*. Eadem habet Caluinista Amesius de communi & recepta apud suos sententia t. 4. Bellarmini eneruati l.2.c.2. & sæpè alibi: E Catholicis Scriptoribus aliquos in speciem in ea sententia fuisse præter autorem, nolim diffiteri. Esse tamen communem sententiam, cui retinendæ noua doctrina de libertate sit amplexanda, hoc verò est quod pernego.

Non enim fuit in ea sententia S. Thomas, quem Aquarius in 1. d. 38. conclus. 6. benè ostendit non assignasse pro ratione formali diuinę præscientiæ decretum diuinum, sed præsentiam rerum in æternitate, quod ibidem latè tradit Capreolus q.1. præsertim *ad argumenta Durandi contra primam*, & an-

nuit Caietanus 1. p. q. 14. art. 13. *circa ad* 1. ingenuè professus suas angustias per annos 15. priusquam genuinus hic sensus mentis Sancti Thomæ, illuceret. Ridiculè verò autor, dictum S. Thomæ de hoc fundamento, trahit ad obiectum terminatiuum & materiale: quasi cum D. Thomas dixit, futura libera cognosci in præsentia quam habent in æternitate; hoc est in existētia suo tempore ponenda extra causas; sensus sit illam futurorum præsentiam cognosci per modum obiecti materialis, rationem autem formalem cognoscendi, esse decretum. Hoc dico ridiculè asseri: quia D. Thomas disertè & perspicuè querit de ratione formali cognoscendi. Nam futura à Deo cognosci iam præmiserat atque probauerat, artic. 9.

Non esse quoque diuinum decretum efficax, rationem primam formalem cognoscendi futura libera à nobis preditura, docent Gregorius, Ocham, Gabriel, & passim Nominales in 1. d. 38. & quamuis aliqui Scholastici visi sint velle, decretum illud esse rationem formalem cognoscēdi futuras nostras actiones liberas, plerique tamen egerunt tantùm de ratione formali secundaria, alij autem de ratione formali inadæquata, cui adiungenda sit existentia rei futuræ tanquam ratio formalis partialis: quod reuera recidit in sententiam, quæ pro primo fundamento agnouit solam rei existētiam, vt suo loco plenè probaui. Videsis de varijs hisce sententijs cum interpretes 1. p. q. 14. ad artic. 13. tum Suarem lib. 1. de scientia futurorum, & Pennotum l. 3. propugn. c. 21.

Nullum nouæ libertati præsidium à præscientia.

IV. Hæc cum ita sint, quid in mentem venit aduersario, vt nouæ notioni libertatis, patrocinium quæreret, à motiuo siue obiecto formali diuinæ præscientiæ? quod vere quidem non cohæret cum antiqua libertatis notione: in sensu tamen qui ab ipso proponitur, seu ita vt sit primum & adæquatum quasi motiuum prænotionis nostrorum futurorum actuum liberorum, vix ab vllo Catholico doctore assignatum est, sed ferè tantùm à Caluino atque sectarijs, qui hanc doctrinam auidè accipiunt, vt libertati vulgatæ seu indifferentiæ actiuæ, quæ vt autor rectè ait cum illo diuinæ præscientiæ fundamento primo non cohæret, negotium facessant, eámque si possint exterminent. Aut quorsum antiquam de libertate sententiam insimulat euersæ diuinæ omniscientiæ, eo quòd ad retinendam antiquam illam libertatis notionem, necesse videatur admittere, rationem primam formalem cognoscendi futura libera non aliam Deo esse quàm existentiam eorum, quæ vera est, atque adeò cognoscibilis per intellectum infinitè perspicacem? Constitui verò idcirco à nobis Deum à rebus dependentem, aut emendicantem scientiam à rebus, quod autor obijcit; hoc negamus. Neque enim ratio illa formalis, mouet Deũ aut quoquomodo perficit, sed cũ vis eius cognoscitiua sit infinitè perfecta, & ad omne cognoscibile porrigi debeat, non potest ad hoc quoque obiectum, eo

modo quo primùm verè perceptibi'e est, non pertingere. Et ita V vicleffistis eam diuini actus dependentiam obijcientibus, respondet V valdensis l. 1. doctrin. c. 29. n. 4.

Succisa hac radice, exarescat necesse est quod autor affirmabat, sententiam suam de libertate percommodam esse ad retinendam communem Theologorum sententiam, de pręscientia Dei res causante. Quod enim pręscientia, iuxta ipsum nitatur diuino decreto, antecedente determinationem voluntatis creatę, & tam pręscientia quàm decretum antecedant existentiam nostri actus liberi, pręscientiam quoque inter eius causas recenset, quòd non potest facere de libertate sententia, quę non admittit præscientiam fundari in decreto antecedente, sed eam fundat in ipsa existentia actus liberi: quam proinde statuit ratione priorem pręnotione diuina, tantùm abest vt ab ea causari possit. Vides (vt dixi,) ex dictis de ratione prima formali cognoscendi futura, hunc eius surculum succidi.

Præscientia non est causa existentiæ rerum.

V. Neque verò est quòd minori apud nos in pretio sit antiqua libertatis notio, idcirco quòd iuxta eius principia, non liceat dicere diuinam pręscientiam esse causam rerum. Hoc enim non modo falsum est, sed etiam planè improbabile, vt rectè affirmat Pennotus l. 3. propugn. c. 12. n. 4. Nec est verum eam fuisse sententiam omnium antiquorum, vt per

prodigam veritatis dilapidationem dixit Ripa 1.p.q. 14.artic.13. ſed vix vllus antiquorum ita opinatus eſt, vt rectè ex eorum principijs colligit Suares prolego. 2.de grat.c.10 à n.24. Et certè cùm diuina ſcientia, vt D.Thomas rectè ſtatuit 1.p.q.19.art.4.ad 4.non poſſit eſſe cauſa rerum, niſi vt dirigens, quod non niſi ad modum prudentię vel artis prętare poteſt; manifeſtúmque ſit diuinam pręnotionem neutro modo dirigere diuinam potentiam ad cauſandam nobiſcũ operationem liberam, quam pręnotio ſupponit eductam è cauſis ſuis, nec vltra egentem influxu aut directione ad eam cauſandam, manifeſtum omnino videtur, diuinam pręſcientiam non poſſe dici cauſam rerum. Idque apertiſſimè ferunt loca illa Patrũ, quibus dicitur non idcirco rem eſſe futuram quia præſcitur; ſed è contra potiùs, idcirco rem à Deo pręſciri, quia eſt futura. Origenem, Iuſtinum, Athanaſium, Chryſoſtomum, Epiphanium, Hieronymum, Iſidorum Peluſiotam, Cyrillum Alex. Damaſcenum, Procopium, Anſelmum, Hugonem Victorinum, & alios præterea quàm plurimos attuli in Morali diſt.2.à num.337. Imo Franciſcus Romęus lib. de operum libert. veritate 8 omnes ferè antiquos Eccleſiæ Doctores id tradidiſſe confirmat. Atqui ſi pręſcientia eſſet cauſa futurorum liberorum, liceret omnino dicere, rem eſſe futuram quia pręnoſcitur, & falsò adderetur, rem idcirco prænoſci, quia eſt futura, quæ locutio apertè fert, prænotioni ſupponi futuritionem.

Reſpondet autor ſupra num.11. niſi fallatur, ſolidè

expediri hæc Patrum loca, dicendo, in eis diuinam ſcientiam non conſiderari vt diuina eſt, qua ſolùm ratione eſt cauſa rerum; ſed precisè conſiderari prout dicit adæquationem ſcientis & sciti, ſub qua ratione non eſt cauſa futurorum, ſed ea ſubſequitur, tanquam illis poſterior ratione.

VI. Admitto aduerſarium falli. Neque enim hæc eſt ſolida expeditio locorum prædictorum Manifeſtiſſimè namque Patres, agunt de præſcientia, vt eſt præſcientia, potéſtque præire diuinationi futurorum à qua nomen diuini & diuinitatis hauſtum eſſe, vt ab homine humanitatem, ait Lactantius l.1. inſt.c.11. Volebant ſiquidem Patres oſtendere contingétiam futurorum liberorum non lædi per præſcientiam: probant autem non lædi, qaia quod alicui præſupponitur, eique obijcitur, non poteſt impediri per illud ad quod præſupponitur, & cui præit tanquam obiectum: Et tale eſſe dicunt futurum liberum, reſpectu præſcientiæ Dei. Ergo aperte ſumunt præſcientiam adæquatè, ſiue prout eſt præſcientia, quo pacto eſt actio proprijſſimè diuina: ac proinde vt ſic, non eſt cauſa exiſtentiæ rerum, iuxta Patres.

Vnam & alteram ſententiæ huius ſuæ rationem profert aduerſarius, ſed planè inanem. Prior eſt, res futuras determinari ac definiri per intellectum. At per illud res cauſatur, per quod determinatur & definitur. Ergo per ſcientiam res cauſantur. Huius argumenti maior, ſi (vt neceſſe hoc loco eſt,) intelligatur de intellectu ſpeculatiuo, cuius partus eſt præ-

ſcientia, perſpicuè falſa eſt. Solius enim intellectus practici eſt, definire aut determinare, vel per modum prudentiæ, vel per modum artis, quorum neutrum cadit in præſcientiam, quæ eſt notitia ſpeculatiua. Eiuſdem furfuris eſt poſterior ratio, quam hoc modo format autor Omnia quæ habent conueniétiam adinuicem, ita comparantur, vt vel vnum ſit cauſa alterius, vel ambo ex eadem cauſa progerminent. Atqui omnis ſcientia infert aſſimilationem ſcientis & ſciti. Ergo cum ſcitum futurum non ſit cauſa diuinæ prænotionis, nec detur communis cauſa à qua ambo prodeant, fatendum eſt, diuinam prænotionem eſſe cauſam exiſtentiæ rei futuræ ad quam terminatur. Maior huius argumenti falſa eſt. Non enim ſi duo homines ſunt ſimiles, conſequens eſt, vt vel eorum vnus alterum genuerit, vel ambo ab eodem ſint progeniti. Quare perperam planè aduerſarius, ſtatuit ſcientiam diuinæ viſionis, eſſe cauſam exiſtentiæ futurorum.

Nec ſimplex intelligentia Dei. eſt cauſa eſſentiæ rerum.

VII. Æquè abſurdè num. 10. ait, ſcientiam illam diuinam quam vocant ſimplicis intelligentiæ, eſſe cauſam eſſentiæ rerum creatarum, eo ductus argumento, quòd eſſentia creaturæ ſit verbum quoddam finitum, iuxta illud Lucæ 1. *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum:* Neceſſe autem ſit, verbum quodcunque finitum dependere à verbo conſubſtantiali & infinito, vt ſit verbum verbi, & exigua

expreſſio diuini illus verbi per quod ſunt omnia. Verùm autor nunquam probabit neceſſitatem illam dependentiæ à Verbo diuino, quam verbo creato nondum exiſtentiæ luce potienti affingit. Nam eſſentiæ rerum, (vt ſuperius ex D. Thoma dixi, conſentiúntque omnes ad vnum Theologi ac Philoſophi,) ſunt independentes: ita vt quamuis quandiu eſſentiæ duntaxat ſunt, & mero poſſibilitatis ſtatu continentur, reſpiciant tranſcendentaliter diuinam omnipotentiā, per quā effici poſſunt, & educi in exiſtētiæ lucem: tamen quandiu in eo ſtatu deliteſcunt, à nullo prorſus depēdeant de facto, ac ne à Deo quidem; quia tantum habent non repugnantiam eſſendi, quæ ratione prior eſt omnipotentia Dei prout cauſante, & aliquid à ſe dependens ſtatuente. Nec verum eſt, rerum eſſentias definiri aut determinari per diuinam ſcientiam. Neque enim bos, aliam potuit eſſentiam habere, quàm habeat reipſa: neque aliter intelligi aut concipi, etiam à Deo potuit, quàm ſub eo eſſentiæ ſuæ obiectiuo conceptu quem nunc habet: alioqui non eſſet bos, ſed aliud quippiam contra ſuppoſitionem.

VIII. Perſpicuum ergo videtur, nihil ex iis quæ Theologo rata eſſe debent quoad fundamentum diuinæ prænotionis, eiúſve comparationem ad obiecta futura in quæ fertur, poſtulare præſidium nouæ doctrinæ de natura libertatis: ſed retenta antiqua libertatis notione per indifferentiam actiuam, æqué defendi ac explicari poſſe: ſi quid verò autori de diuina ſcientia aſſerere placet quod cum vulgata & ab

omnibus

omnibus ante eum recepta libertatis notione non cohæreat, viderit ipse quàm solidè id stabiliat, aliter quàm abiectione communium notionum. Nobis enim communes nominum notiones retinere fixum est, quia non ignoramus de quibus scriptum sit à S. Hilario sub initiũ libri secundi de Trinit. *Audientes fallunt, dum naturas nominibus adimunt, quia nomina non possunt auferre naturis*: quæ & alia ad eam mentem, iam suprà annotaui. Sed bonum est iterare, ne leue existimetur, quod non frequenter repetitur, iuxta S. Augustini monitum.

Nihil nouæ libertati, cum constantia decretorum Dei.

Tandem quod in sua noua de libertate doctrina, eiusve principijs, aliquod esse præsidium tuendæ immutabilitati diuinorum decretorum affirmat autor, non video quo iure dicatur. Esse sanè diuina decreta planè immutabilia ex quo semel lata sunt, extra controuersiam est. *Neque enim*, vt ait S. Ambrosius l. de Noë & arca c. 4. *cogitat Deus sicut homines, vt aliqua ei noua succedat sententia.* Et in eundem sensum S. Gregor. 16. mor. c. 18. accipit illud Iobi, *Ipse solus est, & nemo potest auertere cogitationes eius.* Nimirum quia *semel fixa iudicia mutari nequaquam possunt.*

Nihil tamen prorsus occurrit, ratione cuius dici possit, non modò nouam sententiam (quod est perspicuum,) sed etiam quæcunque ei connexa apud autorem, vt prædefinitionem mouentem, & ex ea deriuatam temporalem voluntatis creatæ prædeterminationem, quæ cum noua libertatis notione cohærere dicuntur, non cum antiqua; opportuna aut ne-

cessaria esse, ad tuendam, vel commodè exponendam diuinorum decretorum semel latorum immutabilitatem. Nam seclusa noua notione libertatis per amplitudinem & eminentiam, & seclusa quoque omni prædefinitione & prædeterminatione diuina, facilè dicam, idcirco decretum diuinum, semel latum, esse immutabile, quod res absolutè futura, ex suppositione quòd sic præuideatur, non possit non esse qualis præuidetur. At si Deus inter decretum suum æternum semel latum, & tempus quo res futura est, mutaret decretum, res illa pro eodem temporis puncto futura esset, vi decreti anterioris, & vt futura præuideretur ante subrogationem secundi decreti: quo in locum prioris substituto, res pro eodem puncto præuideretur non futura: quæ est aperta cótradictio. Igitur transitus ille Dei ab vno decreto ad alterum oppositum, est impossibilis. Quæ hîc necessitas, vel opportunitas, nouæ de libertate sententiæ, ad tuendam vel explicandam diuinorum decretorum semel latorum constantiam, & immutabilitatem omnimodam?

DISPVTATIONIS CLAVSVLA.

SPectatos à se aliquádo certátes Pancratio, prodit Philo lib. quòd omnis probus liber, *alterum obtundentem pugnis & calcibus, totisque viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum & incoronatum è stadio discedere: alterum carnosum, neruosum, musculosum, refectúmque spiritu verè athletico, tanquam saxeum ferreúmve, nihil plagis cedere, soláque patientia superare aduersarium, & ad extremum adipisci victo-*

riam. Hoc ille in quibusuis proborum pro vero aut honesto certaminibus, ęquè vsu venire, animaduertit. Quorsum hæc? Nempe ventum est ad initi certaminis metam. Quòd si iudice Philone, pugnat fœliciter, qui exultante aduersario fortiter durat, & patientiæ constantiam tenet inconcussam, non erit æquo Lectori difficile, facta nostræ huius & aduersarij scriptionis contentione, statuere vter fœliciùs pugnarit, vtráve ex parte stet victoria.

Et fuit tamen pro ea re certamen, quam, vt idem Philo affirmat, gentes omnes bellis continuis tueri, honestum iustúmque duxerunt: Cuius obiectu *Centuriones, Tribuni, & Imperatores ipsi, nullam habent efficaciorem cohortationem in prælijs:* illud plus satis ad incendendos milites valere rati, *ESTE VIRI, LIBERTAS AGITVR.* Vt in tanti profectò boni suscepta defensione, vel aliqua patientiæ finium transgressio, exoratura æqui arbitrij dissimulantiam iustè videretur; quod & S. Gregorius excussum cum ferro manubrium, vt est in Regum historia mysticè interpretatus, scitè tradidit.

Non igitur in ea quam dedi compressione, vehementis & quantum nuda verba fortiter impacta valuerunt, potentis ac validæ impressionis in antiquá doctrinam de libertate, illam Petri Blesensis clausulam qua aduersarium duriùs habitum compellans, epistolam 131. obsignat, huic metæ necessariam vel opportunam habeo: *Coxi pulmentum tibi. Si verò colochyntidas sapiat exhortatio minùs blanda, farinam patientiæ & deuotionis Elisæus apponat.* Illud potiùs in

hoc digressu, quod tota dimicatione connisus sum, contestari aduersarium volo, & in charitate non ficta commonere, per anticipatum sapientum omniũ sensum; per scholę vniuersæ præiudicia; per doctrinæ sanæ incolumitatem inde pendentem; per bonum Ecclesiæ quod in eo vertitur; vt abiecta posthac consectatione vocum exoticarum, rotunde ac simpliciter res exponens, ab ijs auertatur, de quibus l.de carne Christi cap. 24. Tertullianus expostulat, quòd *nec nomina in luce proprietatum suarum conseruent*: vt mysticus audire rebus protritis insolito verborum inuolucro obuoluendis non affectet: vt nouitatibus quas placendi cupidò, & stuporatæ glorię amor, suadet quærere, parcitum posthac & temperatum velit.

Galli perantiqui, sancti æquè ac doctrina præstantis, prudens in commonitorio monitum, paucis hæc omnia complexum, quia huc perbellè cadit, & appositissimum est, meum esto. *Nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas; nolo auri speciem, sed naturam planè: ô Timothæe, ô Sacerdos, ô Doctor, si te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleël, pretiosas diuini dogmatis gemmas excupe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem.* Intelligatur te exponere illustriùs quod antea obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didicisti ita doce, vt *CVM DICAS NOVE, NON DICAS NOVA.*



ΑΛΛΗΛΟΥΧΙΑ.

NOSTRÆ ET ADVERSA-rij Scriptionis.



T constet bona fide actum à nobis cum aduersario, nihilque ab eo aduersus veterem de libertate doctrinam propositum esse opere vniuerso, cui à nobis satisfactum sufficienter non fuerit; quia alio ordine quàm ipse inierit, versati in hac tractatione sumus; proferendum hoc loco duximus syllabum capitum tractationis aduersarij, signatis ad singula locis tractationis nostræ, quibus confutatio vel expensio nouæ doctrinæ continetur. Esse enim hoc candidi animi argumentum S. Eustathius pulcherrimè tradit, initio disputationis de engastrimytho. De parergis tamen autoris, solliciti non fuimus. Cuiusmodi sunt quæ autor l. 1. toto c. 13. disputat contra sententiam quæ admittit actus indifferentes in indiuiduo. Et quæ de relationibus extrinsecùs aduenientibus agitantur l. 1. c. 25. & quæ multis capitibus libri secundi excutiuntur, quid, vnde, vbi,

quare, & ex qua idea sit malum. In hac & alia pleraque ad rem propositam nullo modo spectantia, excurrere, tantùm vt liber grandesceret, consilium non fuit.

Præfatio, qua autor & veterem sententiam proscindit, & damnat nouitatis ac peregrinitatis.

Nos prolog. 2. & parte 1. c. 4. ad finem.

Liber I. Caput I. Notio libertatis noua per amplitudinem.

Nos parte 1. c. 2. & 5.

Caput II. Diuisio libertatis.

Nos p. 1. c. 6.

Caput III. Noua libertatis quidditas & radix probatur ex Scripturis.

Caput IV. Idem probatur ex Patribus.

Caput V. Idem probatur ex Philosophis.

Caput VI. Idem ex Scholasticis.

Ad hæc quatuor capita, respondemus p. 1. capite 8.

Caput VII. & VIII. Idem probatur rationibus.

Nos p. 1. c. 9.

Caput IX. X. & XI. Dari libertatem circa finem.

Nos p. 1. c. 6.

Caput XII. Cuiusmodi sit indifferentia libertatis.

Nos p. 2. c. 3.

Caput XIII. Parergon de actibus indifferentibus in indiuiduo.

Autor seuerè damnat qui eos admittunt. Quanto iure, dixi in Morali dist. 4.

Caput XIV. An liberum sit quod mouet seipsú.

Nos p. 1 c. 10. & p. 2. c. 2. & 3.

Caput XV. Præludia ad resolutiones de diuina prædeterminatione.

Nos p. 2. c. 2.

Caput XVI. Deum nos determinare ad speciem actus.

Nos p. 2. c. 2.

Caput XVII. Deum nos determinare ad exercitium.

Nos p. 2. c. 3.

Caput XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. De prædeterminationibus.

Nos p. 2. cap. 1. & 3.

Caput XXIII. Impugnatio scientiæ mediæ.

Nos parte 2. c. 7.

Caput XXIV. Corollaria.

Nos p. 1. c. 5. & p. 2. c. 1.

Caput XXV. Alia corollaria.

Nos p. 2. c. 8.

Caput XXVI. Obiectiones quòd Deus sit autor mali.

Nos p. 2. c. 3.

Caput XXVII. Ad obiectiones quòd ruat libertas.

Nos p. 2. c. 3.

Caput XXVIII. XXIX. XXX. Ad alias obiectiones.

Nos p. 2. c. 3.

Caput XXXI. Peccandi potentiam non esse partem libertatis.

Nos p. 1. c. 4.

LIBER II.

Caput XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. Quid, vbi, vnde, quare sit malum & quod eius exemplar.

Nos de his parergis latè in Mor. D. 4. quatenus vtiliter inquiri in ea potest.

Caput XXII. XXIII. XXIV. XXV. Quomodò Deus malum permittat, non causet.

Nos p. 2. c. 3.

Caput XXVI. De progressu libertatis deprauatæ, mysteria.

Nos p. 1. c. 12.

Caput XXVII. De libertate consummata, mysteria.

Nos p. 1. c. 12.

Caput XXVIII. & XXIX. De seruitute damnatorum.

Nos p. 1. c. 4.

Caput XXX. & vltimum, continet tantùm orationem ad Deum.



SPECIMEN SYMPHONIÆ variorum aduerſarij locorum.



VLLVM certius ſolidæ doctrinæ ac veritatis argumentum, quàm conſtantia, et principiorum ac concluſionum quibus vniuerſa diſciplina continetur, perpetua conſenſio. Vna quippè eſt, et ideo ſemper ſibi concors ac diſsidia præcludens, veritas: cum è cõtrà falſitas, vt à vero, ſic ab vno ſcindatur. Quare cum in tractatione aduerſarij, qua noua de libertate doctrina proponitur, frequentes admodùm contradictiones, et autoris cum ſeipſo conflictus occurrant; eúmque negantem vno loco quod in alio aſſerit; aut hic approbantem quod alibi reprehendit, notare frequenter liceat; viſum eſt pauca de multis doctrinæ inconſtantis apud autorem exempla decerpere, et hìc tanquam ſpecimen ſoliditatis nouæ doctrinæ exhibere, vt æquus Lector faciliùs quâ ex parte ſtet veritas, iudicium ferat.

I. Siſtendo in vno è finibus inferioribus, v. g. in ſcientia, aduenit voluntati in eum finem tendenti, independentia quædam à mediis, & magnitudo ſu-

pra ea, quæ est vera libertas. Autor l.1.cap.1.num.2.

Negat toto libro 1. semper docens, libertatem esse amplitudinem ex adhæsione cum Deo solo, non autem cum aliquo fine inferiore.

II. Libertas à necessitate, est eadem cum libertate à peccato, l. 1.c.3.n.1.

Libertas à Christo proposita, (quæ sanè est à peccato,) non opponitur necessitati, ibid.

III. Libertas est dominium actuum nostrorum, l. 1. c.1. n.3. & l.2.c.29.n.4.

Libertas non est dominium, l.1.c.7. n. 1. & non datur dominium actuum, l. 1. c.9.n.6.

IV. Libertatis tres species, l.1. c.7. n.2.

Sunt una & eadem species, l.1.c.2. n. 5. & l. 2. c. 3. n. 4.

V. De præscientia conditionata, nullus apud D. Augustinum sermo. l. 1.c.8.n.2.

D. Augustinus, præscientiæ conditionatæ apertè meminit, l.1. c.23. n.2.

VI. Causæ secundæ liberæ non determinantur à Deo ad exercitium, immissione actus primi fluentis, sicut determinantur causæ naturales, l. 1. c.28. n.2.& 3.c.20.n.4.

Causæ secundæ liberæ æquè ac naturales, determinantur præimmissione illa, l.1.c.17.n.2.

VII. Deus primùm efficit, tum refert ad finem, l.1.c.15.n.2.& 5.

Omne agens primò finem respicit, l.1.c.16.n.4.

VIII. Deus cùm inclinat voluntatem via persuasionis non se gerit eo modo quo homo homini per-

ſuadens, ſed abſque vlla exploratione diſpoſitionis ſubiecti, perſuadet, l.1.c.22.n 7.

Deus perſuadendo homini ſuper hominis diſpoſitione ædificat, & per ipſum hominem quem ita affectum reperit, perſuadet, ibid n.11.

IX. Cauſa libera non determinatur à ſeipſa ſed à Deo, l.1.c.17.& ſeqq.

Cauſa libera ſeipſam determinat, l.1.c. 24 n. 1. & l. 2. c. 5. n. 1.

X. Quicquid eſt in actu malo præter priuationem, prædefinitur & prædeterminatur à Deo, l. 1.c. 25.n.1. & c.26.n.4.

Actus poſitiuus qui eſt materiale peccati ſubſtratum malitiæ, non prædeterminatur à Deo, l 1 c.26.n.2 & 8.

XI. Efficacia motionis diuinæ, eſt ex Dei intentione & voluntate, vel quia Deus mouet accommodatè ad ſtatum in quo ſumus, vel quia ipſum ſtatum mutat in alium, l.1. c.29.n.4.

Efficacia gratiæ ita eſt ex Dei voluntate, vt dicere Deum ad ſtatum creaturæ reſpicere, ſit de Deo indignè ſentire, debeantque erubeſcere qui hoc dicunt, l.1.c. 20.n.3.

XII. Liberum à coactione ſola, non ſufficit ad libertatem, l.1.c.34.n.3.

Liberum à coactione ſatis eſt ad libertatem, l. 2. c.2.n. 2. & 5.

XIII. Liberum cauſaliter eſt, quod ſubijcitur Deo vt principio & fini, l.1 c.34 n.1.

Subiectio ad Deum vt ad principium, eſt extranea libertati, l.2.c.12.n 2.

XIV. Dei liberrima intra ſemetipſum communi-

catio est, l.2.c.2.n.1.

Non est liberum Deo sese intra semetipsum communicare. Mox ibid. & c.4.n.1.

XV. In Deo ad intra, non datur libertatis exercitium, l.2. c.3. n.3.

In Deo ad intra, datur exercitium libertatis, l.2.c 2.n.6.

XVI. Liber est in agendo qui citra præuiam vllam determinationem ad communicationem & effusioné sui progreditur, l. 2. c. 4. n. 4. & in specie de agente secundo idem docet, c.5.num.5. & 6.

Agens creatum quantumuis liberum, exigit præuiam determinationem vt agat, idque est illi essentiale, l.1 à c 15,

XVII. Deus non determinatur à seipso ad agendum ad extra, l.2.c.5.n.7.& c.7.n.3.

Deus à se determinatur ad agendum, cùm nihil agat nisi determinetur ex l.1 c.19.n.2. & Deum ab alio determinari, impoßibile statuit autor.

XVIII. Libertas est indifferentia actiua coincidens cum dominio & sui potestate, l.2.c.29.n.4.

Libertatem esse indifferentiam, aut dominium, aut potestatem, negat toto l.1.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ HOC TRACTATV continentur.

A.

B

D

I

O

R

T

V

FINIS.



Erratorum minutias, quæ fortaßis occurrent, beneuolus Lector dißimulabit, his quæ grauiora visa sunt, diligenter notatis.

VBicunque occurrerint, l. χαῖρε, & ἔτερα, Pag.10 lin. 14. pro, *lacessere*, l. *lassescere*. P.15.l 3. pro, non, l. nouo. P. 19 l. 27. pro, ineo. l. in eo. P.36.l.19.pro obtineret, l. obtinet. P.58.l.12 pro, pondere, l. ponere. P.78. l.12.pro, V.l.IV. P. 89.l.9.pro, adiudicet, l. abiudicet, P.95.l.10 pro, libita, l. libera. P.97.l.antep.pro, II l. XI. P.99.l.15.pro, homo l. hamo. P.107. l.28.pro, inexplicatum, l. inexpiatum. P.134.l.19.pro, Camerac.l. Camerarius. P.158.l.4.pro, quod, l. quos. P.161.l.17.post, libertatem. Adde, Euangelicam. P.162 l.17.pro, quodlibet, l. quod libet. P.188. l. 25. pro, fidem, l. finem. P. 206.l.15.pro, XI.l.XXI. P.219.l.13, pro, transeuntes, l. transeuntet. P.263.l. 6.pro, eandem, l. eumdem. P.265.l, 12.pro, Hos, l. His. P.269.l 2 pro, nemini, l. memini. P.282.l.17.pro, forma, l. firma. P.292 l.16.pro, *immensum*, l. *immersum*. P.300.l.15.pro, videm, l. vilem. P.302.l.13.pro, Κενοφωνίαν, l. Κενοφωνίας. P.308.l.20.pro, *perhabuimus*, l. *prehabuimus*. P.330.l.28.pro, 1346. l.1546. P.355.l.23.pro, tom. l. textu. P.407.l.14. post, Theolog. Adde. distinct.5. P.430.l.13.pro, vndecima, l. duodecima. P.450.l.11.pro, q.13.l.q.14 l.17.post.disp.39.Adde.sect.4. P. 474.l.18.pro, Philo .l. Philoso-. P.476. l.7.pro, auditi, l. audiui. P.497.l.16.& 17.pro, can.& cap.4.l.cap.5.&can.4. P.508.l.8.pro, Val.t.3.l.Val.t.4. P.568.l. 6. post, dicam. Adde. applicando rationem huius immutabilitatis decretorum Dei adhibitam ab auctore num. 13. P.571.l.24.pro *excupe*, l. *exculpe*.